9585

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

ANNO MDCCXXXII

publicata.

*Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.*

*LIPSIÆ,*

Proſtant apud JO. FRID. GLEDITSCHII B. FIL.

ET

JO. CHRISTIANUM MARTINI.

Venduntur etiam Amſtelodami in WAESBERGIORUM & WETSTEINIORUM officinis.

Typis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.

Digitized by Google

Digitized by Google

# Lectori Salutem!

*CUm in eo jam ſimus, ut, longum annorum quinquaginta curſum emenſi, novum laborum noſtrorum velut campum ingrediamur; age, ſi nos amas, gaude, & hanc nobis felicitatem gratulare, Lector. Quod ut impetrari a Te poſſe negotio facillimo ſperamus, cui uni ſacras eſſe muſas noſtras cupimus, quem conatuum noſtrorum ſpectatorem ſedulum, interdum approbatorem, quin, ni falſo nobis blandimur, laudatorem etiam habuimus, cujus denique ſecunda admurmuratio & favor conſtans ad longam vitam vires nobis roburque ſufſecit; ita, ne nullus ex tanto noſtri ſtudio in Te fructus redundet, Tuis commodis antiquius in poſterum*



Digitized by Google

*ſterum haud nobis quidquam fore, nec aliam, quam quæ Tuo comprobari ſuffragio mereatur, ſcribendi nos rationem inituros, conceptis verbis religioſeque ſpondemus. Etſi vero, quod ipſum non ſine ſummo doloris ſenſu recordamur, ſi quis inde ab incunabulis Actorum alius, is certe, quem modo transegimus, inauſpicatus his Commentariis & maxime fatalis annus fuit, quippe quo gravem ſatis nec brevi adeo reparandam jacturam fecere* Menckenii *ſui, Viri optimi, & ob præclara multa in artes liberales merita ſuis, etiam poſt fata, laudibus digniſſimi; bono tamen ſis animo, rogamus, & abeſſe a Te jubeas timorem omnem, eamque nobiſcum ſpem concipias, majorum noſtrorum, quibus florem hæc Acta dignitatemque ſuam debent, ſtudio inſigni ac laudabili nihil ceſſuram, ſi bonis conſiliis bona fata annuant, & placidiſſima otia indulgere nobis clementiſſimus* AUGUSTUS *pergat, eorum, ad quos hæreditate pervenit Operis tam pulchri cura, induſtriam. Vides, nos inde a Calendis Aprilibus, quas ultimum vitæ diem habuit* Menckenius, *in hoc negotio fuiſſe totos, &, quantum in nobis fuit, providiſſe ſedulo, ne triſtis illa rerum perturbatio, quam ſecum ferre ſolent optimorum virorum funera, detrimento his Actis, &, quibus cum voluptate hæc leguntur, viris doctis eſſet. Quod ipſum ſi bene a nobis factum nec ii negant, qui rerum noſtrarum alioqui parum ſunt curioſi; habemus utique, cur æquos nobis judices poſcamus, ſi*

*quid*

*quid obvenerit legentibus,in quo feſelliſſe videamur vota publica. Ne noſtra nobis inertia exprobraretur merito,ſatius fuiſſe, memineris,qualiacunque dare,quam,moram ex mora nectendo,in diſcrimen famæ adduci. Et erunt forſan, qui nec hæc ipſa vituperent, animo non adeo a nobis alieno ad hæc converſi, & de re quaque edocti exiſtimare recte. Nam, ſi vel de nobis ipſis liceat, quæ vera ſunt, profiteri, intelliget profecto, cui ſenſus eſt integer, haud eſſe nobis in animo, a priſtina ſcribendi norma temere deflectere, nec, præter voculam in rubro, quidquam* novis *hiſce* Actis *additum a nobis, demtumve, animadvertet. Librorum peregre advectorum copiam deſideras? at culpam hanc eſſe librorum ſcito, diu nimis hoſpitantium in diverſoriis,& Germanas velut oras fugientium. Invitati ſæpius,& vocati blande,perhorreſcunt tribunal noſtrum,& mala multa ſibi ab iis timent, qui lenitatem oculis & vultu toto præ ſe ferunt. Fecimus tamen, quod in nobis fuit, reque per tabellarium acta ſæpius, id effecimus tandem, ut Muſeum noſtrum brevi futurum ſit nationum omnium receptaculum. Itaque lautiſſimas in annum proximum vides epulas inſtructas, Tui, ſi quid recte ominamur, ſtomachi futuras. Tu, quod cœpiſti, nobis eſſe amicus perge, &, officii munerisque noſtri fore nos ſemper memores, hoc magis confide, quo certius perſuaſum Tibi eſſe volumus,*



Digitized by Google

*verſari in hoc negotio non imperitos iſtarum rerum tirunculos, ſed viros graves & doctrina præſtantes, ſuique judicii cuilibet facile reddituros rationem. Nec, quæ ceſſarunt per aliquot annos, in poſterum Actorum Supplementa deſiderabis; quin cum his ipſis Tomum primum Obſervationum Mathematicarum, quæ ſigillatim olim in Actis hiſce locum invenere, nunc junctim edendarum, aſſiduis exterorum precibus ita locum relicturi, exire in lucem jubebimus quam proxime. Illud in gratiam eorum, qui procul a terris noſtris vivunt, addimus, ſi quid ſit librorum optimorum, quod commendari in his Actis cupiant, id, bene acturos, qui aut recta via Lipſiam ad* Fridericum Ottonem Menckenium, *cui demandata eſt cura hujus Operis præcipua, aut ad nobiliſſimos quosque Germaniæ Typographos, aut ad Argelatum Mediolanum, aut ad Coletum Venetias, aut ad Pagliarinos Romam, aut ad Montalantium Lutetiam, aut ad Wilhelmum Innys Londinum, aut denique ad Wetſteinios & Waesbergos Amſtelodamum, literarum commercio nobis conjunctiſſimos, prout id cuique maxime fuerit commodum, liberaliter transmiſerint.*

* * *

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Januarii Anno MDCCXXXII.*

---

ΘΟΥΚΥΔΙΔΟΥ ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΠΕΛΟΠΟΝΝΗΣΙΑΚΟΥ πολέμου Βιβλία ὀκτώ.

h. e.

*THUCYDIDIS DE BELLO PELOPONNESIaco Libri octo; cum Annotationibus integris HENRICI STEPHANI & JOANNIS HUDSONI. Recenſuit & Notas ſuas addidit JOSEPHUS WASSE. Editionem curavit, ſuasque Animadverſiones adjecit CAROLUS ANDREAS DUKERUS, cum variis Diſſertationibus, MSCT. Collationibus & Indicibus novis locupletiſſimis.*

Amſtelod. apud R. & J. Wetſtenios & Guil. Smith, 1731. fol. maj. Alph. 10. pl. 16. cum duabus Tabulis Geographicis.

THucydidem, graviſſimum inter Græcos digniſſimumque fide ſcriptorem, ſuperatis, quæ imminere videbantur, impedimentis, poſt haud exiguam temporis intercapedinem, multis in locis emendatum, ac priſtinæ integritati reſtitutum, elegantiſſimis typis exſcriptum, & doctiſſimorum virorum Annotationibus illuſtratum, jam tandem prodiiſſe, gratiſſimum exiſtimamus omnibus iis, qui deliciis Atticis capiuntur, & Veneres Græcas paullo largius guſtarunt. Non defuerunt quidem poſt renatas in Europa litteras, quas ab humanitate nomine ſumto appellamus, ſummae eruditionis & immortalis famæ Viri, qui nihil ſibi reliqui fecerunt



Digitized by Google

ad perpoliendum *Thucydidem*, ac plurimum omnino in ejus Editionibus, quas nobis publici juris factas reliquerunt, ſtudii laborisque collocarunt. Sed tamen, quantum reliquas, quæ præceſſerunt, omnes & ſplendore & præſtantia ſuperavit Editio, quam vergente ſeculo ſuperiore Oxonii evulgavit *Joannes Hudſonus*, Græcarum litterarum, ſi quis alius, peritiſſimus, tantum hæc ipſa *Hudſoni* Editio illi cedere videtur, quam Viro Cl. *Carolo Andreæ Dukero* debemus. Cui Viro doctiſſimo etſi nunquam, ut fatetur ipſe, animus fuit in hunc ſcriptorem aliquid meditari, quod publice legi poſſit, multo minus novam ejus Editionem in lucem aſpectumque proferre, tamen, quum nobiliſſimi bibliopolæ, Wetſtenii & Smithus, aucto ultra modum exemplarium Editionis *Hudſonianæ* pretio, novam *Thucydidis* Editionem cum virorum doctiſſimorum, *Henr. Stephani*, *Jo. Hudſoni*, & nondum editis *Jo. Waſſe* Animadverſionibus molientes, iteratis eum precibus adiiſſent, effecit tandem honeſta ſæpiusque repetita interpellatio, ut conſilium mutaret Cl. *Dukerus*, manumque *Thucydidi* typis iterum ſubjiciendo admoveret. Sed, quo magis Vir præſtantiſſimus antea detrectaverat hanc in ſe operam ſuscipere, eo feliciori ſucceſſu opus non aggreſſus eſt ſolum, ſed & ita perfecit, ut ipſe non minorem, quam qui huic operi ſumtus ſuppeditarunt, hac re ab eruditis rerumque peritis æſtimatoribus gratiam cenſendus ſit iniiſſe. Quibus vero MSS. Codicibus in expoliendo *Thucydide* uſus ſit Cl. Editor, in Præfatione ſatis copioſe exponit ipſe, quos cum vel plane non habuerit, vel leviter tantum conſuluerit *Hudſonus*, de præſtantia noviſſimæ hujus Editionis, qua ſe præ *Hudſoniana* commendat, facile erit judicatu. Primus Codex MS. cujus varias lectiones cum Editione Oxonienſi comparatas adhibuit Doctiſſ. *Dukerus*, & quem *Regium* appellare conſuevit, in Regia Pariſiis Bibliotheca aſſervatur. Eſt ille Codex Bibliothecæ Regiæ n. 3044, in eoque aoriſti infinitivorum in *υναι* ſunt proſperiſpomeni, ut *παρξῦναι*. ὅτι ſemper ſeparatur a ſuperlativis ſequentibus, ὅτι τάχιϛα, ὅτι μάλιϛα. ὅπως ſemper futuro indicativi jungitur, &c. Alter Codex MS. vocatur

*Dani-*

*Danicus*, ex quo diſcrepantem ab *Hudſoni* Editione ſcripturam miſit Vir Clariſſ. *Joannes Grammius*, linguæ Græcæ in Academia Havnienſi Profeſſor. Videtur, eodem *Grammio* judice, is ætatem trecentorum annorum præ ſe ferre, habetque in medio libro quinto ſcripturam usque ad finem manus paullo recentioris. Emtus eſt Venetiis A. 1699 a Viro illuſtri, *Friderico Roſtgardo*, ex inſulis Sicilia & Melite reduce; nunc autem eſt Illuſtriſſimi Comitis, *Chriſtiani Danceſchiold*, Domini Samſoæ, &c. Deſcriptas ex his duobus MSS. varias lectiones jam poſſidebant Weſtenii & Smithus, priusquam a Cl. *Dukero* peterent, ut *Thucydidi* iterum edendo operam commodaret ſuam. Qui vero his ſubſidiis non contentus ad alia undiquaque comparanda, quæ ad exornandam hanc Editionem quicquam facere poſſent, pro incredibili, quo ad illuſtrandas litteras fertur, ſtudio incubuit. Itaque, cum animo recordaretur, indicatum ſibi quondam a Clariſſ. *Jo. Herm. Schminckio*, Hiſtoriarum in Academia Marburgenſi Profeſſore, Codicem fuiſſe manu exaratum, qui in Bibliotheca Sereniſſimi Principis Landgravii Haſſo-Caſſellani haberetur, hujus uſum, agente illo ipſo *Schminckio*, a Sereniſſimo Principe, quæ erat illius clementia & in bonas artes benevolentia, bibliopolarum ſtudio adjutus, non difficulter impetravit. Eſt hic liber forma maxima, ſed quadrata magis, quam oblonga, eleganti manu in charta bombycina, ut putat Cl. Editor, adeo denſa, ut uno alterove loco adverſæ paginæ verſus aliquot ſcalpello exſciſſi ſint, illæſis omnibus in averſa litteris. Scriptus eſt A. M. 6760, ſive Chriſti 1252, quemadmodum id in calce diſerte legitur manu vetuſta & minio annotatum. Adducitur ille nomine *Caſſellani*. Præter ea ad manum habuit Codicem chartaceum ex Bibliotheca urbis Trajectinæ publica. Eſt ille recentiſſimus quidem & fortaſſis vix trecentorum annorum, ſed tamen e non malæ notæ libro deſcriptus, & multis locis ad genuinam ſcripturam confirmandam utilis. Eum quidem Cel. *Grævius* jam *Hudſono*, Editionem ſuam paranti, transmiſerat, ob id ipſum in Oxonienſi Editione *Grævianum* vocatum, etſi is tum non *Grævii*, ſed *Guilielmi van*

 *Cleef*,

*Cleeſ*, cauſarum patroni apud Trajectinos clariſſimi, fuit, qui eum *Grævio* utendum conceſſerat, ac deinde in Bibliothecam publicam intulit. Sed, cum *Hudſonus*, vel ii, quibus ille hoc negotii dederat, in hoc Codice conferendo parum diligenter verſati fuiſſent, nec multo minus quam dimidiam partem variantis ſcripturæ præteriiſſent, diligentius eum & curatius, quam ab illis factum erat, perluſtrandum ſibi & comparandum eſſe exiſtimavit Cl. Editor, licet eum eodem, quo *Hudſonus*, nomine *Grævianum* adducat. His denique omnibus acceſſit Editionis Baſileenſis *Hervagii* cum MS. chartaceo formæ maximæ Bibliothecæ publicæ Baſileenſis collatio, a Viro Doctiſſ. *Jo. Jacobo Wetſtenio*, apud Baſileenſes V. D. M. cum Cl. Editore communicata. Cujus tamen maximam partem, quod primum, cum operæ jam usque ad librum octavum proceſſiſſent, tantum libri VII & VIII, ac deinde, omnibus jam abſolutis, ceterorum librorum variantem ſcripturam accepit, poſt teſtimonia & judicia de *Thucydide* ponendam curavit. Codex ille, teſte *Camerario*, ab Eugenio Papa Conſtantinopoli *Joanni* cuidam *Aretino* A. 1440 donatus, Baſileam pervenit, ubi etiam nunc conſervatur. His ergo auxiliis Vir Cl. adjutus fultusque, hanc totius operis rationem iniit, ut in τῷ κειμένῳ, qui vulgo textus dicitur, *Thucydidis* & interpretatione Latina e præſcripto Cl. *Waſſe*, quo auctore hæc eſt a bibliopolis Editio ſuſcepta, Editionem Oxonienſem, cujus etiam paginæ margini interiori ſunt adſcriptæ, ſequeretur, iis tantummodo mutatis, quæ voluerat Cl. *Waſſe* mutata. Hujus igitur conſilio in variis locis pro aoriſto ſecundo verbi γίγνομαι legitur ipſum præſens, e. g. p. 138 v. 76 παραγιγνόμενοι pro παραγενόμενοι, p. 269 v. 58 γιγνομένη pro γενομένη &c. ejusdem voluntate δυεῖν repoſitum pro δυοῖν p. 265 v. 2, p. 265 v. 55, p. 204 v. 4, γναμφθῆναι pro καμφθῆναι, quod perperam in prioribus erat Editionibus, & p. 280 v. 82 pro ἔλαττον jam recte editum ἔλασσον, quod *Thucydides*, ſi Grammaticis antiquis fides eſt habenda, nunquam duplex τ uſurpavit. Eodem auctore p. 344 v. 82 pro ἀποςῇ recte ex MSS. ἀπωσθῇ, p. 345 v. 30 Ξενάρη pro vulgari



Digitized by Google

Ξενάρητον, p. 427 v. 81 ἀνθρωπείας pro ἀνθρωπίνης, p. 448 v. 67 προπέμπει cum MSS. pro προσπέμπει, & p. 505 v. 5 pro Παςσυδεὶ ex Codicibus Πανσυδεὶ recte reſtituta leguntur. Cui eidem etiam debetur, quod jam p. 276 v. 23 pro ἐμβαλόντων, ἐσβαλέντων, p. 388 v. 97 pro ἡ διάνοια, ἤδ' ἡ ἄνοια, & p. 483 v. 57. ex MSS. τὸ Κορινθίων pro τῶν Κορινθίων habeantur. Atque ex his, ſpeciminis loco adductis, ſatis apparet, diligentiſſimum fuiſſe in emendando *Thucydide* Cl. *Waſſe*, cujus ſtudio admodum laudabili hæc & alia non pauca, quæ brevitatis ſtudio præterimus, loca feliciſſime reſtituta ſunt. Ipſe vero Cl. *Dukerus* parum ſibi hac in re permiſit, dum in pauciſſimis, nec adeo magni momenti lectionem *Hudſonianam* mutavit. Hæc tamen ab ipſo correcta nobis obvenerunt hanc Editionem percurrentibus: p. 26 v. 82 pro ξυνκινδυνέυειν, quod in *Hudſoni* Editione extat, revocavit ξυγκινδυνεύειν, & p. 61 v. 97 ξυγκατεσκεύαζε repoſuit ex MSS. & antiquis Editionibus pro συγκατεσκέναζε, quod in tribus poſtremis erat. P. 213 v. 44 pro Ἀθηναίους, quod vitio operarum in Edit. *Hudſoni* venerat, reſtituit Ἀθηναίοις. Quanquam vero Cl. Editor nihil pæne ſibi ſumſit in verbis *Thucydidis* ipſis, quæ exhibuit *Hudſonus*, mutandis, mutavit tamen eadem & plus vice ſimplici eruditiſſime correxit in Annotationibus ſuis. Ex perquam multis, quæ a Viro Doctiſſ. in *Thucydide* emendata jam afferre poſſemus, pro inſtituti ratione hæc ſufficiant, ex quibus de reliquis nullo quilibet negotio judicare poterit. P. 34 v. 70 pro ἐΦύρη caſu tertio recte cenſet legendum ἐΦύρη, ut ſit caſus primus, quod jam ante viſum fuerat *Porto*; p. 382 v. 10 auctoritate ſex MSS. & *Thucydidis* locis aliis adductus, eleganter pro ἀκούσας mavult ἀκούσιος; p. 437 v. 26 non inſulſe putat ἐΦορμαῖς ex quinque MSS. vulgatæ lectioni ἀΦορμαῖς præferendum, quod etiam *Valla* in ſuo exemplari legiſſe videtur; p. 508 v. 4 legendum eſſe ſatis erudite autumat Ἀλκαμένη pro Ἀλκαμένει, ſex MSS. ſuffragio ſuffultus. Quo majori autem religioni ſibi duxit Cl. *Dukerus* in ipſis, ut jam diximus, verbis *Thucydidis* ab *Hudſono* exhibitis quicquam mutare, eo graviores idem ſibi viſus eſt habe-

re rationes diſtinctionem *Hudſonianæ* Editionis minime raro mutandi dicam an emendandi. Idem quidem nonnunquam fecit Cl. *Waſſe*, ut patet ex p.396 v.10, p. 424 v.67, & locis aliis. Multo tamen hac in parte illo eſt frequentior & ſolicitior Doctiſſ. *Dukerus*, quam in rem præter cetera loca evolvi poſſunt p. 7 v.10, p. 66 v. 32, p. 179 v. 65, p.191 v. 41, p. 312 v. 60, & p.515 v. 39. Quod ad verſionem attinet, ea quidem, uti omnia, ex Editione *Hudſoniana*, in qua eſt *Æmilii Porti*, fuit retenta, ita tamen, ut e regione, non, ut in Oxonienſi, infra, poſita conſpiciatur, quod an iis, qui *Hudſoni* inſtitutum approbarunt, placiturum ſit, nos quidem affirmare non poſſumus. Quemadmodum vero *Hudſonus* eam ſibi exiſtimavit libertatem eſſe relictam, ut *Porti* verſionem paſſim emendaret, ſic idem ſibi crediderunt fas eſſe ac permiſſum Viri Cl. *Waſſe* & *Dukerus*. Ab illo id factum obſervavimus p. 27 v. 1, p. 267 v. 85 & p. 308 v. 97; hic vero hanc verſionem correxit p. 49 v. 41, p. 202 v. 39 & 45, & p. 339 v. 27. Dubitamus tamen, an idem Vir Cl. rem acu tetigerit, quando p. 440 v. 5 verba ἐκ τοῦ λειμῶνος τῆς ἐξετάσεως, quæ eſt vulgata lectio, aliter accipi poſſe negat, quam *recenſio, quæ fit in prato*, ratus, niſi nos omnia fallunt, præpoſitionem ἐκ non ad τοῦ λειμῶνος, ſed ad τῆς ἐξετάσεως pertinere. Quamobrem, addita cum quibusdam MSS. copula καὶ omnem tolli difficultatem arbitratur. Sed recte ſe habere videtur verſio *Porti*, *e prato, ubi recenſio fiebat*, cum præpoſitio ἐκ omnino referenda ſit ad τοῦ λειμῶνος, non, quod Vir Cl. putare videtur, ad τῆς ἐξετάσεως. Varias lectiones exemplarium ſcriptorum omnes *Hudſonianis* ſuis locis inſeruit Cl. Editor, revocatis etiam ad ſuas ſedes iis, quas ex *Clarend.* & *Gravian.* in appendicem conjecerat *Hudſonus*. Quarum etſi aliæ nihil niſi certiſſimi ſcribarum errores fuerunt, aliæ neque ad loca depravata emendanda, neque ad lucem obſcuris affundendam quicquam profuerunt, tamen, quia *Hudſonus* hanc rationem ingreſſus fuerat, ſibi ab illius inſtituto non recedendum, nec quicquam eorum, quæ ab aliis acceperat, omittendum putavit. Variis lectionibus ſubjecta ſunt Scholia Interpretum Græcorum itidem ex Editione

Oxonien-

Oxonienſi, in quibus parum aut omnino nihil immutatum. Atque in hæc ipſa Scholia poſt Librum VIII *Thucydidis* non tantum leguntur *H. Stephani* cum Proparaſceve & *Jo. Hudſoni* Emendationes & Annotationes, ſed iis inſuper etiam accedunt Cl. *Jo. Grammii* Caſtigationes, quas cum Cl. Editore communicavit Cel. *Jo. Alb. Fabricius*, & ipſius denique *Dukeri* Obſervationes, quæ maximam partem ortæ videntur ex Codicibus quibusdam manu exaratis. Baſileenſis vero Codicis variæ lectiones in Scholia itidem poſt teſtimonia de *Thucydide* locum invenerunt. Infimum cujusque paginæ & proximum a Scholiis locum occupant Annotationes Virorum doctiſſimorum, quorum princeps eſt nominandus *Henr. Stephanus*, cujus Obſervationes, cum nonnullæ in Oxonienſi Editione vel omiſſæ vel neglectæ fuerint, hic integræ ſiſtuntur, quemadmodum id ſatis dilucide intelligi poteſt ex p. 26 v. 75 & 77, p. 58 v. 68, p. 161 v. 93 p. 477 v. 11 &c. *Stephani* Animadverſionibus integris junctæ ſunt *Hudſoni* Obſervationes, quas ſuæ Editioni inſeruit, doctiſſimæ, quas tamen, quod ad frequentiam molemque attinet, longe ſuperant Cl. *Waſſe* nondum editæ in *Thucydidem* Commentationes, quarum pars aliqua, operis jam ad finem progreſſis, Præfationi inſerenda fuit. Plenæ ſunt eruditionis & ſatis accuratæ, nec tamen ita comparatæ, ut nulla indiguerint lima; quod cum ex multis poteſt locis perſpici, tum inprimis ex eo, quod Cl. *Dukerus* ſæpius eas ſibi duxerit vel emendandas vel notandas. Sic p. 51 v. 24 Cl. *Waſſe* recte exiſtimat legi διαδιδομένην, & *per manus traditum* interpretatur, cum contra Doct. *Dukerus* magis probet διδομένην, nec per manus traditum huc convenire putet; p. 68 v. 27 eundem Cl. Editor notavit, quod ἐκβοήσαντες defendit, rectius legi ratus ἐκβοηθήσαντες, quod ipſe etiam *Stephanus* jam cenſuerat præferendum; p. 281 v. 16 *Thucydidem* affirmat & ἀμαχητὶ & ἀμαχεὶ adhibere, qui tamen, ut recte annotavit Doctiſſ. *Dukerus*, ubique & in iis etiam locis omnibus, quæ ille in partes vocavit, poſuit ἀμαχεί; p. 240 v. 64 μεχρι ait in nullo legi Codice, ſed in omnibus μέχρις, cum tamen d. l. non minus

quam

Digitized by Google

quam p. 253 v. 14 ita habeant Codices *Caſſellanus* & *Grævianus*. Ejusdem generis illud eſt cenſendum, quando p. 125 v. 99 ſyntaxin illam, qua præſens vim futuri obtinet, in Hiſtoricis Græcis raram ſcribit avem eſſe; quae ſolide atque erudite quatuor exemplis refutavit Doctiſſ. *Dukerus*, qui ipſe in eo lapſus videtur, quod locum a *Waſſe* adductum ex *Æliani* V. H. dicit extare Lib. I Cap. 13, cum legatur Cap. 16. Interim teſtimoniis, a Viro Cl. productis, ſi placet, addi poteſt *Herodotus* Lib. I Cap. 112 & 126, *Lucianus* Dialog. Meretric. p. 538, & quæ ex *Xenophonte* collegit Cel. *Georg. Raphelius* ad Matth. XVII, 11. Alia, quæ a Cl. *Dukero* paſſim vel relicta fuerunt vel confutata, ut proferamus, præſentis non eſt inſtituti; illud vero non poſſumus præterire, quod Cl. *Waſſe*, ſtatim p. 2 v. 1, *Thucydidem* nunquam ait dixiſſe ξυνέγραψα, ſed ſemper in tertia perſona ξυνέγραψε, quæ quo minus vera credamus, obſtat locus p. 19 v. 80, διότι δ' ἔλυσαν, τὰς αἰτίας ἔγραψα πρῶτον. Ubi etiamſi in quibusdam Codicibus eſt προέγραφα, omnes tamen mirabili conſenſu præ ſe ferunt primam verbi, non tertiam perſonam, quod a Cl. *Dukero* non notatum fuiſſe, eſt, quod miremur. Add. p. 64 v. 72. Perperam etiam Cl. *Waſſe* p. 71 v. 15 rejicit ὑπὸ βασιλέως, illudque tres Codices, quibus alii in variis lectionibus & optimæ quæque Editiones, teſte *Hudſono*, adſtipulantur, perperam habere putat, βασιλεῖ, quod vulgo legitur, retento. Nec Doctiſſ. *Dukerus*, quod moneret, habuit, niſi quod cum Codice Caſſellano malit accuſativum βασιλέα. Sed nullam nobis videntur cauſam aliam Viri Cl. habuiſſe, cur contra MSS. genitivum rejicerent, niſi quod uſus præpoſitionis ὑπὸ ſecundo caſui junctæ, quo idem valet, quod Latinum *ſub*, parum ipſis cognitus fuit ac perſpectus. Ne cui ergo in poſterum de hoc vocabuli ὑπὸ ſignificatu dubium ſit, aſſidua quædam Auctorum loca in medium afferemus. Sic *Lyſias* Orat. X p. 138: Εβδομήκοντα δ' ἐτῶν ὢν ὑπ' ὀλιγαρχίας ἐτελεύτησε. Idem Orat. XVII p. 291: Υπὸ τῶν τριάκοντα κώνειον πιόντες. *Diog. Laertius* Lib. X ſegm. 1 p. 603: τῶν Αθηναίων ἐκπεσόντων ὑπὸ Περδίκκου. Cum igitur particula ὑπὸ non minus ſecundo, quam tertio & quarto caſui

ſui juncta hanc obtineat notionem, cur h. l. genitivus ex MSS. & Edit. recipi nec poſſit nec debeat, rationem, quæ obſtet, videmus nullam. Quæ tamen non magis ad laudem Viri Cl. extenuandam, & gloriam, quam hac doctiſſima opera ſibi comparavit, minuendam prolata a nobis & annotata ſunt judicis non fucati partes agentibus, quam illa, quæ Cl. *Dukerus* in ejus Obſervationibus confutanda ſibi veritatis ſtudio ductus exiſtimavit. Quod denique ad Cl. *Dukeri* Annotationes attinet, cujus omnes ſunt illæ, quæ nullo nomine adjecto cernuntur, iſtæ quidem tanto ſunt eruditionis apparatu tantaque accuratione conſcriptæ, ut, quod jure quodam in iis reprehendatur, vix ac ne vix quidem reperiatur. Licet enim Vir Doctiſſ. quæ eſt ejus humanitas ſingularisque modeſtia, ea, quæ ſcripſerit, tironibus tantum dicat, lectionem *Thucydidis* primum aggredientibus, non inutilia fore, doctis, quibus meliora domi naſcantur, nihil profutura, tamen ſalva veritate videmur affirmare poſſe, ex doctiſſimis ejus Obſervationibus tirones non plus utilitatis, quam eruditos voluptatis, percepturos eſſe. Siquidem infinitis pæne locis vel ex MSS. vel ex antiquitate, vel ex genio linguæ, vel ex hiſtoria lucem attulit clariſſimam, ita, ut quæ antea minus poterant intelligi, jam poſſint ſine ulla offenſione percipi. Si quis vero locus ita corruptus fuit & ſpinoſus, ut, omni licet adhibita induſtria, nullus tamen ex eo ſenſus eliceretur, qui ſe ſua probabilitate tueretur, pro ea, quae ipſi eſt propria, integritate ingenue fatetur, ſententiam a ſe non eſſe perceptam. Cui rei documento eſſe poſſunt, quæ leguntur p. 259 v. 58, p. 281 v. 17, & p. 468 v. 93. Quemadmodum autem Vir Doctiſſ. iis ſe gratiam affirmat debiturum eſſe, a quibus, quæ vel ignoraverit, vel parum recte ſcripſerit, edoceatur, ſic nos hac ejus ingenuitate non tam freti, quam provocati potius, ad loca quædam difficiliora conjecturas quasdam leviores forſitan, quæ nobis, rem altius cogitantibus, in mentem venerunt, proferemus. P. 123 v. 58 lectionem vulgarem tolerari poſſe exiſtimamus, ſi καὶ ante παθεῖν exponatur per *vel* aut *etiam*, & locus ita vertatur: *Et in eo ipſo, dum hoſtem propulſant, vel*

*quævis pati ſatius duxerunt, quam eo, dum ſe dedunt cedduntque, ſalutem ſibi parare.* P. 274 v. 32 Vir Cl. *Portum* ſecutus ἀνακόλουθον eſſe putat, cum poſt δοκεῖτε minus recte nominativus adjici poſſit infinitivis. Nec id quidem falſo. Non tamen h. l. neceſſe videtur, ut ἀνακόλουθον ſine ullo veterum exemplo ſimili ſtatuamus, ſi verbum δοκεῖτε non habeatur pro ſecunda plurali, ſed pro tertia ſingulari cum adjecta particula τε, ſcribaturque δοκεῖ τε, & ſuppleatur pronomen ὑμῖν hoc ſenſu: *An non vobis videtur pax bello potior eſſe?* &c. P. 359 v. 73 Vir Doct. verba καθ' ἑκάϛους τε καὶ μετὰ τῶν πολεμικῶν νόμων varie verti ab Interpretibus obſervat. Ipſe locum cenſet perplexa ſtructura orationis obſcuriſſimum, qui tamen nihil videtur obſcuritatis continere, ſi ultima reddas, *cum cantibus bellicis*, vel *per cantus bellicos*; quod confirmare videntur ea, quæ ſequuntur v. 82: ὑπὸ αὐλητῶν πολλῶν νόμῳ ἐγκαθεϛώτων. Duplicem enim memorat autor Lacedæmoniorum cohortationem, alteram privatam quaſi, qua ſinguli ſe ſingulos mutuo excitarunt, alteram omnibus communem ac publicam, quæ fiebat per cantus bellicos. P. 531 v. 97 miramur Virum Doctiſſ. deſiderare loca ſcriptorum, qui poſt comparativum particulam ἤ omiſerint, cum hujus ellipſeos exempla jam annotaverit Cl. *Lamb. Bos* p. 400 edit. noviſſ. Sed hæc omnia uti nulla alia de cauſa a nobis allata fuerunt, niſi ut Viro Celeb. & occaſionem hæc & reliqua, nondum ſatis illuſtrata, *Thucydidis* loca iterum iterumque penſitandi ſuppeditaremus, & noſtram, qua ipſum colimus, obſervantiam etiam atque etiam demonſtraremus, ſic nullus nobis dubitandi locus relinquitur, quin pro inuſitata ſua humanitate omnia ſit æqui boni facturus. Annotationes autem in Scholia, quæ, ut docuimus, poſt librum VIII *Thucydidis* leguntur, excipiunt Addenda & Emendanda, in quibus etiam locus datus eſt longioribus quibusdam *Henr. Stephani* & Cl. *Waſſe*, nec non parvis quibusdam *Spanhemii*, *Hudſoni* & Cl. *Grammii* Animadverſionibus, quibus itidem ſuas adſperſit Doctiſſ. *Dukerus*. Præter tres Indices, qui jam habentur in Oxonienſi, ita emendatos, ut addita alia, alia detracta,

tracta, alia denique mutata reperiantur, accedunt quatuor alii locupletiſſimi, quorum tres ipſe Cl. Editor confecit, Græcum nimirum & Latinum rerum, vocum ac phraſium, de quibus in Annotationibus agitur, & tertium denique Scriptorum veterum, qui in iisdem Annotationibus emendantur vel illuſtrantur. Quartum vero copioſiſſimum vocum & phraſium, in Hiſtoria *Thucydidis* occurrentium, & notatu dignarum; quem jam inſtituerat Cl. *Waſſe*, ad umbilicum perduxit atque in meliorem ordinem redegit juvenis quidam, *Jacobus Wallis.* His denique omnibus coronidis loco addita eſt ea pars Annalium *Thucydideorum* Doctiſſ. *Dodwelli*, quæ ad hiſtoriam belli Peloponneſiaci pertinet, reliquis præpoſtero & pœnitendo Cl. Editoris conſilio omiſſis. Sicuti vero hæc ipſa Editio Oxonienſi & Annotationum amplitudine & emendationis elegantia longiſſime antecedit, ita bibliopolæ nihil prætermiſerunt, quo eidem ſplendorem quendam & gratiam conciliari poſſe crediderunt, ita ut nullum ſit dubium, quin eruditi, gratiſſimam hanc ſibi editionem eſſe, communi ſint plauſu comprobaturi.

*POETÆ LATINI MINORES; GRATII FALISCI Cynegeticon, M. AURELII OLYMPII NEMESIANI Cynegeticon, & ejusdem Eclogæ IV, T. CALPURNII SICULI Eclogæ VII, CLAUDII RUTILII NUMATIANI Iter, Q. SERENUS SAMONICUS de Medicina, VINDICIANUS ſ. MARCELLUS de Medicina, Q. RHEMNIUS FANNIUS PALÆMON de Ponderibus & Menſuris, & SULPICIÆ Satyra; cum integris doctorum Virorum Notis & quorundam Excerptis, curante PETRO BURMANNO, qui & ſuas adjecit Annotationes.*

*Tomi II.*

Leidæ, apud Conr. Wishoff & Dan. Gœdval, 1731, 4.

Alph. 7 pl. 21.

PRæfatio Viri Cl. *Petri Burmanni* bene longa initio hiſtoriam habet nuperæ Venaticorum Poetarum Editionis, qualem ab ipſo expectare fas erat, qui & peſſime adminiſtratam eam provinciam, & ſe, qui eam ornandam olim ſuſcepiſſet, gravi affectum injuria, arbitretur. Noſtrum non eſt, referre crimina quorum veritatem falſitatemque juxta habent Lectores noſtri, qui præſertim laudes bonorum virorum his chartis propagare malimus. Hoc tamen ad hiſtoriam literarum pertinet, Cl. *Havercampum* haberi pro nuperæ Editionis adjutore, qui ſuppeditarit *Ed. Bruceo*, adoleſcentulo Anglo, quæ pro ſuis hic venditaverit. Itaque poſt hujus profectionem, (a verſu *Gratii* 284) cum puderet virum notarum, quæ in nomen adoleſcentuli jam dari non poſſent, præter varias lectiones quarundam Editionum nihil adjeciſſe. Hinc in bibliopolas ſtomachatur Cl. *Burmannus intolerabilemque eorum importunitatem, regnumque* commemorat *ac tyrannidem*, quam non in eruditos modo uſurpent, ſed, qui eorum magnarii ſint, in ſui gregis minutiores tabernarios exerceant. Longa eſt injuria, de qua queritur Vir Cl. Potius itaque ad præcipuam Præfationis partem tranſimus, in qua, more ſuo, tum de Scriptoribus ipſis, tum de his agit, qui ante ſe aliquid ad eos ornandos contulere. Ita primum Editorem *Gratii*, *Ge. Lagum*, oſtendit eſſe ex illuſtri *Logaviorum* in Sileſia gente ortum, & plura ſcitu digna de illo profert. Plane jucunda eſt hæc pars Præfationis, & obſervationum ad augendam literarum hiſtoriam pleniſſima. Sperare poterant ſuo jure homines, fore, ut promiſſa olim *Catalecta Poetarum*, *Scaligeri* & *Pithœi* curis edita, multisque Poematiis, ineditis ad hunc diem, aucta, prodire a ſe *Heinſio*que illuſtrata vel cum his Poetis juberet, (& fuerint forte, qui alterum Tomum Catalectis impleri, quam his, quos jam habet, maluiſſent,) vel paullo poſt certe emitteret. Sed differt nos denuo, dum *Virgilium* a ſe exornatum *Heinſianis* pariter ac ſuis lucubrationibus dederit, quod quidem egregium munus futurum, nihil dubitamus, & Viro doctiſſimo vel hoc nomine crudam viridemque & ſolutam curis aliis ſenectam optamus. De ipſo porro Opere non poſtulant

ſtulant Lectores, ut rationem omnium reddamus. Indicare ſufficit, adjectas eſſe, ut in cæteris Autoribus, ſtudio Viri Cl. proditis, Notas omnes, quibus adhuc comitati in lucem prodierant, niſi quod *Almeloveenii* & *Grævii* paucas ad *Rutilium* obſervationes omiſit, ne quam injuriam bibliopolis videretur feciſſe: ipſum autem larga manu ſuas Animadverſiones & variarum lectionum bonam copiam adjeciſſe. De ipſius Viri Clar. Notis hoc videbamur nobis obſervare, ipſam indignationem vigoris aliquid addidiſſe Viro, quanquam absque illis etiam ſtimulis præclariſſime & ſæpiſſime in hac palæſtra verſato, ut nobis daret Notas quantivis pretii, easque copioſas, & magnam vim præſtantiſſimarum obſervationum, linguæ Latinæ & poeſi ſervientium, complexas. E. g. ad *Gratii* v. 2 *prius omnis in armis ſpes fuit*, oſtendit, non *arma*, ſed *armos* hominum eſſe intelligendos. Qui ſint v. 4 *inconſulti homines*, declarat, nimirum, qui neque conſilia inire, nec audire poſſunt. Ad v. 8 de affinitate & diſtinctione verborum *continuus* & *contiguus* diſputat, & poſterius modo hic locum habere demonſtrat. V. 16 pro vulgato, *adſcivere tuo comites ſub nomine divæ*, conjicit legendum, *acceſſere*, idque verbum proprie de iis dici oſtendit, qui ſub aliquo militaturi veniunt. V. 17 vulgata lectio eſt: *Centum omnes nemorum, centum de fontibus omnes Naiades*. Codex *Thuaneus* habet: *Centum omnes venior, ſumentes de fontibus &c.* Inde emendat Cl. *Burmannus*: *Centum omnes nemorum humentes de fontibus*, & verba prope omnia hujus verſus de inexhauſta penu ſua illuſtrat. V. 19 *Manalium puerum* Ariſtæum intelligit *Titius*; *Barthius* Bacchum; ſive Pana ſeu Faunum *Ulitius*; Cl. *Burmannus* autem Mercurium. V. 22 deſperatæ ſanitatis locum ita ex ingenio emendat: *Noſtram defendere ſortem contra mille feras, duri certaminis uſu, carmine, & arma dabo &c.* quod ita explicat: *Dabo carmine*, i. e. docebo, monſtrabo, defendere noſtram ſortem uſu venationis; ſubjungit autem ſapienter: *Sed hoc eſt hariolari & veriora prodenti lubens cedam.* Similem modeſtiam paſſim videas a veterano Critico adhiberi ad v. 93, 110, 113, quam utinam ſervarent, qui longe infra illius vel

ingenium vel doctrinam atque uſum harum rerum ſubſidunt. Scilicet etiam hic ἡ μὲν ἀμαθία θράσος, ὁ δὲ λογισμὸς ὄκνον φέρει. Quam eleganti metaphora *fides*, *fidelis*, de inanimatis, quæ ſpem non fallunt, adhibeatur, docet ad v. 52. Ad v. 55 excidit aliquid nuperis Editoribus, quod longiſſimam nobis falſiſſimamque Cl. *Burmanno* Notam peperit. Pro vulgato *Illa* (retia) *vel ad flatus Helices oppande ſerenæ*, neſcio quo malo genio Critico impulſi legi voluerunt *Phœnices*. Facile eſt ad exiſtimandum, quid hic per tres paginas diſputaverit *Burmannus* irritatus. Minatur etiam per hanc occaſionem, *ſe ſpecimina peritiæ metricæ in Lucretio nuper edita orbi literato quondam non inviſurum.* Ne putemus autem ſtomachari modo virum Cl. non in Præfatione tantum paſſim laudat Viros egregios, *Fabricium*, *Wolfium*, *d'Orvillium*, *Wallium*, *Vlamingium*, ſed inprimis elegans elogium magni *Bœrhavii* intexuit notæ ad v. 131 de quo ait: *Omnia, quæ tractare voluit, inter manus ſuas ſplendeſcere, & politiora exire videt &c.* Licetne hic adjicere unam atque item alteram noſtrarum cogitationum? Certatim damnant viri docti, ipſe etiam *Burmannus*, ultimam vocem in his verſibus 70 & 71, qui de Hercule agunt,

*Quem mare, quem tellus, quem præceps janua Ditis,*
*Omnia tentantem, qua laus erat obvia, paſſi,*

& varia comminiſcuntur remedia. Sed quid ſi per Syneſin referatur *paſſi* ad Ditem Neptunumque, ut in illo *Livii: Latium Capuaque agro mulctati?* V. 92 ſq.

*Quid? qui dentatas iligno robore clauſit*
*Venator pedicas? cum diſſimulantibus armis*
*Sæpe habet imprudens alieni lucra laboris.*

Apparet virum doctiſſimum hic aliquantum æſtuare, neque diſſimulat; ſubjicit enim ſuæ explicationi verba modeſtiæ plena: *Vellem hæc magis illuſtrari ingenio aliorum.* De hoc non eſt dubium, *diſſimulantia arma* eſſe latentia, itemque illud, *alieni lucra laboris*, eſſe feram ab aliis forte excitatam exagitatamque. Sed illud *imprudens* eo adegit Virum doctiſſimum, uti pedicas comminiſceretur, ita poſitas, ut, ſi incideret in illas fera, clauderetur ligno quodam ſuper feram cadente, ita

ita ut alius præteriens neſciret ſub illo, in pedica, feram jacere captam. Quanto ſimplicius eſt *imprudentem* dici venatorem, qui, poſtquam poſuit pedicas, forte domi dormit, reliquum opus peragente fortuna. Sed manum de tabula.

## *HERMANNI VENEMA DISSERTATIONUM ſacrarum Libri tres, in quibus de rebus varii & ſelecti argumenti libere diſputatur, ac nova vel uberior lux tum illis, tum multis Scripturæ locis infunditur.*

Harlingæ, ex officina Folkert Janſz van der Plaats, 1731, 4.
Alph. 3 pl. 17.

QUi in Oraculis Veteris Teſtamenti enarrandis ita, ut antiquorum inde credentium religio, & ipſa per ſe, & ejusdem cum Chriſti doctrinis convenientia, lucem uberiorem, ac firmiora capiat præſidia, pro eo, atque decet, verſantur, ii, tantum abeſt, ut inutilem, eoque culpandum nomine, laborem ſuſcipere, ut de orbe potius Chriſtiano pariter & erudito præclare inſigniterque mereri, jure ac merito ſint cenſendi. Horum in numero præſentium lucubrationum Autor doctiſſimus quousque habendus ſit, cum illæ ipſæ haud parum luculenter declarant, tum ex hac earum recenſione, quam nos, more noſtro, daturi ſumus, perſpicuum erit. Conſtituunt illæ Diſſertationes Theologicas, quæ tribus abſolvuntur libris: eorum primus duodecim, alter viginti, & tertius novem exhibet Capita.

*Lib. I Cap. I de Faciei & Poſteriorum Dei ad Exod. XXXIII, 18—23, myſtico intellectu* inſcribitur. Ubi quidem *Facies Dei* divinam naturam, eamque & in ſe ſpectatam, & ad opera divina relatam, ex Cl. Autoris ſententia, ſignificat: at *Poſteriora Dei* Oeconomiam N. T. Evangelicam indicare, idem contendit. Appellat teſtes hos locos, *Exod. XXIII, 19, XXIV, 6, 7, 2 Cor. III, 18*, reliquasque & occaſionis & ſcopi, *Exod. XXIII, 13*, circumſtantias, ipſamque materiam lucidam, fulgentem, candentemque advocat in præſidium. Ejusdem Libri Cap. II *glorio-*

p. 1—21

22—39

Digitized by Google

*glorioſam Moſis Faciem*, *Exod. XXXIV*, *29–30*, conſiderandam proponit. Atque hæc a poſteriorum Dei contemplatione coorta videtur. Dubio caret, vocem קרן inter varias, quas obtinet, explicationes, *cornu* etiam denotare: ea vero hic non invenit locum. Errant, qui Moſen depictum vident in veterum, ſive Deorum, ſive Heroum, cornibus. Solis potius ac Lunæ imago in Deorum fuit cornibus depicta. Etenim certum eſt, Solem in Jove Hammone, Oſiride, & Tyriorum Hercule, Græcorumque Apolline, cultum. At cornua Bacchi, quem Διόνυσον, Φάνητα, nec non οὐροτάλτ appellarunt veteres, tum a Sole, tum ab antiquis poculis, quae ex cornibus fiebant, orta. In Diana vero atque Iſide Lunam profana gens eſt venerata. Ad Regum Heroumque Cornua quod attinet, ea non tam potentiæ ac majeſtatis, quam divinæ originis, fuerunt documenta: quem in numerum Alexandri M. Lyſimachi, Ptolomæorum, Seleuci, aliorumque, cornua referri debent. Verum hæc quoquo modo ſe habeant, id unum perſpicuum, lucem ad coronæ modum Moſis cinxiſſe faciem, & inſtar ignis vel Solis fulſiſſe atque vibraſſe radios. Sententiam firmat ea vocis קרן notio, qua *fulgorem* deſignat: in quam cum cura inquiritur. Ea coruſcatio, quæ Moſi, tertia vice Deum in monte adeunti, ibidemque per quadraginta ipſos dies commoranti, accidit, ultra promulgatæ legis intervallum vix perduravit. Iſraelitæ, ſplendorem non ſuſtinentes, vim peccati hac ipſa ſenſerunt ratione. Moſes vero ſuæ ipſemet gloriæ
p. 39 – 58 expers erat, ne elatos inde ſpiritus caperet. *Cap. III* de *Finibus litteralis gloriæ Moſis conſpectus* agit, traditque, hanc hiſtoriam manifeſtationi Dei in monte Sinai omni ex parte reſpondere; id quod primum ex conciliatione Dei cum populo, deinde ex circumſtantiarum, quæ inter ſe conferuntur, idonea conſenſione, ac denique ex *2 Cor. III*, *Hebr. XII*, *18*, aliisque ſacris demonſtratur oraculis. Fines ipſi ſplendentis Moſis vultus hi erant: 1) ut Moſes tanquam fidelis Dei miniſter a populo ſuſpiceretur, 2) ut reverentia, obſequium ac metus eidem incuteretur, 3) ut natura Oeconomiæ antiquæ ante oculos poneretur: quæ res debitis rationum momentis firmata,

firmata, pluribus verbis explicatur. *Cap. IV, V* atque *VI* p. 59 85
*Glorioſæ Faciei & Oeconomiæ Legalis ſenſus myſticus* exhibetur.
Et quidem Caput *quartum* oſtendit, ſplendentem Moſis vultum gratiam atque ſpiritum repræſentaſſe; tum vero munera
fœderis gratiæ ſigillatim commemorat. At Caput, quod conſequitur, *quintum* omnem veteris œconomiæ gratiam ab 85–114
Evangelio derivat, & urget, atque adeo flagitat, non niſi unum, idemque novum, eſſe gratiæ Teſtamentum: contra quam *Coccejus*, ejusque hæreſi faventes, opinantur, qui tria excogitarunt Teſtamenta. Noſter vero cum *Sam. Hubero, Vitringa* Patre, ac *Nic. Shiere*, quos honoris cauſa excitat, mavult facere, atque unicum admittere Teſtamentum, cujus duæ
ſint diſpenſationes, *anticipata* nimirum, ac *vera*. In *ſexto* 115–140
Capite docetur, quemadmodum in legali œconomia gratia & lex amico quondam fœdere ſociatæ fuerint. His dictis, utriusque œconomiæ differentia, eaque gradualis potiſſimum, conſtituitur, ex qua, diſtincte primum deſcripta, nonnullis Scripturæ locis aliqua lux affunditur, adjuncta ſub calcem typica glorioſæ faciei interpretatione, cujus huc redit ſumma, eum Moſis conſpectum credentium novi Teſtamenti egregium exhibuiſſe typum, teſte loco *2 Cor. III, 18.* Prope-
ramus ad *Cap VII,* ubi *Velaminis Moſis litteralis ſenſus* expo- 141–160
nitur. Voce מסוה critice & , quantum ſatis eſt, enucleata, tempus ſumti velaminis dicitur. Moſes initio cum Aarone ac Senioribus ſine velo ſociavit ſermones, cum populo vero, radios non ferente, ab ipſo legis latæ principio ad ejus usque finem, velatus egit. Quæ ſententia probatur, & vindicata ornatur. Tria, quæ ſequuntur, Capita *Senſum velaminis myſti-*
*cum* declarant, ita quidem, ut VIII evincatur, illud *Judæo-* 161–172
*rum* repræſentaſſe *præjudicia*, *IX* vero ipſæ *hæ præſumtæ opi-* 172–188
*niones cum velamine* comparentur, ac X de *origine veli*, in- 189–204
firmitati unice populi attribuenda, nec non *de ſtatu tenebrarum*, quem illud adumbravit, agatur. Ultima duo hujus Libri Capita conſiderationi *faciei Moſis retectæ, Exod. XXXIV, 34, 35*, deſtinata ſunt. Hanc nimirum univerſalis Judæorum in ultimis diebus futuræ converſionis præclarum geſſiſſe ſymbolum

p. 205–231 bolum, Cap. XI docetur. Hujus ejusdem ſententiæ, ne plane nova videatur, alii, iique non ſpernendi, adducuntur patroni, uſitata, ex quibus illa probatur, loca convelluntur, hæcque inprimis, *Rom. XI, 25 ſeqq. Matth. XXIII, 39, XXIV, 30, Luc. II, 24*, coll. *Luc. II, 5. Matth. X, 23, Pſalm. XIV, 7, LXIX, 36, LXXVII* ac *LXXXV*, *Jeſ. VI, 13*, *LIX, 20*, ut & utrumque *Cap. LXIII & LXIV* integrum, *Hoſ. III, 5. Zach. XII, 10*, commendantur, tanquam magnam ad probandum vim habentia. Ex typis etiam, aliisque rationibus, idem confirmatur myſte-
232–245 rium. Id enim vero ultimo tandem eoque *XII Capite* ex emblemate faciei retectæ & demonſtratur & illuminatur. Ipſi autem rei ex *2 Cor. III, 16*, ſecus, atque vulgo ſolet, explanato, additur pondus. Nomen Moſis remotius v. 13 ad hoc pertinet comma, & de eodem in protaſi typica exponi debet. At idem quoque comma, perinde ut 13, in apodoſi antitypica ad gentem Iſrael eſt referendum, hoc ſenſu: *Cum* Iſrael *ad Deum redierit*, *tolletur velum*, & per ipſam auferetur converſionem.

246–254 *Lib. II Cap. I de Fœdere Externo* V. T. diſſeritur. Et quidem Oeconomiæ Legalis ſeu Moſaicæ triplex conſtituitur conſpectus, *litteralis* ſive carnalis, populumque Judaicum a ceteris gentibus diſcernens, *moralis*, vim peccati inculcans, & *myſticus*, bona per Meſſiam ſuo tempore paranda repræſentans. Hinc & eidem œconomiæ triplex aſſignatus ſenſus, *hiſtoricus* ſeu litteralis, *moralis*, atque *myſticus*. Externum fœ-
255–266 dus ſoli veteri Teſtamento proprium, *Cap. II* ex numero Teſtamentorum binario, ac bonorum diverſitate, nec non ex con-
267–284 ditione Iſraelitarum mercenaria, *Cap. III* ex finibus œconomiæ
285–296 legalis, *Cap. IV* ex perſona Dei, & indole Iſraelitarum fœde-
297–306 ratorum, *Cap. V* ex bonis externis, *Cap. VI* ex literali legum
306–327 Moſaicarum obſervantia, *Cap. VII* ex litteralibus earundem
328–354 rationibus evincitur, & *Cap. VIII* adverſus aliquas objectiones
355–359 vindicatur. Tum vero *Cap. IX* differentiam utriusque œco-
359–375 nomiæ, quantum ad *externa bona & leges*, ob oculos ponit,
376–400 *Cap. X & XI externam* cæremonialem *ſanctitatem* a N. T. abeſſe docet. His explanatis, ad eandem exteriorem fœderis

gratiæ

gratiæ faciem delineandam a *Cap. XII* ad *XVI* variæ quæſtio- p. 400–443
nes Theologicæ de Sacramentis N. T. Baptiſmo & Euchariſtia,
ſub examen revocantur, cui Judam proditorem interfuiſſe,
*Cap. XVII* omnino negat. Utilitatem ex fœderis manifeſtatione 444–452
externa in hypocritas redundare nullam, cum allegata paſſim
urgent Capita, tum *Cap. XVIII* usque ad *XX*, idemque hujus 453–492
quidem Libri ultimum, acriter contendit.

*Lib. III Cap. I. Infantum in parentibus fidelibus ſtatum* 493–511
*gratiæ relativum* exponit. Primo quidem loco variis funda-
mentis, quibus infantum ſalus ſuperſtrui ſolet, examinatis,
poſtquam de eorum electione ac regeneratione actum eſt,
deinde *Cap. II* reliqua uſitata momenta, Baptiſmus, fœdus, 511–522
Eccleſia, majoresque, refutantur, hinc vero *Cap. III* aſſumta 523–533
hypotheſis, quæ relativo liberorum in parentibus fidelibus
ſtatui eorum beatitatem attribuit, explicatur, & denique *Cap.* 534–546
*IV* ex variis rationibus, ut ſanctitate ac juſtitia Dei, macula
originali, promiſſoque Dei, *Cap. V* ex *1 Cor. VII, 14*, directe 546–557
probatur, conjugii ſanctorum ſpirituali ad Chriſtum relatio-
ne, ac ſanctitate relativa, *Cap. VI* in ſubſidium vocata. Re- 558–580
ſtant tria Capita, quæ Syſtema antiquorum Patrum de Eccle-
ſia evolutum exhibent: *VII* Eccleſiam in genere, *VIII* Ec- 581–599
cleſiam externam ab interna non diſtinctam, ac *IX* naturam 600 616
unitatis Eccleſiæ, ex veterum mente, proponit. Explicit ipſum 616–638
Opus. Triplex additur Index, primus loca Scripturæ, alter
voces Hebraicas Græcasque, ac tertius res continet præcipuas.

Jam eo, quem nobis ipſi deſtinavimus, defuncti ſumus labore. Quibus ſtudium Exegeticum curæ cordique eſt, iis, cum in ipſa orationis connexione, tum in ſubjectis Notis, varia profana, quæ excitantur, placebunt loca. Ubivis etiam notatu digna verendorum Patrum adducuntur oracula. Addimus, juſtum quoque pretium, myſtico ſenſui, quem modo *ſpiritualem*, modo *noeticum* hic appellari reperimus, utique ſtatuendum, ex iisdem poſſe libris addiſci. Reliquum eſt, ut nemini non hæcce lecturo revocemus in memoriam, noſtri non ferre rationem inſtituti, ut rerum dogmaticarum in medium hic allatarum præſtemus veritatem.

## Hiſtoriſche und Theologiſche Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der Evangeliſch-Lutheriſchen Kirchen ꝛc.

h. e.

## *INTRODUCTIO HISTORICO-THEOLOGICA ad Religionis Controverſias Evangelico-Lutheranæ Eccleſiæ, a Reformatione ad noſtra usque tempora deducta, atque edita a JOANNE GEORGIO WALCHIO, Theol. D. & P. P. O. in Academia Jenenſi.*

## *Partes III.*

Jenæ, ſumtibus viduæ Mayeri, 1730. 8.
Alph. 8 pl. 12.

INter ea ſcripta, quæ controverſiarum, in Eccleſia noſtra hinc inde agitatarum, hiſtoriam continent, palmam obtinet Opus hoc doctiſſimum. Summe enim reverendus & quam plurimis ingenii ac eruditionis monumentis celeberrimus Autor, qui omnibus ſubſidiis atque fide digniſſimis documentis, ad hoc Opus conſignandum neceſſariis, fuit inſtructus, ubique ſolidam rerum Theologicarum ſcientiam demonſtravit, ordine concinno controverſias pertractavit, & denique inſignem prudentiam, dexteritatem, moderationem & exquiſitam in dijudicandis controverſiis ἀκρίβειαν adhibuit. Tribus ipſa univerſi Operis tractatio abſolvitur Partibus, & quinque Capitibus. *Parte I Cap. I* agitur *de indole Eccleſiæ Evangelico-Lutheranæ*, ita quidem, ut contra Pontificiorum φλυαρίας evincatur, Eccleſiam Evangelico-Lutheranam nullo modo novam, ſed potius renovatam eſſe dicendam, eamque renovationem factam eſſe per Reformationem, a *Luthero* ſuſceptam, cujus aſſeritur neceſſitas, indoles & ſufficientia, ſimulque, hanc reformationis ſufficientiam adverſus eos, qui objiciant, reliquias Papatus in noſtra Eccleſia reperiri, ſolide vindicari poſſe, demonſtratur. Facta vero eodem Reformationis tempore Reformatorum a noſtra

ſtra Eccleſia ſeceſſione, oſtendit S. R. Autor librorum Symbolicorum conſignationis neceſſitatem, inſtituitque horum Symbolorum non ſolum recenſionem, ſed & eorum occaſionem, contenta atque ſcopum ſuccincte tradit, ac denique obſervat, dogmata in Symbolis noſtris aſſerta & vindicata duplici modo, vel in ſe, vel reſpectu adverſariorum conſiderari poſſe. Licet autem Deus per Reformationem fidei veritatem Eccleſiæ noſtræ ex ſpiſſiſſimis Romanenſium tenebris in lucem protulerit claram; plurima tamen ab ipſis noſtratibus Theologis mota fuere certamina. Hinc *Cap. II* tractatur *de controverſiis, quæ in noſtra Eccleſia a beati Lutheri morte ad Formulæ Concordiæ conſignationem usque fuerunt excitatæ.* Quo in negotio S. R. Autor ita eſt verſatus, ut cujusvis controverſiæ hiſtoriam, occaſionem, autores, adeoque ejus originem, progreſſum ac finem accurate deſcripſerit, nec non hac occaſione ſimul præſtantiſſimorum virorum vitas ſuccincte delineaverit. Primo itaque loco memoratur Crypto-Calviniſmus, atque monſtratur, *Philippum Melanchthonem* nimia ſua lenitate nimioque erga *Zwinglianos* favore hujus mali cauſam exſtitiſſe præcipuam. Deinde *Synergiſmi & Flacianiſmi* recenſetur hiſtoria, præcipuique ejusmodi erroris aſſeclæ ac patroni enumerantur. Cui ſuccedit *Oſiandriſmus.* Quem excipit error *Franciſci Stancari*, qui dum *Oſiandro*, hominem non per imputatam Chriſti juſtitiam, ſed per eſſentialem Dei juſtitiam juſtificari aſſerenti, obviam ire vellet, ſtatuit, Chriſtum non qua divinam, ſed ſolum qua humanam naturam eſſe mediatorem. Hunc ſequitur certamen, *Georgium Majorem* inter & *Nicolaum Amsdorffium* exortum. Cum enim ille bonorum operum ad ſalutem neceſſitatem adſtrueret; hic, in alterum delapſus extremum, affirmavit, bona opera ad ſalutem eſſe pernicioſa. Porro antinomorum narratur hiſtoria. Agmen denique claudunt controverſiæ Interimiſticæ. Quo vero Eccleſiæ, hiſce motibus turbatæ, quies & tranquillitas reſtitueretur, *Formula Concordiæ* fuit conſignata. Itaque Autor S. R. *Cap. III* agit *de controverſiis, ob Formulæ Concordiæ conſignationem & receptionem exortis.* Prius vero, quam Formula Concordiæ



Digitized by Google

conſignaretur, varios conventus fuiſſe inſtitutos indicatur, usque dum A. 1580 una cum reliquis Symbolis lingua Germanica fuerit publicata. Exhibentur deinde contenta & ſcopus Formulæ Concordiæ. Tandem controverſiæ adducuntur, de receptione & non receptione ejusdem agitatæ, ſimulque autores laudantur, qui variis ſcriptis eam ab adverſariorum inſultibus vindicaverunt. *Cap. IV de controverſiis, ab initio ſeculi XVII usque ad finem illius ortis, præcipue Syncretiſticis*, tractatur. Primo quidem leviores quædam attinguntur controverſiæ; dehinc autem graviora narrantur certamina, inter quæ primum obtinet locum *Huberianiſmus*. Poſtea ſequuntur controverſiæ, inter Tubingenſes atque Gieſſenſes agitatæ Theologos, de omnipræſentia Dei, & illius origine, de fundamento omnipræſentiæ Chriſti ſecundum humanam naturam &c. Quas ſubſecuta ſunt certamina Helmſtadienſia, auctoribus *Daniele Hoffmanno* & *Baſilio Sattlero*. Præ ceteris tamen notandæ ſunt controverſiæ *Syncretiſticæ*, a *Georgio Calixto* motæ, atque magna animorum commotione agitatæ. In harum accurata delineatione referuntur tum qui *Calixti* veſtigia preſſerunt, tum qui *Calixto* eique adhærentibus ſeſe oppoſuerunt: ubi & mentio injicitur Reſponſi ſolidiſſimi & valde moderati, a *Salomone Glaſſio* confecti, cujus uberior recenſio eſt inſtituta. Cumque his in controverſiis *Joannes Muſæus* ac reliqui Jenenſes Theologi nec in *Calixtinorum* caſtra ſecedere vellent, nec etiam Wittebergenſibus in omnibus ſe conformare poſſent, factum, ut Theologi Jenenſes, præſertim *Muſæus*, iſtis omnino implicarentur, unde controverſiæ *Muſæanæ* ſunt exortæ, quæ fuſius paullo proponuntur & deducuntur. In fine hujus Capitis *Hermanni Rathmanni* controverſia de virtute & efficacia verbi divini interna additur, ac potiora ejusdem ſcripta referuntur. *Cap. V* agitur *de controverſiis, circa finem ſeculi XVII ad præſentia usque tempora ortis*, & quidem *Sectione I de recentiſſimis controverſiis, vulgo dictis pietiſticis, in genere*. Præmiſſa notitia ſcriptorum, in quibus extat, quicquid de his controverſiis litteris eſt conſignatum, disquiritur, unde *Pietiſtarum* atque *Pietiſmi* denominatio originem traxerit? quam-

quamque hæc nomina ſignificationem involvant? Deinde harum controverſiarum origo inveſtigatur, atque obſervatur, proximam *Philippum Jacobum Spenerum* dediſſe occaſionem. Porro Lipſiæ A. 1686 Collegium Philo-Biblicum inchoatum fuiſſe aſſeritur, &, hac occaſione deinceps *Auguſtum Hermannum Franckium*, *Jo. Caſp. Schadium* & *Paulum Antonium* privatim Collegia Biblica aperuiſſe, edocemur. Turbæ hinc ortæ inquiſitioni anſam dederunt, de qua & iis, quæ tunc geſta ſunt, fuſius exponitur. Quæ deinceps *Chriſtiano Thomaſio* cum Theologis Lipſienſibus aliisque interceſſerint diſſidia, quave ratione litibus ille *pietiſticis* fuerit implicatus, uberius recenſetur. *Pietiſtis* autem ita dictis & errores objiciebantur, & facta exprobrabantur, quorum ſeries ſubjicitur, atque ſcriptorum hinc inde editorum catalogus annectitur. Poſt hæc ea narrantur, quæ Gieſſæ de Collegiis pietatis exorta ſunt, diſſidia atque ſcripta edita. Ulterius progreditur S. R. Autor ad turbas Hamburgenſes, referens, quid inter *Jo. Fridericum Mayerum* ex una parte, & inter *Jo. Wincklerum*, *Jo. Henricum Horbium* atque *Abrahamum Hinckelmannum*, ex altera parte actum fuerit, &, quæ *Büſſingii* atque *Langii* cauſa ibidem contigerunt, nec non ſcripta, occaſione harum turbarum publicata, adducens. Has turbas excipiunt motus Erfordiæ excitati, ubi præcipue *Joachimi Juſti Breithauptii* atque *Auguſti Hermanni Franckii*, in *Pietiſmi* ſuſpicionem cadentium, fit mentio. Deſcribuntur deinde motus *pietiſtici* Guelpherbyti & Halberſtadii excitati, eaque recenſentur ſcripta, quæ tunc temporis prodierunt. Hinc in medium proferuntur controverſiæ *Caſpari Sagittarii*, motus Gothani, Halenſes atque Gedanenſes. Adduntur quoque certamina, de *Bohemio* ejusque ſcriptis orta. Nec omittuntur controverſiæ, quas *Spenerus* habuit cum Theologis Wittebergenſibus, Lipſienſibus, aliisque. His adjunguntur non ſolum, quæ Gedani *Pietiſtis* oppoſita fuerunt variis ſcriptis, ſed & quæ turbæ propter *Pietiſmum* excitatæ ſunt Caſſellis. Apponuntur quoque motus haud exigui, qui Berolini a *Jo. Caſparo Schadio*, confesſionem, in noſtris eccleſiis receptam, rejiciente, fuere excitati.

ti. Facta quadam mentione nonnullarum controverſiarum, ut de termino gratiæ, de *ἀποκαταστάσει πάντων*, de Indifferentiſmo *Godofredi Arnoldi*, variisque ejus ſcriptis; de erroribus *Jo. Dippelii*, de fide operoſa in actu juſtificationis, de adiaphoris, latius recenſetur hiſtoria *Pietiſmi* Waldeccenſis, Argentinenſis, Eſſendienſis; lis de Sabbatho inter *Jo. Chriſtophorum Lünekogelium* & *Jo. Schwarzium*, nec non inter *Stryckium* aliosque agitata; ac tandem Edictum Hannoveranum adverſus *Pietiſtas*. Et poſtquam S. R. Autor controverſiam de unione, quam *Wincklerus* Magdeburgi inter Lutheranos & Reformatos intenderat atque commendarat, notavit, ſimulque *ὡς ἐν παρόδῳ Caſp. Erneſti Trilleri* novam novi Teſtamenti verſionem adduxit, aliosque motus, qui hinc inde, inprimis Oſnabrugæ & Altenburgi, exorti fuerunt; progreditur ad dimicationem *Bücheri* cum *Zieroldo*, ac refert, quosnam errores *Jo. Roſenbachius* de immediata vocatione diſſeminaverit; quænam *Freylingshauſenio*, fundamenta Theologiæ edenti, mota ſint dubia; quas *Sontagius*, contra *Pietiſtas* Diſſertationem ſcribens, habuerit controverſias. Hiſce accedunt lites, quas *Breithauptius* cum *Læſchero* & *Edzardi* de fidelium perfectione, & de juſtificatione agitavit. Adjunguntur præterea varia Edicta, *Pietiſtis* ita dictis oppoſita, v. g. Bremenſe, Suecicum, &c. Deſcribuntur inde certamina *Frohnii* cum *Eilmaro* Mulhuſæ orta de ſacerdotio ſpirituali; *Sibbernii* cum *Wildenhagenio* in Holſatia de diſcrimine beatitudinis in hac & in altera vita; *Mayeri* cum Facultate Theologica Halenſi, ſpeciatim *Franckio*. Præterea commemoratur, *Roſenbachio*, in terris Würtenbergicis commoranti, nonnullos adhæſiſſe; *Hedingerum* a *Mayero Pietiſtis* fuiſſe adſcriptum; Eslingæ inter *Mayerum* & *Ditzingerum* de phraſi: ego ſum Chriſtus, contentionis ſerram eſſe reciprocatam; *Joachimo Langio* cum variis certamina interceſſiſſe; in comitatu Hohenſteinenſi *Damium*, de ſatisfactione Chriſti minus recte ſentientem, turbas moviſſe; ac denique in Sileſia parvulos publicas inſtituiſſe precationes, variaque hanc ob cauſam ſcripta prodiiſſe. Porro dicitur, orphanotrophium Halenſe diverſis occaſionem dediſſe

ſcriptis;

Digitized by Google

ſcriptis; Regiomonti concionatorem quendam Lutheranum & Reformatum unionem incauto intendiſſe molimine; Magdeburgi *Schillingium* conventus privatos inſtituiſſe, atque *Jo. Julium Struvium* varios ſparſiſſe errores; de conventibus privatis inter *Porſtium* ac Relationum innocentium Autores diſceptatum fuiſſe; *Theodorum Schermerum Separatiſmo* faviſſe; in Suecia motus *pietiſticos* ortos fuiſſe; Edictum Anhaltino-Serveſtanum contra *Pietiſmum* prodiiſſe, & Edictum Hannoveranum renovatum fuiſſe; Arnſtadii *Treiberum* fidem operoſam in juſtificatione & bonorum operum quodammodo neceſſitatem ad ſalutem aſſeruiſſe, indeque adverſarium accepiſſe *Fiſchbeckium*; A. 1710 Biblia Wandesbekienſia, ſeu pentapla, ſequenti vero varia contra Fanaticos prodiiſſe Edicta; in Comitatu Waldeccenſi turbas *pietiſticas* rurſus excitatas fuiſſe, & propter has litem inter Facultates Theologicas Gieſſenſes & Roſtochienſes exortam eſſe. Poſt hæc inſeritur hiſtoria *Timothei Verini*, a *Læſchero* editi, & a *Langio* refutati, docemurque, de hominis non renati notitia ac theologia acriter fuiſſe diſceptatum; nec non *Majum*, Theologum Gieſſenſem, hæreſin practicam aſſerentem, varios accepiſſe adverſarios; iterumque illo tempore Edicta contra *Pietiſmum* fuiſſe promulgata; Wetzlariæ autem Collegia pietatis renovata, atque adhortationem Suecicam contra Fanaticos fuiſſe editam; eodem quoque tempore *Henricum Muhlium* cum *Franciſco Erneſto Vogtio* de auctoritate Librorum Symbolicorum, & juramento in eos præſtando, diſputaſſe, *Muhliumque* contra *Theodorum Daſſovium Speneri* innocentiam ſolide vindicaſſe; *Langium* nonnulla ſcripta edidiſſe; Edictum Iſenacenſe & Gothanum conventiculorum cauſa prodiiſſe; ac *Brendelio* cum *Wernsdorffio* controverſias fuiſſe. Præterea commemoratur Edictum Veldentianum, propter conventicula, & Hanovienſe, adverſus inſpiratos atque Fanaticos, publicatum. Inde narratur controverſia, an *Lutherus* fuerit *Antipietiſta*? itemque ea, quam *Jo. Chriſtophorus Schæfferus* Querfurti de bonorum operum in actu juſtificationis præſentia cum *Schwarzio* & *Wernsdorffio* habuit. Simulque agitur de refutatione ſcripti, *Idea Pietiſmi*

dicti. Continuatur deinceps hiſtoria *Timothei Verini*, A. 1718 a *Val. Ern. Læſchero* editi, & a *Joach. Langio* confutati. Narratur porro, Edicto Suecico conventicula iterum fuiſſe prohibita; Gryphiswaldiæ litem de fide operoſa in juſtificatione eſſe ortam; in Comitatu Stolbergenſi *Fridericum Godofredum Wegerum* Orphanotrophia improbaſſe; in Suecia A. 1719 denuo motus fuiſſe factos; turbas a *Klein-Nicolai* excitatas, & Erfordiæ de conventibus privatis dimicatum fuiſſe; Auguſtæ Vindelicorum *Volſpergerum* de libro a ſe edito a multis objurgatum, Gœrlitii *Fanaticiſmum* & *Separatiſmum* irrepſiſſe, atque Altorfii *Zeltnerum* controverſias *pietiſticas* pro logomachiis venditaſſe. Cumque in Saxoniæ Electoratu elencho limites per Edicta ponerentur, atque uſus vocum, *pietiſta*, *pietiſmus*, interdiceretur, varia contra *Bernhardum Waltherum Marpergerum* ſcripta fuerunt edita, atque elenchum doctrinalem, a *Marpergero* conſcriptum & typis vulgatum, *Neumeiſterus* ſibi confutandum ſumſit, cui autem *Schœnius* contraria argumenta oppoſuit. *Spenerus* quoque poſt fata a *Neumeiſtero* multorum accuſatus eſt errorum ac hæreſium; a *Kœppenio* vero atque *Schœnio Speneri* innocentia pro virili parte fuit vindicata. Finitur denique *Pars* iſta I controverſia inter *Haſerungium* & *Claudium* atque *Wernsdorffium* de quæſtione, utrum homo Chriſtianus præcepta Dei ſervare queat, acriter ventilata.

Operis hujus egregii *Pars II* exhibet *Capitis V Sectionem II*, quæ agit *de recentiſſimis, potiſſimum ita dictis pietiſticis, articulis controverſis generatim.* Diſpeſcuntur illi in *Dogmata* & *Praxes*, atque diſquiritur, utrum *Pietiſmus* ſit fabula? quidve de uſu vocabulorum, *pietiſta, pietiſmus*, ſit ſentiendum? Porro recenſentur ſcripta, in quibus articuli controverſi ſunt pertractati. Inde ipſi proponuntur articuli, ita quidem, ut utriusque partis ſententia accurate evolvatur, argumenta & rationes, ab utraque parte allatæ, addantur, accuratum judicium ſubjiciatur, atque hiſtoria hujus vel illius controverſiæ breviter repetatur, aut ulterius deducatur. Sunt autem articuli controverſi, qui pertractantur, ſequentes: de theologia in homine non renato; de

de neceſſitate Theologiæ polemicæ; de Theologia myſtica & ſyſtematica; de religione & Indifferentiſmo; de ſacra Scriptura & efficacia verbi divini; de ſenſu rerum ſacrarum in non renatis; de verſione *Lutheri* Germanica; de Libris Symbolicis, eorumque neceſſitate, auctoritate & juramento in eos præſtando; de Deo & Trinitate; de creatione & providentia divina; de partibus hominis; de vita æterna & diſcrimine beatitudinis in hac & altera vita; de mortuis, utrum vocandi ſint beati? de damnatione, ſpeciatim de ἀποκαταστάσει πάντων; de ſpe meliorum temporum; de conſummatione ſeculi; de ſtatu intermedio animarum a corpore ſeparatarum; de imagine divina; de peccato, utrum Deus illius dici queat cauſa? de peccato originali; de gratia Dei, & termino gratiæ; de Chriſto; de regeneratione & converſione, nec non de uſu vocum, *renatus* & *non renatus*; de illuminatione; de pœnitentia; de fide & juſtificatione; de unione fidelium cum Chriſto; de ſanctificatione & renovatione; de adiaphoris; de amore creaturarum; de perfectione fidelium hac in vita; de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem; de Sacramentis novi Teſtamenti; de Eccleſia *Lutherana*; de donis adminiſtrantibus; de miniſterio impiorum; de confeſſione & abſolutione privata; de Sacerdotio ſpirituali; de regimine ſeculari, & denique de matrimonio. Hiſce articulis ſubjiciuntur *Praxes*, ubi agitur de Collegiis pietatis; de elencho; de æſtimatione ſcientiarum humanarum; de arte homiletica; de Pericopis Evangelicis & Epiſtolicis, atque de formulis precum &c. *Capitis V Sectione III* tractatur *de Controverſiis Chiliaſticis*, *Fanaticis*, *Indifferentiſticis*, aliisque. Ubi obſervantur ejusmodi homines, qui viſiones & revelationes jactitarunt immediatas; poſtea referuntur *Joannis Guilielmi Peterſenii* aliorumque Chiliaſtarum controverſiæ. Eas ſequuntur certamina *Godofredi Arnoldi*, quibus notitia ſcriptorum, ab *Arnoldo* editorum, cumprimis ejusdem Hiſtoriæ Eccleſiæ & Hæreticorum eſt inſerta, ſubjunctusque eſt errorum *Arnoldi* catalogus. Commemoratur deinceps, *Chriſtianum Democritum* ſeu *Dippelium* errores ſparſiſſe, variosque adverſarios accepiſſe; *Jo. Georgium Roſen-*

*ſenbachium* immediatam vocationem jactaſſe; colluviem *Butt-lerianam* deteſtanda prorſus ſuſcepiſſe; itemque quampluri-mi alii adducuntur, qui Fanaticorum caſtra intrarunt. *Sectio IV Capitis V* agit *de Controverſiis Terminiſticis.* Præmiſſa hi-ſtoria hujus certaminis, obſervat S. R. Autor, acriter ea de re *Rechenbergium* inter atque *Ittigium* diſceptatum fuiſſe, & a *Rechenbergii* partibus ſtetiſſe alios, alios *Ittigii* ſententiæ ſubſcripſiſſe. Inde accuratius inquiritur, in quonam cardo rei potiſſimum fuerit verſus, ſtatus controverſiæ ſolicite formatur, rationes *Rechenbergii* ejusdemque adverſa-riorum adducuntur, & tandem variæ obſervationes ſubji-ciuntur.

*Pars* denique *III* complectitur *Capitis V Sectionem V, de Controverſiis nonnullis particularibus.* Occurrunt hic contro-verſiæ *Chriſtiani Thomaſii*, & Lipſiæ & Halæ habitæ. Se-quuntur certamina *Jo. Sam. Strykii* de jure Sabbathi &c. *Juſti Henning. Bœhmeri* de jure principis circa divortia; *Sam. Friderici Willenbergii* de Polygamia, neque lege naturali, neque legibus poſitivis univerſalibus prohibita; *Jo. Melchio-ris Gœtzii* de matrimonio cum defunctæ uxoris ſorore; *Dre-ſingii* de verbis: *Deus eſt mortuus; Tœllneri* cum *Titio* de impœnitentium admiſſione ad confeſſionem atque ſacram ſy-naxin; *Beerenſprungii* de peccatorum remiſſione in gratia ſtantibus non neceſſaria; *Jo. Jacobi Mülleri* de unione my-ſtica; *Nitſchii* an ſcriptura ſacra ſit ipſe Deus? *Kraftii* de verſione *Lutheri* Germanica; *Hœpfneri* de exordiis & oratione dominica in concionibus omiſſis, & aliis precibus in eorum locum ſubſtitutis. His omnibus adduntur ea, quæ in contro-verſiam venerunt, ut de prærogativa, ſive gradu dignitatis Sa-cerdotum; de genuina Librorum Symbolicorum Editione; de diſcrimine inter opera legis, & inter opera bona; de preci-bus beate defunctorum pro hominibus viventibus; de Baptiſmo Pontificiorum, an ſanctus dici queat? ac tandem de origine Baptiſmi. In fine hujus *Sectionis* adjiciuntur tum *Arndianæ* controverſiæ, ubi, præmiſſa relatione hiſtorica de vita ſcri-ptisque *Arndianis*, enarratur controverſia, ob *Arndii* libros

de

de vero Chriſtianiſmo excitata, & additur hujus controverſiæ ἐπίκρισις ſolida atque accurata; tum finem imponunt Operi lites, occaſione Obſervationum Selectarum Halenſium, Relationum innocuarum, & *Geſenii* Catechiſmi, ortæ. Præſtantiſſimo huic Operi duplex ſubnectitur *Appendix*; in priori, quæ tria complectitur Capita, de M. *Ludovici Gerhardi* agitur Syſtemate ἀποκαταστάσεως πάντων, paucis abhinc annis publici juris facto; in poſteriori vero, quæ duobus abſolvitur Capitibus, *Chriſtiani Melodii* errores, recentiſſima ætate diſſeminati, recenſentur. Utriusque, & *Gerhardi* & *Melodii*, dogmata latius accuratiusque adducuntur, judicioſe examinantur, ac ſolidiſſime refutantur. Opus denique hoc laudatiſſimum auctum eſt Indice rerum locupletiſſimo. Hujus Operis, ſumma diligentia ac præclara eruditione conſcripti, Supplementa quam primum luci publicæ exponet Autor S. R. quæ non minori, ac Opus ipſum, eruditorum approbatione ſuſceptum iri, nulli dubitamus.

## HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE des Inſcriptions, &c.

h. e.

## *HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ INſcriptionum elegantiorumque literarum. Adjecti ſunt Commentarii literarii Academicorum ab A. 1718 usque ad finem anni 1725.*

## *Tomus V.*

Lutetiæ, ex officina Regia, 1729. 4.

Alph. 4. pl. 18.

QUam primo loco hic deprehendimus Hiſtoriam Academiæ, in ea relatum legimus, Petrum, Ruſſorum Imperatorem, veniſſe ad congregatos Academicos, ex eoque tempore clementiſſime memorem nunquam non fuiſſe literatiſſimæ hujus Societatis. Simul nomina proferuntur cum eorum, quos novos Socios accepit Academia, tum eorum, quos ipſi mors illo, quod diximus, temporis intervallo eripuit. p. 1–11 13–363

Hinc exhibetur hiſtoria, hoc eſt, recenſio ſatis copioſa Diſſertationum, illo temporis tractu recitatarum ab Academicis: quarum ſi hic tranſtulerimus titulos, Lectoribus noſtris ſatisfactum fore putamus. Recenſetur igitur hic Diſſertatio, exhibens hiſtoriam criticam ararum, vero Deo poſitarum, inde ab ortu mundi; de maledictionibus ſive imprecationibus parentum adverſus liberos; de origine nominum, quibus vulgo inſigniuntur ſigna Zodiaci; de oraculo Dodonæo; de nutricibus Bacchi; de ludis Iſthmiis; de bello Athenienſium contra populos inſulæ Atlanticæ; de duratione obſidionis Trojanæ; utrum Criſſa & Cirrha fuerint diverſæ urbes, an una eademque; de regulis criticis in emendatione veterum ſcriptorum obſervandis; de allegationibus, quas vulgo vocant, Autorum; obſervationes ad *Sophoclis Oedipum Coloneum*; de priſcis Siciliæ Poetis Bucolicis; de *Daphnidis*, Bucolici Poetæ, patria; animadverſiones ad *Pindarum;* de Autore Dialogi, qui inter *Platonicos* reperitur inſcriptus *Epinomis*; illuſtratio duorum locorum *Platonis*; emendationes aliquot *Platonis*, *Euripidis*, & *Suidæ*; explicatio cujusdam loci *Platonis;* illuſtratio plurium locorum *Euripidis;* de Epiſtola *Dionyſii Halic.* ad Pompejum; illuſtratio cujusdam loci *Homerici;* emendatio plurium locorum in Græcis Latinisque Autoribus; meditatio critica ad *Plutarchi* librum *de ſuperſtitione;* animadverſiones ad aliquot *Vitas Plutarchi;* de Hannibalis tranſitu Alpino; illuſtratio *Longini;* de ætate *Heſychii*, (qui ſtatuitur hic vixiſſe ſexto demum ſeculo,) & animadverſiones nonnullæ ad ipſius *Lexicon*; de vocabulo ἰσόψηφος; de Solœciſmo & Barbariſmo, harumque appellationum origine; obſervationes ad *Lucullum Ciceronis;* explicatio loci cujusdam *Ciceronis Offic. Lib. I Cap. 1*; illuſtratio loci *Horatiani Lib. I Odæ 32;* illuſtratio aliquot verſuum *Tibulli;* animadverſiones ad loca quædam *Petronii*, *Corn. Severi*, *Suidæ*, & *Heſychii;* character Imp. Auguſti, Agrippæ item & Mæcenatis; de Bætyliis & ſtatuis Cybeles; de labyrintho Ægyptio; de origine ludi Scacchici; de origine calculorum Arithmeticorum; de nummo Minervæ Iliadis; de nummo Philippi, Tetrarchæ; de vera interpretatio-

pretatione verborum abbreviatorum *Cer. Per.* in nummis Sidoniis; de nummis coturniatis; illuſtratio aliquot priſcarum Inſcriptionum; explicatio Diptychi, Divione reperti; de lingua Sinenſi; de eruditione Sinenſium; de literis jam antiquiſſimo tempore in Gallia cultis; de cauſis, cur modo vigeant literæ, modo negligantur; de veneratione feminarum apud veteres Germanos; de Epiſcopatu Galliæ Ariſidiano; de vocabulo Gallico *cajevaire*; Vita *Guil. Budæi*; de Editione *Homeri* prima Florentiæ facta A. 1488, cui *Budæus* in marginibus adſcripſit annotationum plurimum.

Nunc Elogia ſequuntur Academicorum, tempore inter A. 1718 & A. 1726 interjecto mortuorum. In his eſt *Michael Tellierius*, Jeſuita, clariſſimus editor *Curtii*, ac tandem Confeſſarius Regis, m. 1719, anno ætatis ſuæ 76; *Euſebius Renaudotus*, m. 1721; *Carolus Cæſar Baudelotius*, m. 1721; *Andreas Dacierius*, m. 1723; ejus uxor, m. 1720; *Ludovicus Boivinius*, natu major, (nam alter *Boivinius* eſt frater ejus natu minor,) m. 1724: cujus ſupereſſe hic memorantur accuratiſſimæ *Joſephi* tum illuſtrationes, tum emendationes. E Vita *Renaudoti* illud excerpendum ducimus, quod ipſius avus, *Theophraſtus Renaudotus*, primus A. 1631 Lutetiæ cepit conſilium edendi *Novellas hebdomadales politicas*. (*Zeitungen, Gazetten*,) easque, excluſis aliis, publicandi privilegium accepit per Cardinalem Richelium: quod privilegium propagatum eſt ad filium & nepotem, fruente nunc eo *Verneulio, Euſebii* noſtri hærede. p. 367.

In ipſis *Commentariis literariis* ſequentes inſunt Diſſertationes eruditiſſimæ: *Anſelmi* meditatio ſuper opinionibus ethnicorum Philoſophorum de felicitate hominis; *Banierii* altera de Parcis, altera de Furiis; *Foncemagnei* de Dea Laverna; *Fontenii* de loco hoc *Taciti* in *Germania* ſua: *Pars Suevorum & Iſidi ſacrificat;* ejusdem de Suevorum adoratione Iſidis ſub figura navis; *Banierii* de Pygmæis; *Fragierii* de vita *Orphica*; *Morini* de auro & argento; *Burettii* quatuor Diſſertationes de Muſica veterum, quam putat longius abfuiſſe a faſtigio hodiernæ artis muſicæ; *Morini* de cygnorum cantu; *Mahudelii* de origine ſerici; *Sevini* de Regibus Lydiæ; *Freretī*

Digitized by Google

*reti* Hiſtoria Lydiæ regni; *Furmontii* de vetuſtate Æthiopum in Africa; *Frereti* Hiſtoria Chronologica Regum Aſſyriorum; *Valeſii* de Amphictyonibus; *Secuſſii* de Alexandri M. expeditione in Perſas.

Harum Diſſertationum unam & alteram recognituris no-
p. 63. bis primo loco merito occurrit Abbatis *de Fontenu* Diſſertatio illa, qua lucem affundit antiquitatibus majorum noſtrorum, a quibus Iſidem cultam fuiſſe refert *Tacitus*. Noſter recordatus, *Diodorum Siculum*, *Macrobium*, *Plutarchum*, & *Apulejum* ſcriptum reliquiſſe, toto orbe religioſe cultam olim fuiſſe Iſidem, non dubitat, verum eſſe, quod ſcripſit *Tacitus*. Cum vero is fateatur, ſe neſcire, qua via in Germaniam pervenerit peregrina hæc religio, nec applauſu dignæ videantur conjecturæ *Cluverii*, *Voſſii*, *Pezronii*, *Huetii*, & *Aventini*; Noſter docet, aut ex Gallia hunc cultum tranſiiſſe in vicinam Germaniam, aut ex Græcia, aut ex Colchide. Ac Gallos quidem veteres Iſidem coluiſſe, multis argumentis reddit veriſimile. Quomodo vero ex Græcia vel Colchide deferri in Germaniam potuerit cultus Iſidis, pariter oſtendit. Venit ei quoque in mentem, a Romanis cultum hunc accipere potuiſſe Germanos, cum Imp. Auguſto, qui templa Iſidis Romæ reparavit, Germaniæ magna pars ſubjecta fuerit. Sed ipſe ideo damnat hancce conjecturam, quod non videatur *Tacitus* id ignorare po-
84. tuiſſe. Idem vir doctiſſimus in altera Diſſertatione illuſtrat eum *Taciti* locum, quo ſcribit, apud Suevos noſtros *ſignum Iſidis figuratum fuiſſe in modum navis Liburnæ*. Noſtro quidem id mirum haud videtur, cum aliæ gentes Jovem lapidis, Ammonem umbilici, alios Deos alia ſub figura coluerint. Ad navem vero Iſidis quod attinet, docet, non ſolum creditum fuiſſe, artem navigandi ſub regno Iſidis inventam eſſe, ſed etiam, Iſidem eſſe Deam maris, ideoque & Ægyptios co-
106. luiſſe navigium Iſidis. *Banierius* in ſua *de Pygmæis* Diſſertatione, poſtquam rejecit una cum aliorum ſuſpicionibus ſententiam *Hermanni von der Hardt*, Profeſſoris Helmſtadienſis apud nos celeberrimi, quem corrupte vocat *Wonderartium*, ipſe ſtatuit, Pechinios, Æthiopiæ populum, ſtaturæ parvæ homines,

mines, de quibus *Ptolemæus Geogr. Lib. IV Cap. 8* loquitur, eſſe veros *Homeri* (e cujus fonte omnes ſequentium ætatum ſcriptores hauſerint,) Pygmæos, oſtenditque, multas dari grues in illa regione. *Pag. 331 ſeqq. Ferretus* hiſtoriam regni Aſſyriaci, multis erroribus & obſcuritatibus implicitam, ſumma diligentia ſuæ veritati conatur reſtituere, non contentus iis correctionibus, quas jam protulerunt *Marshamus*, *Uſſerius*, *Conringius*, *Perizonius*, aliique. Primo igitur hiſtoriam illam e ſacro Codice collectam exhibet, & ex hujus Codicis ſilentio concludit, Reges Aſſyrios, urbem Niniven incolentes, tempore Joſephi Patriarchæ nondum potentiam ſuam extendiſſe ad regiones Canaan. Sub Judicum Hebræorum imperio videtur Noſtro Rex Aſſyrius duce uſus Chuſano per octo annos ditioni ſuæ ſubjeciſſe Hebræos: poſt quod factum non memorantur rurſus Aſſyrii Reges in ſacris illis monumentis ante Oſiam Judæ & Menahemum Iſraelis Reges, qui vixerunt A. 250 poſt dedicationem templi Salomonei. Concludit hinc, ante hoc tempus Regnum Aſſyriæ fuiſſe tenue & infirmum, nec quicquam negotii Regibus illis fuiſſe cum Hebræis. Regnante demum Menahemo, potentia Aſſyriorum exſplenduit, Phulo, Tiglatpilaſſaro, & Salmanaſſaro invadentibus regnum Iſraelis, reſpondente conatibus ipſorum ſucceſſu. Poſtea Senacheribus Judæ regnum eſt adortus: quo divinitus ejecto qui ſucceſſit ei, Aſſarhaddon, abſtinuit bello Judaico, & paulo poſt potentia regni Aſſyrii defloruit. Perſequitur hinc Noſter hiſtoriam regni Aſſyrii ducibus profanarum gentium Hiſtoricis, *Herodoto*, *Cteſia*, (quem vulgo contemni, ægre fert, eumque bonis Hiſtoricis annumerandum cenſet,) *Diodoro Siculo*, *Cephalione*, *Beroſo*, ac ceteris, eorumque narrationes ſæpius diſcordes affert. Quo facto, aggreditur ſolvere nodos hujus hiſtoriæ, inter alia contendens, Græcos tribus Aſſyriæ Regibus indidiſſe nomen *Sardanapali*: quo pacto putat conciliari poſſe ethnicorum Hiſtoricorum diverſas de Regibus Aſſyriis narrationes. Nec dubitat, unum horum Sardanapalorum eſſe Aſſarhaddonum. Verum ſufficiat hæc indicaſſe Lectoribus noſtris, iisque injeciſſe cupiditatem totius legendæ hujus



Digitized by Google

p. 387 ſqq. Diſſertationis, in qua & Semiramidis hiſtoriam ſtudioſe per-
tractat, eosque erroris arguit, qui falſa eſſe omnia judicant,
quæ de hac Regina traduntur. Ultimæ hujus Tomi Diſputa-
415 tionis Autor, *Secuſſius*, in eo eſt, ut demonſtret, Alexandrum
M. cum expeditionem ſuſcepit in Perſas, juſte feciſſe pruden-
terque, neque cauſam habuiſſe ullam dubitandi de felici ar-
morum ſuorum ſucceſſu,

## *D. CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANni Pœcile.*

## *Tomi III Liber IV.*

Halæ, in officina Rengeriana, 1731. 8.
Plag. 10.

PRofanis e Scriptoribus cum obſcurioribus ſacri Codicis ver-
bis ac phraſibus nonnihil lucis affundi poſſe ſatis conſtet,
ac *Glaſſius* quoque celebratiſſimæ ſuæ *Philologiæ ſacræ* cano-
nibus ſubinde adjiciat dictiones profanorum, rarioribus ſacri
Codicis ac proinde minus perſpicuis dictionibus prorſus ſimi-
p. 502 les; Noſter *Diſſert. I* & utilitatem hujus comparationis
oſtendit, & pluribus ἐκ τῶν ἔξω petitis exemplis ornari debe-
re contendit *Philologiam* illam *Glaſſianam*. Poſſunt ſcilicet
minus creduli homines ſuſpicari, affingi incommodis ſacræ
Scripturæ phraſibus notiones alienas ad effugiendam abſurdita-
tem. Qui ubi videre coguntur, eodem modo locutos fuiſſe
profanorum doctiſſimos, tandem fidem habent interpretationi
ſacrorum Philologorum. Ita cum *Marci VI, 5*, Chriſtus dici-
tur *nullum potuiſſe in patria facere miraculum*, hoc eſt, po-
tentia ſua patrandorum miraculorum ob contumaciam & in-
dignitatem illorum hominum uti noluiſſe; ac *Glaſſius* nullum
ſimile exemplum adjecit e profanis; quibusdam in mentem
venit ſtatuere, iſtum loquendi modum profanis prorſus inuſi-
tatum fuiſſe. At Noſter e *Cicerone*, *Ovidio*, & *Curtio* exem-
pla profert ſimillima. Pari modo, cum *Glaſſius* obſervat, par-
ticulam *et* non ubique jungere res diverſas, ſed aliquando
adjun-

adjungere rem ſub membro præcedenti jam contentam, adeoque verti debere *et inter hos*; Noſter non ſolum clariſſima ejusdem generis loca producit e Græcis Latinisque Autoribus, ſed etiam alia ſacri Codicis loca, quæ multum negotii faceſſiverunt interpretibus, hoc pacto reddit perſpicua. Unum commemorabimus locum, eumque valde caliginoſum, *2 Sam. XXIV, 9*, ubi *Iſraelitarum* fuiſſe dicuntur *octies centies mille viri, & e tribu Judæ quinquies centies mille.* Narrationem hanc pene incredibilem facit Noſter credibilem, ſtatuens, illa 500000 contineri numero 800 millium, indicarique, in hoc numero ſolam Judæ tribum habuiſſe virorum quingenta millia. Nec id mirum eſſe debere, putat, cum tribus Judæ omni tempore eminuerit ſuper ceteras, ac tandem ſola conſtituerit Rempublicam, Reip. ceterarum tribuum oppoſitam. Eundem in modum capi debere, cenſet, quod *1 Sam. XI, 8*, relatum legimus, *Iſraelitarum fuiſſe trecenta millia*, & (hoc eſt, *& inter hos ſpeciatim*) *ex tribu Judæ triginta millia. Diſſert. III* p. 515
explicatur obſcurus ille *Auguſtanæ Confeſſionis* locus, quo dicunt pii Confeſſores, ſuam doctrinam nihil diſcrepare ab *Ecclesia Romana, quatenus ea ex ſcriptoribus nota ſit.* Innui ſcilicet, exiſtimat, non Patres Eccleſiæ, ſed Theologos proximæ ætatis, qui de plerisque religionis doctrinis recte docuerant, etſi praxis publica eſſet diverſiſſima. Addit, loca illorum Theologorum repræſentaſſe *Gerhardum* in *Confeſſione Catholica*, in ipſo hujus Operis titulo profeſſum, *ſe hic Auguſtanam Confeſſionem confirmaturum eſſe ſcriptorum Romano-Catholicorum ſuffragiis. Diſſ. IV* Autor plurimas tollit mendas e 520
*Plinii Panegyrico*, ac ſimul complura loca tuetur, quæ corrupta eſſe, falſo ſibi nonnulli perſuaſerant. E. g. *Cap. 86* Præfectum Prætorii, quem perinvitus a ſe dimiſerat Trajanus, putaſſe ſcribit *Plinius*, *pene ipſo contubernio Principis felicius jucundiusque eſſe, deſiderare Principem.* Quæ verba quid ſibi velint, cum nemo intelligat, Noſter reſcribit *deſiderari a Principe*, ut ſignificetur, jucundiſſimum eſſe, ſcire, ſe ab inviti ſſimo dimitti Principe, ac Principem ſe carere ægerrime. Finitis hujus *Panegyrici* emendationibus, in *Latini Pacati Panegy-*

*negyrico* unum locum mutatione unius literulæ ex obſcuriſſimo facit clariſſimum. Hinc *Ἀποκολοκύντωσιν Senecæ* pluribus locis emendat, & ab Amici cujusdam objectionibus tuetur modeſtiſſime. Concludit hanc Diſſertationem emendatione loci cujusdam *Curtiani*, in quo corrigendo ſine ſucceſſu adhuc deſudarunt Critici. Scilicet *Lib. VIII, 6, 18, adeo pertinax ſpes eſt*, inquit *Curtius*, *quam humanæ mentis ingentes concupiſcentiæ devoraverunt.* Hinc vero quis non hæreat & ad vocabulum *concupiſcentiæ* & ad phraſin, *devorare ſpem?* Noſter igitur ſic ſcripſiſſe ſentit *Curtium: Adeo pertinax ſpes eſt humanæ mentis ingentia concupiſcentis.* Ac ſane *ingentia concupiſcere* jam alibi dixerat *Curtius*, *Lib. VII, 8, 13*, & *Lib.*
p. 535 *VIII, 5, 6. Diſſertatio quinta* itidem eſt critica, *Virgilii* plura loca, in quibus vel interpretandis vel corrigendis Criticos ſuum acumen defecit, emendans. E. g. *Æn. IV, 435 ſq.* mœſtiſſima Æneæ diſceſſu Dido ita affatur inter alia ſororem:

*Extremam hanc oro veniam, (miſerere ſororis,)*
*Quam mihi cum dederis, cumulatam morte relinquam.*

Locum hunc *Ruæus* vocat *totius Æneidos difficillimum & obſcuriſſimum.* Noſter ita eum emendat & interpretatur:

*Extremam hanc ora veniam: (miſerere ſororis:)*
*Quam mihi ni dederit, tum lucem morte relinquam.*

Hoc eſt, miſerere mei, ſoror, & hoc ultimum pete ab Ænea, ut abitum ſuum differat, dum tempeſtas ſucceſſerit melior. Id ſi facere noluerit, nec dederit huic precationi locum, e vita excedam. *Lucem relinquere* eſſe phraſin *Virgilianam*, ſubinde oſtendit Cel. Autor noſter, & alio quoque argumento, quod noſtrum brevitatis ſtudium omitti jubet, ſuam correctionem corroborat. Obſervat deinceps, ejiciendos eſſe pluribus Æneidos locis dimidios verſus, a ſciolis ſcilicet aſſutos verſibus Poetæ imperfectis. E. g. *Æn. IV, 237*, ita Jupiter mandatum ſuum de Ænea claudit: *Naviget. Hæc ſumma eſt.* Hoc eſt, *tribus verbis eloquar, quod volo: Æneas, nave conſcenſa, ſine mora petat Italiam.* Ita quidem Noſter. Vulgo autem ſic legitur:

*Naviget. Hæc ſumma eſt, hic noſtri nuntius eſto.*

Quod quidem haud injuria languidum videtur Noſtro, *Bavio*-que,

que, quam *Virgilio*, dignius. *Diſſ. VI* laudat Cl. *Franc.* p. 544
*Th. Koblii Commentationes Criticas*, haud ita pridem editas, & hac occaſione *Terentii*, *Virgilii*, *Ciceronis*, *Phædri*, *Nepotis*, *Ovidii*que aliquot loca obſcuriora partim explicat, partim emendat. *Differt. VII* docet, dari *Enthymemata mono-* 551
*noſticha.* Cum enim vulgo dicatur Enthymema Syllogiſmus duabus conſtans propoſitionibus, Noſter oſtendit, dari etiam Syllogiſmos una propoſitione abſolutos. Vocat hæc Enthymemata *Mariana*, quia ſanctiſſima Chriſti mater *Joan. II, 3*, ejusmodi monoſtichon Enthymema protulit, dicens ad filium in nuptiis Canenſibus: *Vinum non habent amplius.* Mens enim ejus totum huncce Syllogiſmum complectebatur: *Si pii convivæ non habent amplius vinum, ſequitur, tibi cauſam & occaſionem oblatam eſſe patrandi miraculi, adeoque te debere miraculoſe producere vinum. Atqui verum eſt prius. E. & poſterius.* Qua occaſione totum locum de Enthymemate cum philologice illuſtrat, tum philoſophice. Tale Enthymema etiam fuiſſe, ait, vocem illam, quam puer aliquis quotidie acclamabat Philippo Regi: *Philippe, homo es.* En Syllogiſmum perfectum: *Si, Philippe, homo es, debes eſſe memor mortalitatis. Atqui verum eſt antecedens. E. & conſequens.* Sequitur *octavo* loco Cl. *Beyſchlagii* Epicriſis in priores 559
hujus *Pœciles* libros, eaque pleraſque Autoris ſententias & ſuo ſuffragio confirmans & uberius illuſtrans. Hic *p. 565 ſqq.* notitiam dat Editionis *Taciti* longe rariſſimæ, Romæ A. 1515 factæ Leonis M. P. M. auſpiciis a *Phil. Beroaldo* juniore, in cujus ultima pagina hæc verba inſunt: *Nomine Leonis X Pont. Max. propoſita ſunt præmia non mediocria his, qui ad eum libros veteres neque adhuc editos attulerint. Nono* 575
& duobus ſubſequentibus locis tres exhibentur Diſſertationes *de Bibliotheca ſelecta.* Vario autem ſenſu *ſelectam* dici Bibliothecam, obſervat Autor, ſingulosque ſignificatus multis illuſtrat. *Primo* ſacer Codex, *Biblia* vulgo vocant, ævo illo medio geſſit nomen *Bibliothecæ.* Deinde ea dicitur merito ſelecta Bibliotheca, quæ conſtat libris paucis quidem illis, ſed, ſi θεοπνεύστους illos libros exceperis, omnium in omni genere

 longe

longe principes & a diviniſſimis profectos ingeniis. Quibusdam duo illi ſoli, *Plutarchus* & *Plinius*, viſi ſunt eſſe perfecta Bibliotheca. Alii adjungi duobus his voluerunt *Ariſtotelem* & *Ptolemaeum*. Memorat hac occaſione varias eorum ſententias, qui judicare ſuſtinuerunt, quis poſt ſacrum Codicem optimus omnium liber ſub Sole ſit. Ita de *Melanchthonis Locis Theologicis* judicat *Lutherus*, de *Godofr. Arnoldi Hiſtoria Eccleſiaſtica Thomaſius*. *Tertio* Bibliotheca ſelecta ſignificat libros ſcriptorum πολυγράφων optimos, de cujus generis libris tres Diſſertationes exſtant *Thom. Crenii*. Sic optimum *Auguſtini* Opus eſſe judicatur *de Civitate Dei*, *Glaſſii Philologia ſacra*, *Dallaei* liber *de uſu Patrum*, *Baelii Commentarius in verba Chriſti: Compelle intrare*, *Hunnii* liber *de majeſtate S. Scripturae*, *Lutheri Commentarius in Geneſin*. Optat Noſter, ut quis edat ejusmodi *Ariſtologiam bibliographicam*, ſed ſimul monita adjicit ei obſervanda, qui defungi hoc officio rite velit. *Quarto* Bibliotheca ſelecta dicitur, quae cujusque diſciplinae libros optimae notae exhibet. Ac habemus *Struvii Bibliothecam ſelectam Juridicam*, itemque *hiſtoricam*. *Quinto* ea eſt Bibliotheca ſelecta, quae habet optimas Editiones praeſtantiſſimorum Autorum. *Sexto* ea, quae continet illos libros, quorum quisque unus eſt in ſuo genere optimus, e. g. optimam Logicam, optimam Grammaticam Latinam, optimum Compendium Hiſtoriae Eccleſiaſticae, optimum Commentarium in ſingulos ſacri Codicis libros. *Septimo* ea, quae eorum in gratiam, qui vel emere vel emtos legere non poſſunt multos magnosque libros, optima inde excerpta exhibet. Quo conſilio Card. *Thomaſius Inſtitutiones Theologicas SS. Patrum* edidit, *Rauppius Bibliothecam portatilem Theologicam*. *Octavo* Bibliothecae ſelectae nominari merentur illi libri, qui accuratas exhibent recenſiones librorum melioris notae ſive veterum ſive noviſſimorum. Quo ipſo ſub titulo (*Bibliotheque choiſie*) Cl. *Clericus* edidit per plures annos ſuas noviſſimorum librorum recenſiones. Et Cl. Autor pro ſuo in nos favore etiam haec ipſa *Acta Eruditorum* jure inſigniri cenſet titulo *Bibliotheca ſelectae*. *Certe*, inquit, *qui* Acta Eruditorum *poſſidet, per tot*

*annos*

*annos Lipſiæ edita, quantam is Bibliothecam poſſidet, & quam*
*multorum librorum petere inde poteſt notitiam, eamque non*
*titularem ſolum, ſed etiam realem!* *Diſſert.* XII oſtenditur, p. 615
diſputationes *de ſummo bono* eſſe λογομαχίας, cum diverſam
quisque ideam ſummi boni habeat. Recenſet igitur varias
ſummi boni ideas, & ex eo concludit, vere ſummum bonum
vocari & virtutem, & tranquillitatem animi, & voluptatem, &
ſanitatem, & pacem, & amicitiam, & ſapientiam, & religionem,
& Biblia, & Deum. *Diſſert. XIII* veritatem religionis Chri- 622
ſtianæ novo argumento demonſtrat. Occaſionem ſcilicet
præbente choro Stoicorum, perfectum ſapientem hoc in orbe
dari negantium, hoc eſt, virum & omnis erroris expertem, &
ſumma ſapientia præditum, & ita omni virtute circumfulgen-
tem, plane ut nihil vitii in eo deprehendatur, hunc in mo-
dum ratiocinatur: *Ea religio, quam tradidit perfectus &*
*omnibus numeris abſolutus Sapiens, eſt vera ſapientia, vera*
*religio. Atqui religionem Chriſtianam*, cetera. *Ergo.* Pro-
fert igitur documenta perfectæ Chriſti cum ſapientiæ, tum
virtutis luculentiſſima. Quod ſi quis falſo hæc tradi de Chriſto
dixerit, adire eum jubet *Sam. Werenfelſium*, qui ſingulari Diſ-
ſertatione omnes ejus generis ſcrupulos animis exemerit.
*Diſſert. XIV*, eademque ultima, eſt *de Sectis ſive Hæreſibus* 630
*Grammaticorum.* Singularum diſciplinarum Profeſſores in Se-
ctas jam olim fuiſſe diviſos, præfatus Cl. Autor, e Grammati-
cis veterum Sectis memorat *Ariſtarchicos*, *Callimachios*, *Cra-*
*tetios*, &c. Recentiori ævo Græcorum Grammaticorum alii
ſunt *Goliani*, alii *Welleriani*; Latinorum alii *Rheniani*, alii
*Schmidiani*; Hebraicorum alii *Warmuthiani*, alii *Danziani*,
rurſusque *Adoniſtæ* alii, alii *Jehoviſtæ.* Pro diverſitate pro-
nuntiationis Græcæ alii ſunt *Etaciſtæ*, alii *Jotaciſtæ.* Ortho-
graphia Latina Grammaticos dividit in *Cellarianos*, *Schurz-*
*fleiſchianos*, & *Gatakerianos.* Ad puritatem ſtyli quod atti-
net, ſive Græci, ſive Latini, ſive Germanici, ortum hinc habet
Secta *Ciceronianorum*, & *Pſochenianorum*, & *Polycarpicorum*,
ſive *der Fruchtbringenden Geſellſchafft.* Ac horum quidem
ineptias producit complures, dignas, quæ conſiderentur ab iis,
qui

Digitized by Google

qui noſtro tempore, dum purum reddere ſtudent ſermonem patriæ noſtræ, ſæpius a recta via aberrant, & in illud incurrunt vitium, quod vulgus appellat Pedantiſmum.

## *JO. FRANCISCI BUDDEI COMPENDIUM Hiſtoriæ Philoſophicæ, Obſervationibus illuſtratum; cum Præfatione JO. GEORGII WALCHII.*

Halæ Saxonum, typis & impenſis Orphanotrophii, 1731. 8. Alph. 1. pl. 14.

SIngulari prorſus applauſu Beati & poſt fata quoque celeberrimi Autoris ſcripta excepta eſſe, conſtat. Gratiæ igitur habendæ ſunt S. R. *Jo. Georgio Walchio*, fatendumque, laudatiſſimum operæ pretium feciſſe eum, dum hoc Hiſtoriæ Philoſophicæ Compendium, a Beato *Buddeo* nonnullis abhinc annis editum, atque *Elementis* ſuis *Philoſophiæ Inſtrumentalis* præmiſſum, poſtea vero privata induſtria obſervationibus illuſtratum, in publicam lucem emiſerit. Plurima lectu digniſſima Autor nunc ἐν ἁγίοις in obſervetionibus addidit, quorum præſtantiam facile intelliget, quisquis in lectione hujus libri verſatus fuerit paulo diligentius. Ante omnia eruit Autor *Cap. I, de Philoſophia generatim* inſcripto, genuinam vocis Philoſophiæ ſignificationem, oſtenditque, quosnam σοφὲς veteres appellitaverint, & qua occaſione Philoſophi vox originem ſuam acceperit, Philoſophiæque nomen invaluerit. Præmiſſa Philoſophiæ definitione, ad ejus partes & diviſiones B. Autor progreditur, atque fuſius de Scepticis, eorumque generibus & ſectatoribus, differit. *Cap. II de Philoſophia Hebræorum* obſervatu digniſſima exhibentur. Adducta enim Adami atque Patriarcharum, qui ante & poſt diluvium vixerunt, Philoſophia, illorumque in rebus philoſophicis opera, confert ſe Autor ad Philoſophiæ Hebræorum conſervationem, inſtaurationem & corruptionem, refert varias Hebræorum Philoſophorum Sectas, nec alia, quæ huic Commentationi lucem afferre poſſunt, prætermittit. *Cap. III* agitur

*de*

*de Philoſophia gentilium, ſpeciatim Barbarica.* Primo loco attingitur Philoſophia Barbarica, &, an illa Philoſophiæ nomine digna ſit, ventilatur. Hanc Chaldaica excipit Philoſophia, ubi de ejus antiquitate & autore diſquiritur. Præ ceteris vero notatur Perſarum Philoſophia, ac, ejusdem conditore adducto, Magi Perſarum ob virtutis ſtudium laudantur. His ſuccedunt Phœnices, quorum literarum ſtudia, philoſophandi ratio, nec non Philoſophi, enarrantur. Illos ſequuntur ſapientiæ ſtudia, quæ apud Arabes antiquiſſimis floruerunt temporibus. Injicit hic mentionem Autor Sabæorum, gentis Arabicæ, ac erudite de illis diſputat, qui Zabios a Sabæis diſtinguere conantur. Denique Indorum Philoſophi, eorumque doctrina, commemorantur. Cum autem B. Autor mentem ſuam expoſuerit, quænam gentes in Africa Philoſophiæ ſtudium excoluerint, ad Ægyptios migrat, atque illorum Philoſophiæ autorem indicat, & affirmat, jam ante Moſis ætatem Philoſophiæ ſtudia apud Ægyptios floruiſſe. Pergit in delineatione Philoſophiæ Ægyptiacæ ad ejus propagationem, doctrinam occultiorem, & varias Ægyptiorum ſcientias, quas inter cumprimis artis Chemicæ fit mentio, nec non diſſidiorum, quæ *Herm. Conringio* cum *Olao Borrichio* & *Morhoſio* de Chemiæ peritia Ægyptiorum interceſſerunt. Tandem diſquiritur, quid ſentiendum ſit de Ægyptiorum Theologia & Phyſiologia. Probat hic Autor, *μετεμψύχωσιν* Ægyptios primum aſſeruiſſe. Huic Philoſophiæ ad latus ponitur Thracica, cujus autores nominantur, eorumque cura in Thracibus inſtituendis ac docendi ratio indicatur. Agmen denique in Philoſophia Barbarica claudunt Gallorum & Celtarum Philoſophi, quorum dogmata præcipua enarrantur, eaque, quæ ad explanationem hujus argumenti faciunt, fuſius recenſentur. Prius vero quam Autor longe celeberrimus ad Græcanicam accedit Philoſophiam, dicendum ſibi eſſe aliquid putavit de *Pythagoræorum* Philoſophia. Hinc non pauca de *Pythagora*, ejus vita, ſcriptis & ætate, afferuntur; diſceptatio commemoratur, quæ ætatis, qua *Pythagoras* vixit, ratione orta fuit inter *Guil. Loydium*, *Richard. Bentlejum* & *Henr. Dodwellum*; ejus diſcipuli allegantur; diſciplinæ *Pythagoricæ* ratio & docendi methodus adducuntur; illi, qui recentiori ætate hanc philoſo-



Digitized by Google

phandi rationem ſcriptis ſecuti ſunt, innuuntur; ac tandem, quid de principiis & doctrina *Pythagoræ* ſit ſentiendum, uberius exponitur. Poſt Philoſophiam Barbaricam Autor noſter ſibi tractandam ſumit Philoſophiam Græcanicam, quæ *Cap. IV*, quod *de Philoſophia Græcanica* agit, continetur. Tres iſtius Philoſophiæ claſſes conſtituuntur, Poetica ſcilicet, Ionica & Eleatica. Ad Poeticam quod attinet Philoſophiam, ſolide demonſtrat, Poetas vel aperte, vel per fabulas, Philoſophiam docuiſſe; hinc de fabularum iſtarum dura & incerta interpretatione diſſerit, variasque hac de re doctorum virorum ſententias adducit. Hac præmiſſa, ad Ionicam accedit Philoſophiam, &, oſtendens ejus conditorem, Ionicorum exponit hypotheſes, illorumque doctrinæ moralis, nec non ſeptem Græciæ ſapientum, mentionem facit. Commemorat quoque, ex Ionica ſchola prodiiſſe *Socratem*, cujus vitam, mortem, doctrinam, & diſcipulos, eorumque ſectas, refert. Tunc latius diſputat de Secta *Cyrenaica*, *Ereatica*, *Megarica* ac *Platonica*, ubi & *Platonis* vita, aſſeclæ & doctrina, deſcribuntur. Inter *Platonis* aſſeclas haud infimum *Ariſtoteles* tenet locum, cujus vita fataque recenſentur. Superadditur peculiaris de iſtius ſcriptis obſervatio, quale nimirum experta ſint fatum; indicantur etiam ejus ſectatores omnes, ac illius denique decreta Philoſophica admodum perſpicue & accurate proponuntur. Poſtquam vero Autor *Cynicorum* Sectam, hujusque principem ac ſectatores, adduxit, ſimulque docuit, unde nomen *Cynicorum* ſortiti fuerint, transgreditur ad Sectam *Stoicam*, cujus conditores, propagatores, nec non dogmata, enarrantur. Tandem *Eleatica* ſequitur Philoſophia. Obſervat Beatus Autor, *Eleaticæ* Sectæ præmitti adhuc a quibusdam ſolere *Heracliteam*, de qua fuſius diſſerit. Oſtendit porro hujus Sectæ autorem diſcipulosque, ac de illis haud levia apponit momenta. Præ ceteris notat *Democritum*, a quo novum Secta *Eleatica* nacta fuerit ſplendorem, cujus vitam & ſectatores erudite more ſuo recenſet, pariterque de *Epicuro*, *Democriteæ* ſcholæ magno inſtauratore, ejusque aſſeclis, verba facit. Finem denique hujus Capitis conſtituit referendo diverſa *Eleaticorum* dogmata, Atheiſmum, huic Sectæ proprium, atque præcipua *Epicurei* ſyſtematis capita. *Cap. V* tractatur *de Philoſophia*

medii

*medii ævi Arabico-Scholaſtica*; *Cap. VI* autem *de Philoſophia recentiori*, ubi recentiorum philoſophandi ratio indicatur; aliis ſcilicet Philoſophiæ Scholaſticæ barbariem duntaxat rejicientibus, aliis vero unam ex veteribus Sectis, v. g. *Platonicam*, *Ariſtotelicam* &c. inſtaurare conantibus. Omnes autem Autores, qui unum ex variis illis philoſophandi generibus amplexi ſunt, B. Autor accurate adduxit, plurimaque de illis obſervatu digniſſima in medium protulit. Hac quoque occaſione certamen, inter Græcos quosdam de *Platonica* & *Ariſtotelica* Philoſophia exortum, recenſet. Accedit porro ad iſtos, qui, relictis Scholaſticorum & *Ariſtotelis* dogmatibus, novam prorſus philoſophandi viam ingreſſi ſunt, quos inter præcipuus eſt *Petrus Ramus*, cujus ſectatorum adverſariorumque, nec non eorum, qui *Melanchthonem* cum *Ramo*, aut hunc cum *Ariſtotele* conciliare anniſi ſunt, mentionem injicit, ac diligentiam, quam *Hieron. Cardanus* in totius Philoſophiæ reformatione adhibuit, celebrat, nec ea omittit merita, quæ viri haud incelebres, *Franciſcus Baco de Verulamio, Thomas Campanella*, aliique, quos adduxit, in rebus philoſophicis magis magisque emendandis habuerunt, controverſiamque haud leviorem, quæ *Sperlingio* cum *Zeiſoldo* de animæ origine interceſſit, memorat. Præterea Chemicorum commonſtrat originem, ſtudiumque Chemiæ ab Arabibus ad Europæos propagatum fuiſſe luculenter probat, atque hujus inſtauratorem *Theophraſtum Paracelſum* indicat, de cujus vita, doctrina & ſectatoribus, e. g. *Weigèlio, Bœhmio*, ceterisque, ex inſtituto agit. Refert etiam ad hanc Philoſophorum claſſem *Helmontios*, patrem & filium, nec non *Petrum Poiretum*, quorum vitas & ſcripta aſſidue recenſet. Eandem induſtriam adhibuit in recenſendis myſticæ & theoſophicæ Philoſophiæ ſyſtematibus, autoribus, ac horum libris huc ſpectantibus; nec minori doctrina egit de vita & fatis, patronis atque adverſariis *Renati Carteſii*, & de inſignioribus ejusdem Philoſophiæ capitibus; de illis, qui hac Philoſophia ad profana abuſi, ſpeciatim de *Spinoza* & *Beckero*; de *Nicol. Machiavello*; de *Monarchomachis*; de *Thoma Hobbeſio*; de *Hugone Grotio*; de *Sam. Puſendorſio*, ubi & ſermonem ad illos dirigit, qui eum ſecuti ſunt atque illuſtrarunt, quos inter eminet *Chriſtianus Thomaſius*,

 cujus

Digitized by Google

cujus merita prædicantur. Laudat quoque in emendanda Philoſophia virorum eruditiſſimorum ſtudium collocatum, qui recentiori ætate celebrari cœperunt, *Gothofredum Guilielmum Leibnitium* puta, & *Andream Rüdigerum*. Meminit etiam ὡς ἐν παρόδῳ controverſiæ, recentiſſimo tempore inter *Chriſt. Wolfium* ejusque aſſeclas ex una, & *Joach. Langium*, ac qui cum ipſo faciunt, ex altera parte, agitatæ. Poſtea ad Philoſophiam Indorum & Sinenſium progreditur, cujus ſumma indicatur, *Spinoziſmus* ac quædam Sinenſium Secta, Atheiſmum aperte profitens, notatur, illorumque doctrina declaratur. Dehinc *Eclectica* philoſophandi ratio ejusque autores & cultores laudantur, atque, quinam veri Eclectici ſint, & non ſint, innuitur. Denique *Syncretiſmus* Philoſophicus exponitur, præcipuique referuntur Philoſophorum conciliatores.

Operi huic elegantiſſimo erudita præmiſſa eſt Præfatio a Viro S. R. *Jo. Georgio Walchio*, in qua tum Commentatores in venerandi Soceri ſui *Elementa Philoſophiæ*, variasque iſtorum editiones, tum præcipua Hiſtoriæ hujus Compendii contenta diligenter recenſet.

## *JO. FRANCISCI BUDDEI OBSERVATIONES in Elementa Philoſophiæ Inſtrumentalis, editæ cura & ſtudio JO. GEORGII WALCHII.*

Halæ Saxonum, typis & impenſis Orphanotrophii, 1732. 8. Alph. 2.

CОntulit Autor Beatus, *Compendio Hiſtoriæ Philoſophicæ* obſervationibus illuſtrato, ſtudium ſuum ad *Philoſophiam Inſtrumentalem*, eamque totam Commentariis illuſtravit. Quatuor hujus Philoſophiæ conſtituens Partes, *Partis I, de ratione inveniendi verum* inſcriptæ, *Capite I de Intellectu humano, ejusque operationibus & facultatibus* agit, Logicesque definitionem, finem ac methodum exponit. Affirmat deinceps & probat duas mentis facultates, voluntatem nimirum ac intellectum, cujus operationem, cogitationem ſcilicet, variam eſſe, & ad tres commode referri poſſe claſſes, ideam puta, judicium ac ratiocinationem, contra *Chriſt. Thomaſium*, aliter ſentientem, pluribus evincit. Hinc plurima in medium protulit Autor de ideis, earumque origine & varietate; de judicio atque ex hoc fluentium propoſitionum qualita-

litate æque ac quantitate; de ratiocinatione & quæ huc ſpectant; de terminorum, propoſitionum ac Syllogiſmorum diverſitate: quibus omnibus eruditiſſimas adjecit obſervationes. Poſt hæc natura intellectus accuratius inveſtigatur, de ejus diſtinctione in purum vel impurum edifferitur, ac denique, quid ingenium, judicium & memoria ſignificet, innuitur. *Cap. II* proponuntur *intellectus humani vitia & imbecillitates*. Probat Autor, intellectum noſtrum eſſe corruptum, variaque ejus vitia ac iſtorum cauſas recenſet. Differit hac occaſione de *Enthuſiaſmo* & *Fanaticiſmo*, deque præjudiciis, atque diverſis eorum generibus, ac vitiis huc pertinentibus. Ab his progreditur ad *intellectus humani ſanitatem atque virtutes*, quæ *Cap. III* includuntur. Oſtendit, in quo intellectus ſanitas, perfectio ac virtutes conſiſtant, monetque, præcipuam intellectus virtutem eſſe rerum cognitionem claram, diſtinctam, adæquatam, veram, ubi de veritate logica diſquirit, eaque adducit, quæ hac de re ætate recentiori *Andreas Rüdigerus* diſputavit. Hiſce poſitis, cognoſcendi principia exponit, aſſeritque, nullum aliud primum ac univerſaliſſimum conſtitui poſſe principium cognoſcendi, quam illud: *Impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe*; ac fuſius de eo, & quæ *Gottl. Gerh. Titius* contra hoc principium attulit, diſputat. Verſans vero adhuc Autor in veritatis demonſtratione, probat adverſus Scepticos, dari omnino veritatem, differitque latius de criterio veritatis; de veriſimilitudine, ejusque fontibus ac gradibus; de opinione; de fide; de Syllogiſmorum modis ac figuris, atque de ceteris intellectus virtutibus. Obſervat denique *Cap. IV*, *de mediis emendandi intellectum ſanitatique reſtituendi* tractante, remedia ad errores evitandos intellectusque ſanitatem reſtituendam, quæ inter eminet cognitio hiſtorica. Ut autem hæc vera & accurata evadat, plurima adducuntur ſubſidia adhibenda, ſimulque oſtenditur, qua ratione judicii, ingenii, memoriæ ac voluntatis, emendatio rite inſtituatur. *Pars II*, quæ *de ratione veritatem ex aliorum ſcriptis eruendi* inſcribitur, iterum quatuor complectitur Capita. Poſtquam vero Beatus Autor *Capite I*, quod *de natura & indole ſermonis* agit, initium fecit commonſtrandi ſcientiæ hermenevticæ tum neceſſitatem, tum indolem, nonnulla de ſermonis origine ac linguarum confuſione, earundemque hinc orta varietate, differit, varias de argumentis hiſce recenſens erudi-



Digitized by Google

torum ſententias. Sermoni vocem ſtatim annectit, ejusque definitiones, &, quæ huc ſpectant, accurate ſatis adducit, quibus tandem conſiderationem diverſitatis tum propoſitionum, tum periodorum, ac denique ſtili, addit. Ad *Cap. II* hujus Partis, *de obſcuritate ſermonis, ejusque cauſis*, annotavit varias obſcuritatis cauſas, quæ deprehenduntur & in ſermone ipſo, & in interprete, quarum cauſarum nonnullas ad intellectum, nonnullas vero ad voluntatem pertinere, perſpicue admodum demonſtravit. *Caput III* inſcriptum eſt *de ſermonis ſenſu vero ejusque criteriis*. Notat hic Autor non ſolum, quod ſermoni certus & quidem non niſi unus poſſit ineſſe ſenſus, ſed etiam rationem affert, quare nonnulli duplicem ſtatuant ſenſum, litteralem videlicet & myſticum, variaque ſenſus litteralis exponit criteria. *C. IV* agitur *de mediis hermenevticis*. Latius hic oſtenduntur diverſi modi variaque media, quibus obſcuritati, quæ ex ideis & ſermone ac ipſa interpretationis diſpoſitione oriuntur, obviam iri poſſit, quæ ipſa variis exemplorum generibus illuſtrantur, nec non teſtimoniis eruditorum virorum corroborantur. Sequitur porro *Pars III*, rationem *veritatem cum aliis communicandi* exhibens, cujus *Cap. I* tractat *de variis modis veritatem cum aliis communicandi*. Solicite hic Autor Beatus eruit, quid veritatis nomine hoc loco veniat, variasque docendi rationes demonſtrat. Et poſtquam *Cap. II*, *de vitiis docentium veritatemque cum aliis communicantium*, vitia tum docentium, tum diſputantium, accurate expoſuit; ad explanationem *C. III, de virtutibus docentium veritatemque cum aliis communicantium*, progreditur. Tres præcipuarum docentium virtutum conſtituens claſſes, diſputantium virtutes & officia deſignat. *C. IV*, quod agit *de mediis, quibus facultas, veritatem cum aliis rite communicandi, comparatur*, per ſe clarum, pauciſſimis Autor illuſtravit obſervationibus. Hinc ad *Partem IV, de notitia Terminorum Philoſophicorum*, ſe confert, ac obſervans *Cap. I, de ente ejusque attributis generatim*, Metaphyſicæ nomine quid deſignarint veteres Philoſophi, Scholaſticorum Metaphyſicæ utilitatem & pretium oſtendit, variaque de ente, ejus attributis & indole, in obſervationibus addidit. Miſſo hoc Capite, ad illuſtrationem *Cap. II, de attributis entis ſimplicibus*, venit, diſſeritque de entis unitate, veritate, perfectione, ubietate & duratione. Et, quemadmodum *Cap. III, de attributis entis disjunctis primariis*, commemorat ea

attri-

attributa, quæ abſoluta, ſeu primaria dicuntur, ita *Cap. IV, de attributis entis disjunctis ſecundariis*, attributa recenſet relativa, ſive ſecundaria, variiſque omnia ſcholiis auxit eruditiſſimis. *Capite* denique *V, de inferioribus entis*, affirmat, ad inferiora entis referri vel ſubſtantiam, vel accidens. In fine hujus libri addita eſt *Appendix, Obſervationes in Hiſtoriam Phyſices exhibens.* Complectitur hæc *Caput primum* Elementorum Philoſophiæ Theoreticæ, quod agit *de Philoſophia Theoretica, ſpeciatim Phyſica, natura & hujus per varia inventa incrementis.* Doctiſſimos in Obſervationibus Autor Beatus adjecit viros, qui ad explanationem Hiſtoriæ Phyſices operam ſuam contulerunt, variaque appoſuit, quæ huic Hiſtoriæ lucem afferunt haud mediocrem. Ceterum, Autorem doctiſſimum, ut apud animum ſuum ſtatutum habuerat, reliqua hujus Partis Capita aliasque Philoſophiæ ſuæ diſciplinas ob mortem prænaturam explanare non potuiſſe, dolendum eſt.

## *MEDITATIONES PRÆLIMINARES DE STUdio Juris Ordine atque Methodo ſcientifica inſtituendo; Autore JOANNE ADAMO ICKSTATT, U. J. D. Jur. Publ. Prof. P. & O. Reverendiſſ. & Celſiſſ. Principis, Epiſcopi Bambergenſis & Herbipolenſis Conſiliario.*

Wirceburgi, typis Marci Antonii Engmann, 1731. 4.
Alph. 1 plag. 7.

Agnoſcit Conſultiſſimus Autor nævos Academiarum, inter quos refert, quod Jus publicum aut prorſus negligatur, aut perfunctorie ſaltem tractetur; quod juvenum illuſtri loco natorum paria ſint ſtudia cum iis, qui cauſas aliquando in foro acturi ſunt; quod hactenus credatur, eos, qui quadriennio aut quinquennio Inſtitutionibus atque Pandectarum libris inſudarunt, adminiſtrandis reditibus Principum atque controverſiis, quæ circa Regalia, Jus Vectigalium, Stapularum, Emporiorum, Conductus, Metallorum, Foreſtæ &c. moventur, decidendis pares fieri; quod Jura tractentur methodo non ſatis ordinata, nec regulis Logicis ex aſſe conformi; quodque Juris Civilis ſcientiæ non præmittatur penitior Juris Naturalis atque Politices doctrina, nec Juri publico Hiſtoria Imperii Romano-Germanici. His igitur defectibus medelam

delam afferre ſtudet: atque adeo in his meditationibus prælimi-naribus docet, quinam ſit in ſtudio Juris partium ordo, quænam in docendo methodus ſervanda. In iis conſcribendis accuratam ſequi methodum ſtudet, ut ex notionibus diſtinctis ratiocinetur, & alia ex aliis deducat. Utitur autem ubivis notionibus Philoſophicis Cel. *Wolfii* in rem ſuam, quem paſſim laudat & in cujus ſcriptis ſe plurimum verſatum eſſe probat. Quatuor ſunt Meditationum iſtarum Capita. Primo de fundamento & cognitione juris in genere; ſecundo de partibus juris, tertio de earum principiis & ordine; quarto denique de methodo docendi ac diſcendi Jurisprudentiam agit. Scilicet Capite primo de notione ac principio Juris Naturalis, de legis natura ac rationibus tam intrinſecis, quam extrinſecis, de mente ac ſcientia legum, de cognitione Juris Hiſtorica, & Philoſophica, itidemque Mathematica, de uniuscujusque cognitionis principiis, de certitudine cognitionis juris Philoſophicæ, ejusdemque probabilitate, de uniuscujusque cognitionis uſu, de prærogativa Philoſophicæ præ Hiſtorica, de cognitione Juris pragmatica & ſolida, ejusdemque lapide Lydio, de Juris applicatione, de Jurisprudentia & interpretatione legum, aliisque materiis agnatis, diſſerit. *Cap. II* de Jure Naturæ ethico, divino ſociali, ſociali Oeconomico & Politico, publico univerſali, Eccleſiaſtico univerſali, Jure Gentium ſociali, Jure divino & humano poſitivo, hujusque ſpeciebus, Canonico, publico Eccleſiaſtico & ſpeciali Imperii Romano - Germanici, Civili tam publico, quam privato, Criminali, Feudali, Camerali Proceſſualique, agit. Facile ex hac recenſione apparet, Cl. Autorem ſpecies Juris diverſas accuratius a ſe invicem diſtinguere, quam vulgo fieri ſolet. Affert autem ſingularum notiones diſtinctas, earumque fundamentum perſpicue explicat, ut integram Jurisprudentiæ ideam animo complecti liceat. *Cap. III* Principii juris notionem in genere evolvit, per quod notionem ac propoſitionem intelligit, ex qua veritas legum & Jurium demonſtratur Deinde ad principia ſingularum partium in genere evincenda progreditur. Oſtendit vero ſimul, quænam diſciplinæ Philoſophicæ, & quo ordine Juris ſtudio præmittendæ ſint, ut in hoc ſolidæ legum cognitioni ſit locus, & quænam partes Juris aliis ſint præmittendæ, quænam iis poſtponendæ. *Cap. IV*, ubi de methodo docendi atque diſcendi Jurisprudentiam agit, primo loco monet, docere Jurisprudentiam idem eſſe ac legum & Jurium notiones diſtinctas diſcentium animis verbis viva voce prolatis communicare; diſcere vero Jurisprudentiam eſſe legum in vita olim applicandarum atque Jurium cuique competentium notiones diſtinctas animo ſuo concipere. Unde deducit requiſita docentium, itidemque demonſtrat, quales ipſi uti debeant definitionibus, axiomatis, lemmatis, propoſitionibus & probationibus. Explicat etiam notionem Syſtematis Juris, & quæſtiones agnatas alias expedit. Ex omni autem hac tractatione elucet, quanta ſit Philoſophiæ *Wolfianæ* in ſtudio Juris utilitas, & quantam ſpem faciat Noſter, fore, ut ejus uſus plurimum lucis affundat univerſæ Juris diſciplinæ.

❈ ❈ ❈

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Februarii Anno MDCCXXXII.*

## *FLAVII AVIANI FABULÆ CUM COMMENTARIIS ſelectis ALBINI Scholiaſtæ veteris notisque integris ISAACI NICOLAI NEVELETI & CASPARIS BARTHII: quibus Animadverſiones ſuas adjecit HENRICUS CANNEGIETER. Accedit Ejusdem Diſſertatio de ætate & ſtilo FLAVII AVIANI.*

Amſtelodami, apud Martinum Schagen, 1731, 8.
Alph. 1 plag. 3½ chart: maj.

AVianus, fabularum ſcriptor non inutilis, atque pueris olim Autor tritiſſimus, poſtea hominum conſortio adeo exemtus fuit, ut inde a Typographiæ natalibus vix vicies exſcriptus fuerit, ſi ex Præfatione libri, qui ſub manibus eſt, calculum ſubducamus. Pervenerunt ad tempora noſtra ex omni veterum Commentatorum grege duo tantummodo, quorum alter, *Joanni Cabeliavio* nomen fuit, ſi recte nobis conſtat, adhuc nunquam prela exercuit, quemque, ſi probe meminimus, olim inter ſupellectilem librariam vere regiam Sereniſſimi Ducis Brunſuicenſis & Luneburgenſis, quæ Guelpherbyti in arce illuc venientibus quotidie patet, verſans manibus ſuis tractavit noſtrum aliquis; alter eſt *Albinus*, ſive mavis, *Alcuinus*, ex quo *Barthius* quondam aliqua in ſuum Adverſariorum Opus excerpſit, quæque nunc Cl. Editor ſuo loco Notis inſeruit cum Animadverſionibus, quæ *Barthius* bre-

 vi ma-

vi manu, nec in omnes fabulas attulerat. Supereſt *Nevele-tus*, qui, ipſo fatente, puer editioni, quam paravit, obſervationes adjecit. Præter hos nemo exſtat in hunc Autorem interpres. Interim tam male *Avianus* erat habitus, ut ſui diſſimillimus, ne nomine quidem vero circumferretur, cum in plerisque libris *Avienus* diceretur, qui tamen *Avianus* erat dicendus, ut per priorem partem Diſſertationis huic novæ Editioni ſubjunctæ operoſe fuit evictum. Indigebat ergo medica manu, quam autore Cel. *Burmanno* lubens commodavit Cl. *Henricus Cannegieter*, Hiſtoriarum atque Eloquentiæ Profeſſor ac Gymnaſii Arnhemienſis in Geldria Moderator meritiſſimus. Adhibuit operi præter præcipuas Editiones XVI MSStorum Codicum excerpta, quæ tamen non ſufficiebant, ut Poeta ſibi ſimilis fieret. Indulſit ergo ſibi Cl. Editor, ut ex ſua voluptate fingeret atque refingeret, etſi ſæpiſſime ne minimam quidem ſuſpicionem veteres libri moverent. Satis autem oſtendit, quam felix in conjiciendo ei ſit ingenium; veremur tamen, ne haud paucæ ſint conjecturæ, quæ, ut fit in hoc literarum genere, vix doctis omnibus probabuntur. Inſtituti ratio non permittit, nec vacat, de iis, quid ſentimus, exponere; temperare tamen nobis non poſſumus, quin vulgatæ lectionis in *Aviano* Fab. XXI v. 6:

Suaſerat & *laribus continuare fugam*

contra Cl. *Cannegieteri* emendationem

Suaſit & a *laribus continuare fugam*

ſuſcipiamus defenſionem. Videtur, niſi fallimur, offendiculo fuiſſe, plusquamperfectum conjungi cum perfecto. Poeta enim modo ante:

*Sed vox implumes* turbavit *credula nidos.*

Confirmat nos in hac ſententia Fab. XXII v. 15. 16:

*Nam petit extinctus, ut lumine* degeret *uno,*
*Alter ut, hoc duplicans*, vivat *utroque carens*,

ubi *degeret* non potuit concoquere, ſed mavult *degat*, ne ſcilicet diſſideret a ſequenti *vivat*. Sic iterum Fab. XXIX v. 13 ſeqq.

*Namque*

*Namque ille agreſtem cupiens oſtendere vitam*
*Silvarum referens optima quaque* dabat
Obtulit & *calido plenum cratera lyao,*

*dedit* pro *dabat* magis arriſit. Sed negligit talem æqualitatem cum optimis quibusque *Avianus*. Fab. I v. 3 ſeqq.

*Credulus hanc vocem lupus* adiit & manet *ipſas*
*Pervigil ante fores, irrita vota gerens,*
*Nam laſſata puer nimia* dat *membra quieti*
*Spem quoque raptori* ſuſtulit *inde fames.*

Fab. IX v. 11, 12:

*Continuo prædam cupiens fera ſæva* cucurrit,
*Et miſerum curvis unguibus ante* levat.

Fab. XVI v. 11, 12:

*Stridula mox blando* reſpondit *canna ſuſurro,*
*Seque magis tutam debilitate* docet.

Et quid multis? Ipſe Vir Cl. infra in Diſſert. Cap. XXI p. 315 ſeqq. exempla aliquot collegit, quæ eum meliora edocere poterant. Nihilo tamen minus liber eſt plane ſingularis eruditionis, & quot paginæ, tot teſtes ſedulæ veterum monumentorum lectionis, inſignisque artis criticæ peritiæ, ut inter eos libros pauciſſimos merito ſit cenſendus, cui editor ſummam diligentiam tribuerit. Adeo ſpem noſtram, quam ante ſex annos nobis fecerat, plane ſuperavit. Eminent tamen inter cetera, quæ diſſeruit p. 57 de *tintinnabulis*, p. 113 de *verbere*, p. 117 de *formis*, p. 123 de *manu*, p. 140 de τῷ *facere eſſe expoſitum*, p. 208 de *phycide*, p. 227 de particula *que*, & per Diſſertationem fere totam *de Ætate & Stilo Fl. Aviani*. His addi merentur duæ emendationes in *Claudianum*, quas ex Codice Santgallenſi protulit p. 162 & 182. Non memoramus reliquas, quarum in hoc libello tam larga meſſis eſt, quam vix in magnæ molis Opere. In iis vero omnibus, quod ſcimus, nullis fuit adjutus libris MSStis, aut, quæ ſunt ejusdem autoritatis, antiquis Editionibus, ſine quibus tamen, niſi urgente ſumma neceſſitate, haud facile quicquam audendum, niſi ita olim per correctorum libidinem ſcriptores velimus amittere. Et eſt ſane, quod demonſtremus, temere non raro ſolicitaſſe, ſed alium ſibi campum

pum poſcit hæc diſputatio. Interim avide exſpectamus *Catonis* Diſtichorum editionem, quam in *Aviano* p.288 polliceri videtur, molirique aliunde novimus, niſi etiam hæc edendi conſilium abjecerit, cujus quidem triſtes ſunt nuncii literæ ad Societatis noſtræ Præſidem, *Menckenium*, nuper datæ de *Feſto*, ut vulgo dicitur, etſi jam aliquot anni, ex quibus eum ſperaverimus, immo per Commentarium in *Avianum* ſæpius fuerit promiſſus. Ferunt tamen eædem literæ ſolatium, editurum proxime Monumenta Romana, quæ in Batavia Fœderatisque Regionibus exſtiterunt olim, aut hodie exſtant. Res digna, quæ patronos inveniat, qui, ſi qua habent, Cl. Viro ſuppetias ferant. Hoc eſt, quod quemque ea, qua par eſt, obſervantia ejusdem nomine publice rogamus.

## *BIBLIOTHECA HEILSBRONNENSIS, ſive Catalogus librorum omnium, tam manuſcriptorum, quam impreſſorum, qui in celeberrimi Monaſterii Heilsbronnenſis Bibliotheca publica aſſervantur. Studio M. JOH. LUD. HOCKERI, Eccleſiaſtis & S. Theol. Profeſſ.*

Noribergæ, apud Petrum Conradum Monath, 1731, fol. Alph. 3 pl. 11.

QUantum commodi rei literariæ, &, quæ hujus non contemnenda pars eſt, βιβλιογνωσίας curatioris ſtudio ſubminiſtrent Bibliothecarum illuſtrium, tam publicarum, quam privatarum, Catalogi, qui hoc noſtro, quod vivimus, ſeculo operoſe docere ſive monitis, ſive exemplis, inſtitueret, næ vero is actum agere, & Athenas, quod ajunt, noctuas ferre velle vel ipſis amœniorum literarum tironibus exiſtimaretur. Jure itaque optimo abſtinebimus a commendanda Lectoribus noſtris Rev. *Hockeri* opera, quam is retegendis Bibliothecæ Heilsbronnenſis arcanis primus & unus veluti ſumma cum ſolertia, ita etiam maximo cum eruditorum fructu, impendit. Antequam vero ipſam Elenchi hujus librarii οἰκονομίαν proponamus, additis poſtremum, more noſtro, quibusdam Hypomne-

Digitized by Google

mnematis; placet de ſatis Bibliothecæ nonnulla, in vulgus hactenus minus cognita, ſummatim Præfationis ductu referre, quantumvis curtam admodum monumentorum, ad illius hiſtoriam inſtruendam, ſupellectilem affuiſſe ſibi fateatur Autor doctiſſimus, vel præſenti quoque notitia perlibenter uſuris.

Diſſimile veri prorſus non eſt, eadem fere fuiſſe Bibliothecæ iſti, cum cœnobio, ab Ottone, Henrici primum IV Imperatoris Cancellario, poſteaque Præſule Bambergenſi, in honorem D. Mariæ Virginis, *in prædio apud Heilsbronne*, quod habet vetus inſtaurationis formula, anno Chriſtiano MCXXXII inſtituto, initia; dum primi ſtatim Abbates de conquirendis in uſum communem, vel prece, vel pretio, libris ſoliciti eſſent; cujus rei luculenta Inſcriptionum MStorum tantum non omnium, ſive veſtibulis, ſive calci, annotatarum, veſtigia fidem faciunt longe ampliſſimam. Augmenta quin ſequenti tempore ceperit apparatus iſte, dubium omnino nullum eſt, cum hodienum reſtent ultra ſexcentorum numerum manu exarata volumina, impreſſorum etiam, ſub Typographiæ auſpicia ab artificibus famigeratiſſimis emiſſorum copia minime contemnenda. Seculi præſertim XVI ſub finem Mæcenatem munificentiſſimum experta eſt Bibliotheca Heilsbronnenſis *Georgium Marium* ſive *Mayerum*, Wirzburgenſem, doctorem Medicum Profeſſoremque Marpurgenſem & Heydelbergenſem; cujus ipſius conſilium ſecutus Georgius Fridericus, Marchio Brandeburgicus, Cœnobium hoc Heilsbronnenſe, quod Ciſtercienſium Monachorum inſtituta amplexum fuerat, in illuſtris Gymnaſii formam A. MDLXXXII tranſtulit. Hic enim eximia præſtantiſſimorum Autorum, ex medica potiſſimum arte, farragine novam hanc Scholam liberaliſſime inſtruxit. Quo non inferior *Georgius Lindnerus*, Noribergenſis, annis haut multo poſt, eandem ſimili munere librorum ex Hiſtorica inprimis, Philologica atque Philoſophica claſſe, immortali beneficio, locupletavit. Tricennali hinc bello flebile Muſis ſilentium per meliorem Germaniæ partem imperante, cum Tyllianus miles oras iſtas infeſtaret, Onoldum A. MDCXXXI ſecuritatis cauſa fuit transvecta; licet non plane omnis communem cladem ef-



Digitized by Google

fugiſſe videatur. Reſtituta tamen poſt viginti & unum annos ſedi priſtinæ, illo ipſo tempore, quo Schola etiam denuo inſtaurata fuit, ad hunc diem perſiſtit, quamvis integro fere abhinc ſeculo nullis omnino incrementis adaucta. Hoc interim debetur Clariſſimi *Joannis Friderici Krebſii*, qui per novem luſtra Lyceo iſti ſumma cum laude præfuit, ſtudio ac vigilantiæ, quod caverit ſolicite, ne detrimentum ullum amplius caperet cariſſimum Gymnaſii hoc depoſitum; ejusdemque filio, paternæ doctrinæ æmulo, *Joanni Henrico*, Sereniſſimo Principi Onoldino quondam a Bibliotheca, quod adornaverit curatum MStorum Indicem, iis uſui futurum maxime, quibus præſentibus frui iisdem licuerit.

Jam uti de ipſa Catalogi hujus conſtitutione, quem ſexagenario proximum, & ſubſidiis ad hujus generis molimina neceſſariis fere deſtitutum, ſe concinnaviſſe memorat Reverendus Autor, neceſſaria moneamus, notandum eſt, quod duabus omnino Partibus majoribus abſolvatur univerſa librorum enumeratio. *Prior Pars* manu pictorum, poſterior impreſſorum numerum exhibet. Illius itidem duæ conſtituuntur quaſi particulæ, quarum prima membranaceis ad p. 98, altera chartaceis ad p. 127 Codicibus recenſendis deſtinatur. Hujus autem *Sectiones quinque* deprehenduntur: Autorum Theologicorum ad p. 206, Juridicorum ad p. 213, Medicorum ad p. 232, Hiſtoricorum ad p. 260, & Philoſophicorum denique atque Philologicorum ad p. usque 288, adeoque ipſum finem libri. *Primam Sectionem* iterum in varias claſſes diſtribuit Cl. *Hockerus*, atque ſigillatim Codices Biblicos, porro Patres & Scholaſticos aliosque, qui ante Reformationem ſcripſere, iterum doctores Pontificios atque Monachos, tandem vero Scriptores Theologos omnis generis qui circa & poſt Reformationem tradendis veritatibus ſacris aut vindicandis manum calamumque applicuere, lecturis repræſentat. Fatendum nobis eſt ingenue, nos, veluti diſtinctionis hujus in ſimiles claſſes, qualis hic conſpicitur, fundamentum & uſum animo comprehendere haud adeo valemus; ita in reliquis etiam, quod eſt apud *Homerum*:

*Πάντα τ' ἄναντα κάταντα πάραντα καὶ ὄχμια ἦλθον.*

*Sectio-*

Digitized by Google

*Sectionibus* animadvertiſſe, non abſque inſigni lecturorum relecturorumque incommodo; cui vix eſt, uti additus triplex in fine Index medelam ubique afferat. Ut nihil dicamus, aut ordinis ſtudioſiorem, aut moroſiorem forte etiam, unumquemque facile offenſum iri ex neglecta univerſi Operis συμμετρία; dum nempe Patres & Scholaſticos ſerie Chronologica, Theologos Reformationis tempus vel aſſecutos vel inſecutos formula alphabetica, & reliquorum Scriptorum cenſum pro materiarum, quas ſinguli perſequuntur, conditione; JCtos denique & Medicos, prouti in Repoſitoriis ſuis vere conditi reperiuntur, collocatos intuetur. Quemadmodum etiam dolendum eſt, ſphalmata typothetæ fere præter numerum ſpecioſum alias ſatis libri externum habitum admodum dehoneſtare.

Sed pergimus potius ad ſpecimina quædam, quod promiſiſſe nos meminimus ſupra, in gratiam eorum, quibus priſcis monumentis nihil eſt antiquius cariusque, proferenda. Tranſmittimus vero libros impreſſos omnino, de quibus hoc ſaltim monemus, ſubjeciſſe illis hinc inde qualemcunque Autorum notitiam Cl. *Hockerum*, tironum uſui futuram, qui Heilsbronnam incolunt & hanc Bibliothecam perluſtrare geſtiunt frequentius, quandam etiam adhuc, antequam ad Academias accedant, comparare ſibi Hiſtoriæ Literariæ πρόγευσιν præoptant. Una nos jam tanget exaratorum manu cura, quos ad materiarum claſſes ſtudioſe ordinavit induſtria Viri doctiſſimi, quantum licuit, commode. Agmen inter membranaceos ducunt p. 1.
duo grandioris formæ Volumina, quæ cum aliis duobus, jam, neſcio quo caſu, deperditis, *univerſorum Bibliorum libros ex Hieronymi interpretatione* complectebantur. Superſtites adhuc duo hi Codices, nitide ſatis conſcripti, plurium ſeculorum ætatem, ſi conſuetis vetuſtatis indiciis ſtare licet, præ ſe ferunt. Sequuntur inter alia: *Bibliotheca metrica compoſita a M. Pe-* 3.
*tro Remenſe, quam intitulavit auroram.* Bibliothecæ vocabulo totam ſcripturam indigitavit Autor, qui quosdam illius libros metrice transtulit. Notus eſt alias inter eruditos ſub *Petri de Riga* nomine, ſub quo inprimis illum commendave-

runt

runt *Guil.Caveus* & *Polyc. Lyſerus*, ὁ μακαρίτης, in *hiſtoria Poetarum medii ævi*. Obſervat hic quædam Rev. *Hockerus*, quibus diſtinguatur Codex Heilsbronnenſis a binis Helmſtadienſibus & uno Guelpherbytano, quos ad manum habuit *Lyſerus*; quibus vero deſcribendis immorari haud licet. Codici alii
p. 10. *Rhabani Mauri ſuper numeros*, fol. prima pagina adſcriptum legitur: *Hunc librum contulerunt ex præcepto Rhabani Abbiſ. Lupus & Gerolfus & in quantum permiſit auguſtia temporis pro captu intelligentie correxerunt*; ex quo de ipſius vetuſtate & pretio argumentum licet capere. *Poſtilla ſuper Pſalmum centeſimum decimum octavum*; fol. juxta nempe computum verſionis vulgatæ; noſtratibus enim CXIX habetur, ad hujus calcem hæc leguntur:

*Pſalmus VIVIFICVS cenſeri debeo. Quare?*
*Teſtis veridicus eſt qui novit numerare.*
*VIVIFICVS pariter fert C. ſimul V. ter & I ter:*
*Unde liquet breviter enumerantis iter.*

15. *Sermones S. Bernhardi ſuper Cantica Canticorum.* Hos coævos exiſtimat Autor ipſi *Bernardo* Clarevallenſi, ex cujus potiſſimum inſtituto Monaſterium fundatum fuerit Heilsbronnenſe; cum diſſimile veri omnino non ſit, primos Abbates ſtatim de comparandis magiſtri ſui ſcriptis ſolicitos fuiſſe. *Unum*
17. *ex quatuor*; *ſeu Concordia Evangeliſtarum a Zacharia Chryſopolita. Harmoniæ* iſtud *Evangelicæ* vetuſtum ſatis ſpecimen inter rariſſima collocari debere ex *Theoph. Spizelii Arcanis Bibliothecarum retectis* evincitur, qui diſerte notavit, inter primarias Europæ Bibliothecas in ſola Oxonienſi Chryſopolitam
33. exſtare. *Sermones Domini Conradi de Brundelsheim olim Abbatis in Haylsbronn dicti in ſoccis*, in 4. Hunc unum & ſolum affirmat Abbatem Heilsbronnenſem *Hockerus*, cujus ſermonum aliquid exſtet; qui, quod ipſe ait, Criticæ monachalis non expertem ſe voluit oſtendere, ubi de primis Angelicæ, quam dicunt, ſalutationis vocabulis ita ratiocinatus eſt: *Maria dicitur AVE, id eſt ſine Va, hoc eſt, ſine culpa, cui juſto or-*
72. *dine debetur Va.* Satira illa vetuſta, non minus Clerici, quam & Laici, ordinis homines quoſcunque perſtringens ſale & aceto pluri-

plurimo; titulo *der Renner* inſcripta, & ab *Hugone* von *Trienberch* germanicis rhythmis circa medium ſeculi XIV pro ætatis iſtius ratione, ſatis ludicre atque ingenioſe compoſita, de qua *Morhofius von der Teutſchen Sprache* p. 351 pluribus diſſeruit, itidem hic eleganter membrana deſcripta circa A. 1347 comparet. Conqueſtus eſt haud ita pridem illuſtris *Ludewigius*, in *Vita Juſtiniani Imperatoris*, opere profecto elaboratiſſimo, rariſſimos inveniri in Germania *Juris Civilis* in univerſum, & *Inſtitutionum* inprimis *Codices Manuſcriptos*; cujus raritatis cauſas etiam non adeo nullas ſimul adduxit. Notamus itaque tres una eademque pagina memorari ab eruditiſſimo *Hockero Inſtitutionum* libros, maxima, media atque minima forma membranæ inſcriptos Codices; quos contuliſſe etiam Excellentiſſ. Altorfenſium Polyhiſtorem, *C. G. Schwarzium*, qui nuper demum Σχόλια Φιλολογικὰ *ad Inſtitutionum Juris Proœmium e collatis XII MStis* vulgavit, fortaſſe juvabit. *Boetii de conſolatione Philoſophiæ* liber in 4, variantes hic quaſdam lectiones ex Codice Heilsbronnenſi adlinit autor, quæ a *Lyſerianis*, in metris *Boetianis* abeunt, ſed exigui plerumque ſunt momenti. *Chronicon Urſpringenſis*, fol. hoc eſt, Chronicon Abbatis Urſpergenſis. Hoc itidem cum impreſſo omnium primo, *Conradi Peutingeri* cura A. MDXV Aug. Vind. vulgato, contulit *Hockerus*, & lectiones diſcrepantes notavit varias. Inter has unam, maxime inſignem, nos quidem hic commemorabimus. Exſtat in *Peutingeriano impreſſo*, ad A. MCXXIV *Heinricus Imperator V —— ægritudine quam diu celaverat ſuperatus ad extrema cœpit propinquare: vocatisque, qui ſecum erant, id eſt, Regina Mathilde conjuge ſua ceterisque primatibus, prout potuit de regni ſtatu conſilium dedit, coronam ceteraque regalia* &c. Hæc vero in *Codice Heilsbronnenſi* ita exhibentur: *Heinric. Imp. — cum jam diu regina Mathilde conjuge ſua, conſobrino ſuo Friderico Duce Sueviæ, ceterisque primatibus, prout potuit de regni ſtatu conſilium dedit, proprietates ſuas atque reginam ejusdem Friderici, utpote heredi ſuæ fidei commiſſit coronam ceteraque regalia*, rel. caſtellum etiam verſu mox ſecundo memoratum,

p. 77. 82. 86.

H in

in quo Principum conventus celebrari deberet, apud *Peutingerum Hammirſtein*, in Codice autem *Trivels* diſerte nuncupa-
p. 88. tur. Quæ ſequenti mox numero de Codice *Martini Poloni de vitis Imperatorum & Pontificum* &, quod ibi exſtare dicitur *de Joanne Papiſſa* teſtimonio luculento, inprimis fuſe diſputantur, ac præſertim contra Clariſſ. *Schelhornium, Amœnit. litt.* t. 1 p. 216 monentur, prolixiora ſunt quam ut iis immorari poſſimus. Unum id addimus claudere membranaceorum ordi-
97. nem Codices *Lucani, Terentii, Juvenalis, Saluſtii* & *Horatii*, ſingulos canæ vetuſtatis, ex Noſtri quidem ſententia, characteribus conſpicuos; qui facile apud intelligentes reliquorum non æquiparabunt tantum ſed & ſuperabunt pretium.

106. De chartaceis adhuc vel duo verba addimus. Eminere in his, noſtro judicio, videntur *Sermones XXXVI in Concilio Conſtantienſi habiti*, quorum perluſtratio rerum quæ iſta tempeſtate in Eccleſia actæ ſunt curioſis fortaſſe voluptatem pare-
112. re potuerit; & *Acta* porro quædam *Concilii* tum *Conſtantienſis*, tum *Baſileenſis*, cui utrique interfuerunt Abbates Heilsbronnenſes. Hinc forte & quædam lux ad celeberrimorum Virorum *Hardtii* atque *Lenfantii* de eodem argumento Commen-
126. tarios. Adſunt denique itidem *Ovidii Metamorphoſeon* & *de arte amandi*; *Ciceronis de Officiis* & *Epiſt. ad familiares*; *Comœdiarum Terentii*; *Declamationum Quintiliani*; *Epiſtolarum Horatii*, & *Virgilii Georgicorum, Bucolicorum atque Æneidos* ſive fragmenta ſive corpora integra; quamvis, quod facile poteſt exiſtimari, de recentiori manu ſingula. At vero, claudite jam rivos.

## *DE ILLUSTRIUM AC OBSCURORUM Scriptorum Erroribus præcipuis in Hiſtoria Mahometi, eorumque cauſis Diſſertatio. Autore* JACOBO ERHARTH.

Memmingæ, typis Hummelianis, 1731, 8.
Plag. 18.

QUod maximis in terrarum orbe quoad nominis famam viris, rebusque ab ipſis ſive egregie ſive perperam geſtis con-

contingit, ut quandoque in Scriptores incidant minus idoneos, atque vel mentis vel animi vitio ad fingendum quidlibet paratos; illud vero inprimis *Mahometo* accidit, famoſiſſimo illi novæ inter Saracenos perſuaſionis conditori, dum quæ de iſto ſcriptorum beneficio ad poſteritatis memoriam perlata ſunt, ineptiſſimis hinc inde commentis ac fabulis contaminata reperiuntur. Ex una parte Orientalium ingeniorum naturalis ratio haud parum contuliſſe videtur ut *Mahometi* hiſtoriam non ita ſimplicem atque fuci omnis expertem poſſideamus, quæ, cum ad propriæ imaginationis fœcunditatem ſingularis de Herois ſui excellentia exiſtimatio accederet, non poterant fere non ſubinde argumento ſuo dignitatem vel ex fictione etiam arceſſere. Ab altera iterum parte Græcis primum atque deinde Latinis autoribus, & qui horum filum cum fiducia quadam ſequuntur, ſequiori ævo, ſucceſſuum *Mahometanorum* invidia, & plusquam Vatinianum peſtilentiſſimi hæreſiarchæ odium, cum incuria ingenii iſti tempori ſatis familiari, largiſſimam materiam præbuerunt commentitiis obtrectationibus memoriam iſtius hominis commaculandi. Aliam longe viam hic ingreſſi ſunt, qui, ſub feliciori literis ſidere, recentiori tempeſtate *Mahometi* vitam & res geſtas commentandas aut illuſtrandas ſuſceperunt, atque in hoc operam collocarunt maxime, ut deceſſorum errores, commenta, fabulas ſagaciter detegerent, gravibusque argumentis refellerent. Atque docent literariæ civitatis annales, nullam ferme eſſe gentem, Academiam, urbem ex qua olim vulgatæ ſint de *Mahometi* rebus ſubleſtæ fidei narrationes, quæ non hodie certatim ejusmodi libros emittant, quibus majorum credulitas in hoc argumento pro merito caſtigetur. Cumque idem fecerit multis abhinc annis *Michael Schuſterus* quidam, Memmingenſis, ut nempe conſcriberet vernaculo ſermone tractatum de *Mahomede*, non quidem plane indoctum, attamen haud paucis fabulis pro ſeculi more refertum; animum induxit præſentis libri Autor, Cl. *Erhartus* aliorum exempla imitari, & ingenii periclitandi cauſa, meliora cive ſuo *Schuſtero* hac diſſertatione Lectores edocere. Neque adeo male ipſi hic conatus ſucceſſit,

 ut

ut non ſimul & optime de *Commentario*, quem idem parat, *Memmingenſium doctrina & ſcriptis clarorum memorias* complexuro, ſperare poſſimus.

Duodecim omnino capitibus operam ſuam diſtribuit Autor. *Caput I* agit *de variis perſonis & vitæ rationibus quæ Mahometo affinguntur.* Scilicet extiterunt qui traderent, circumforaneum ipſum aliquando egiſſe, populo Hydromelin vendentem. Alii Cardinalem Eccleſiæ Romanæ factum ſtolide perhibuerunt, teſtibus *Patinianis* p.115, atque *Baylii* Dict. in voce *Mahomet.* Alii iterum dixerunt illum ſe pro Meſſia Judæorum per tempus aliquod geſſiſſe; quod tamen omne falſum eſt; veluti & illud, quod adorari ſe ab aſſeclis & divino cultu excipi paſſus fuerit. A Præſtigiatoris calumnia pridem vindicavit *Gabr. Naudæus* in *Apologia*, cui omnino adſtipulatur *Erharthus. Cap. II Inſcitiæ* hujus *de Mahometi rebus nonnullos teſtes* allegat, *cauſasque* aperit; quas inter vulgarem nimis Arabicæ linguæ ignorantiam pene principem eſſe luculentis *Cap. III* exemplis demonſtratur. Succedunt *Cap. IV errores Chronologici & Geographici*, atque infinitæ fere variationes circa ejus ætatem & patriam notatæ. Sigillatim deteguntur *Cap. V errores circa epocham conditi Alcorani vulgo commiſſi.* Quæ de ejus magiſtris atque maxime *Sergio* communi ore circumferri ſolent, non adeo firmis omnia talis niti oſtenditur *Cap. VI.* Sequenti *VII* in *plagia & furta* erga Judæos atque Chriſtianos commiſſa inquiritur curatius. *Cap. VIII* inveſtigantur *offuciæ* quibus autoritatem ſibi parare voluiſſe traditur, præcipue *miraculum columbæ.* Errores circa *ſepulchrum Mahometi* delineandum a ſcriptoribus commiſſi *Cap. IX* propalantur. *Cap. X* ſingulari opera de *Fabulatoribus Mahometanis* diſſeritur; cujus rei in præclarum ſpecimen *Cap. XI* proferuntur, quæ *Arabes de Icone Mahomedis* inſipidiſſima nugantur. Claudit denique *Cap. XII* inanis *de ipſius Epilepſia* fabula. Meretur hic liber, ob variam & jucundam lectionem, ut illo perluſtrando otium ſuum eruditi diſtinguant.

## *DE LITURGIA ROMANI PONTIFICIS*

*in*

*in ſolenni celebratione Miſſarum Libri duo. Cura & ſtudio* DOMINICI GEORGII, *Rhodigini, Præfecti Biblioth. Joſephi Renati Imperialis S. R. E. Presbyteri Cardinalis ampliſſimi.*

## *Tomus primus.*

Romæ, ex typographia Rochi Bernabo, 1731, 4.
Alph. 3 pl. 5.

AUguſtinus ſuo jam tempore doluit præter neceſſitatem ritus in Eccleſia Chriſtiana multiplicari. In Epiſtola enim 55 ex recentiori diviſione, *Ipſam*, inquit, *religionem, quam pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationum ſacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, ſervilibus oneribus premunt, ut tolerabilior ſit conditio Judæorum, qui etiamſi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen ſarcinis, non humanis præſumptionibus ſubjiciuntur.* A qua quidem *Auguſtini* ſententia non ſtare videtur doctiſſimus *Dominicus Georgius*, qui nihil præſtantius eſſe ſibi perſuaſit, quam quod magno cerimoniarum apparatu cultus Dei peragatur. Ubi enim in præfatione commentarii ſui, quem recenſebimus, commemorat, p. 1. hæreticos, quos vocat, de ritibus, in adminiſtratione ſacramentorum a pontificiis doctoribus adhibitis, credere; quod Judaicam redoleant ſuperſtitionem: addit; *o inauditum impietatis genus! o ſacrilegam impudentiam! o incredibilem audaciam!* Quam quidem temeritatem ut reprimat, in animum induxit Miſſæ ſolennis, quæ a ſummo Pontifice celebratur, ordinem, in his præſertim, quæ ad ſacros ritus & cerimonias pertinent, commentario ſuo illuminare, eorundemque rituum antiquitatem atque utilitatem inſignem propugnare. Quanto eum fervore contra eos, qui aliam, quam ipſe, de ritibus ſacris fovent opinionem, diſputet; vel ex eo colligas, quod referat; ſe propterea in præfatione adverſariorum ſententias retuliſſe, ne ſi in ipſa commentatione earum fieret mentio; lectoris animi quadam perturbatione atque tremore ab ejus lectione deterrerentur. In ipſa autem præfatione primum illos recen-

 ſet;

ſet; qui, de ejus ſententia, ritibus ſacris ſuum non ſtatuerunt
pretium. Quorum argumenta altera præfationis parte ſub ex-
amen vocat. Ad primum quod attinet, contendit Clariſſ. Au-
tor, ante ſeculum XII neminem unum in Occidente de ſacris
cerimoniis controverſiam moviſſe. Quod quidem cum ſcribe-
ret; procul dubio non meminit controverſiarum ſeculo VII
in Britannia inter *Colmannum* Scotum & *Wilfridum* Papæ ad-
dictum de ritibus Romanis non ſine magna animorum conten-
tione agitatarum. Quas *Beda* in Hiſtoria Eccleſ. Anglicanæ
fuſius commemorat. Ut numero multas alias de autoritate
rituum inſtitutas diſputationes taceamus. Initio autem ſecu-
p. 5. li XII *Tanchelinum* in Germania atque in Belgio id magno co-
natu egiſſe Clariſſ. *Georgius* perhibet, ut ſacrorum rituum au-
toritatem everteret. Cujus exemplum quaſi agmine facto
7–15. ſecuti ſint *Petrobuſiani*, *Henriciani*, *Valdenſes*, *Wickleſitæ*,
*Thaboritæ*, *Lutherani*, *Calviniſtæ*. Noſtrum non eſt inqui-
rere, qua fide doctiſſimus Autor ſingulis ſententiam, quam de
ritibus ſacris foverint, adſcripſerit. Dolemus tamen, quod
maluerit ex *Joannis Wendelſteni* epiſtola quadam dedicatoria,
*Lutheranorum* doctorum de ſacris ritibus doctrinam diſcere,
quam ex ipſa Auguſtana Confeſſione. Quam quidem ſi con-
ſuluiſſet, ex ejus articulo quinto atque decimo didiciſſet; eos
non ſine ullo diſcrimine omnes ritus rejicere, quam errone-
am doctrinam illis perperam tribuit; ſed illos tueri, præter
neceſſitatem ritus non eſſe multiplicandos; neque tanquam
ad ſalutem neceſſarii ſint, commendandos. Objectiones gene-
15–30. rales *Lutheranorum* atque *Calvinianorum* doctorum ſequen-
tes eſſe exiſtimat, nihil de cerimoniis eccleſiaſticis a veterri-
mis Chriſtianæ religionis Apologetis tradi; Patres illos ritus,
quibus nunc Romana Eccleſia utitur, prorſus ignoraſſe; de-
monſtrari poſſe non eaſdem in ſingulis per orbem Chriſtianum
Eccleſiis cerimonias antiquitus fuiſſe. Quas quidem objectio-
nes ut refutet, 1) obſervat Apologetas dedita opera nullam ri-
tuum ſacrorum feciſſe mentionem. Hoc enim ob arcani di-
ſciplinam illos facere non debuiſſe. 2) Diſtinguendum eſſe
cenſet, inter cerimonias illas, quæ ad vim & perfectionem ſa-

cra-

Digitized by Google

cramentorum, pertinent, & eas, quæ ad pietatem & impenſiorem Dei cultum & precum ſolenniorem rationem reſpiciunt. Illas juris divini eſſe tuetur. Harum plures ſenſim excogitatas eſſe concedit. In ipſa de Liturgia Rom. Pontificis commentatione non poterat non Clariſſ. Autor ſæpius mentionem facere ſacræ ſupellectilis ad Eucharistiam conficiendam, menſæque divinæ ornamentum deſtinatæ. Quæ quidem cum ab eccleſiaſticis ſcriptoribus vocibus non admodum notis exprimatur, *disquiſitionibus de ſacro miniſterio ſeu de ſacro miſſæ apparatu*, quas poſt Præfationem deprehendas, conſulere lectori ſuo voluit. In iis enim copioſe omnem ſacram ſupellectilem recenſet, & vocabula, quibus exprimi apud ſcriptores eccleſiaſticos ſolet, dedita opera enumerat. Ita v. g. docet, quid ſit *Pergula*, *Colum*, *Pharus*, *Cicindela*, *Gabata*, *Caucus*, *Butto* &c. In quorum etiam uſum atque antiquitatem nonnunquam inquirit. p.33–137.

Ipſum Commentarium *de liturgia Romani Pontificis in ſolenni celebratione miſſarum* nondum integrum Doctiſſ. Autor publici juris fecit. Duobus enim, quos præ manibus habemus, libris, tantum inquirit in cerimonias & ritus ab acceſſu Pontificis ad Eccleſiam, usque ad egreſſum e ſacrario, antequam ad Miſſarum ſolennia procedat; in reliquis, quos meditatur, libris, reliquum *Miſſæ* ordinem expoſiturus. Singulari induſtria Clariſſ. *Georgium* ea ex veterum ſcriptorum monumentis collegiſſe, quæ faciunt ad hanc materiam illuſtrandam, quivis intelliget, qui ipſum librum oculis ſuis uſurpabit. Ut inſtituti noſtri rationem habeamus; aliquot tantum obſervationes exempli loco hinc inde delibabimus. Doctiſſ. Autor in primo libro de his quæſtionibus præcipue ſolicitus eſt; qualis ſit ſacrarum cerimoniarum antiquitas? qui ritus primis Eccleſiæ ſeculis in Romana Eccleſia obſervati? quæ ratio ſit Romani Pontificis procedendi ad myſteria ſacra celebranda? quas veſtes induat? quas preces fundat? Uti in Præfatione Clar. Autor objectiones Proteſtantium de rituum ſacrorum novitate ſub examen vocavit; ſic ſub initium hujus primi libri, id agit; ut rituum antiquitatem argumentis communiat. Præcipue ad 2.

*1 Cor.*

*1 Cor. XI, 34* provocat, ubi Apoſtolus dicit: *cetera autem, cum*
p. 7 & 28. *venero, diſponam.* Ex hoc argumento etiam: *quod univerſa tenet Eccleſia, nec conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi autoritate apoſtolica traditum rectiſſime creditur;* ſequi exiſtimat; illos ritus, qui literis non ſunt memoriæ proditi, ſed traditione ad Romanam Eccleſiam pervenere, ab Apoſtolis originem ducere. In qua quidem argumentatione petitionem Principii utique committere videtur. Ceterum pro ſua cauſa facere opinatur, quod *Clemens Romanus* in Ep. 1 ad *Corinthios* tradat, Chriſtianos *aſſignatis temporibus* oblationes
25, 26. ſuas feciſſe. Ex *Joſepho Binghamo* docet, ipſo etiam perſecutionis tempore Eccleſias exſtructas fuiſſe. Cujus quidem autoritate propterea ſe uti profitetur, *ne quid contra hæc fidei catholicæ hoſtes obgannire poſſint.* Miramur autem, quod malit *Binghamum* teſtem veritatis introducere, quam ex ejus ſcriptis diſcere, ſe Proteſtantibus perperam tribuere, quod omnes ritus, quocunque etiam nomine veniant, rejiciant, & nullo ha-
150. beant loco. Capite nono atque decimo ex inſtituto Doctiſſ. *Georgius* probat; Romanum Pontificem ex vetuſtiſſimo ritu crucem reliquiis ſanctorum refertam geſtaſſe, quoties ſolennibus ornamentis indutus fuit. Quod quidem conſtare exiſtimat ex S. *Gregorii* vita, quam *Jo. Diaconus* deſcripſit. Inibi enim dicitur *Phylacteria Gregorii* M. magna veneratione Chriſtianos proſecutos eſſe. Ex illius autem temporis loquendi ratione manifeſtum eſſe *phylacteriorum* nomine crucem auream vel argenteam ſanctorum reliquiis refertam filo & catenulis appendendam veniſſe. Ipſum enim *Gregorium* M. in epiſtola ad Theodelindam Longobardorum Reginam ſcripſiſſe: *Excellentiſſimo autem filio noſtro Adulua valdo Regi transmittere phylacteria cenſuimus, i. e. crucem cum ligno ſanctæ cru-*
152. *cis domini.* Conjicit, a Græcis hunc ritum crucem in pectore gerendi manaſſe. Ex iis enim multos Chriſtianos, etiam qui non clerici fuere, crucem ejusmodi geſtaſſe, variis argu-
154 ſeq. mentis probat. Quærendo etiam inveſtigat, *utrum crux ejusmodi collaria inter ornamenta ſacra Epiſcopalia annumerata ſit?* Tenet Sec. XIII nondum inter neceſſaria Epiſcoporum orna-

Digitized by Google

ornamenta *crucem collariam* fuiſſe relatam. *Durandum* enim in ſuo Pontificali ab *Martenio* edito Lib. I de antiquis Eccleſ. ritibus Cap. IV Art. XII dicere : *Indumenta vero ſibi* (Epiſcopo) *per ordinem neceſſaria ſunt hæc: videlicet caligæ, ſandalia, amictus, alba, cingulum cum ſubcinctorio, quod habet ſimilitudinem manipuli, & dependet a cingulo in latere dextro, crux pectoralis, ſi quis ea uti velit, ſtola, tunicella, dalmatica, chirothecæ, planeta, manipulus, mitra, anulus pontificalis, cambuca ſ. baculus paſtoralis, & pallium cum tribus ſpinulis aureis ſi ſit metropolitanus.* Ex quibus verbis conficitur *Durandi* ætate arbitrio uniuscujusque Epiſcopi permiſſum fuiſſe, utrum voluerit ejusmodi crucem geſtare vel non. Sec. autem XIV crucem pectoralem a Rom. Pontificibus inter Epiſcoporum ordinaria ornamenta numeratam fuiſſe, Clariſſ. Autor exiſtimat. In Miſſali enim Vaticano Fratrum minorum Cod. Vat. 4743 *precationem* extare *ad ſumendam crucem.* Qui quidem Codex Sec. XIV ſcriptus eſſe videatur. Capite ſeptimo & vigeſimo de *tiara* Epiſcopi Romani agit, nunc tribus coronis ſeu circulis aureis circumdata, quam veteres autores *Phrygium, regnum, & papalem mitram* appellare ſolent. Originem hujus *regni* geſtandi a Silveſtro Papa derivat, qui ſponte pileum ſumſerit Romano more ceu libertatis ſymbolum, eumque aureo phrygio ſ. diademate exornarit, ad regale ſacerdotium, ſacerdotum omnium maximo a Chriſto collatum, ſignificandum. A Bonifacio VIII ſecundam coronam eſſe additam, ut regni ſpiritualis ac temporalis prærogativam exprimeret. Urbanum autem V tertiam coronam myſtici numeri cauſa addidiſſe. Quam quidem obſervationem ex variis monumentis, præſertim ex veteribus picturis ſtabilire conatur.

p. 240 ſeq.

Ad librum ſecundum progredimur. In quo Doctiſſ. Autor primo quærendo inveſtigat, quænam Pontificalia ornamenta Abbatibus monaſteriorum, certis quibusdam Epiſcopis & aliis etiam, ſummorum Pontificum beneficio conceſſa fuerint? Dein de coloribus indumentorum diſſerit, quibus antiquitus uſa eſt, & etiam nunc utitur Romana Eccleſia. Sic v.g. refert 300.
Joannem XIII ſeculo X privilegium conceſſiſſe Abbati mona-

ſterii S. Vincentii Metenſis, ut dalmatica & ſandaliis uteretur.
p. 303. Leonem IV A. 1053 Bambergenſibus Canonicis mitras geſtandi
304. poteſtatem feciſſe. Alexandrum II ob inſignia merita Uratislai Bohemiæ Ducis eidem ſingulari & raro privilegio mitræ uſum permiſiſſe. Quam quidem largitionem Alexandri Gregorius VII lib. I Epiſt. 38 ratam habuerit & confirmarit. De coloribus ſacris uſibus deſtinatis eorumque differentia co-
393, 401, pioſe ex hiſtoria eccleſiaſtica diſputat. Nobis ſufficiat tantum
402, 423. illam generalem ejus obſervationem h. l. repetiiſſe, qua tradit Romanam Eccleſiam quatuor coloribus uti, rubeo, albo, viridi atque livido. Rubeo in feſtis diebus, qui tam in honorem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, quam S. Martyrum celebrantur. Albo in feſtis diebus B. Mariæ Virgini & ſanctis dicatis. Viridi in feſtis diebus, qui in honorem Domini noſtri & in honorem eorum ſanctorum agitantur, qui pro Eccleſiæ ſalute dimicarunt. Livido in diebus mœſtitiæ atque abſtinentiæ.

## *CHRISTIANI KORTHOLTI, A. M. KILOnienſis Holſati Conjectura de Diœceſi Epiſcopali, quam Seculo quarto habuit Pontifex Romanus.*

Diœceſin Epiſcopalem urbe & urbis territorio, ſecundum ordinariam veteris eccleſiæ diſciplinam terminari & circumſcribi ex Canone XXXIV Apoſtolico & IX Antiocheno notiſſimum eſt. In hoc totidem verbis dicitur Epiſcopus *πρόνοιαν ποιεῖσθαι πάσης τῆς χώρας τῆς ὑπὸ τὴν ἑαυτοῦ πόλιν, curam gerere totius regionis, quæ ſuæ urbi ſubeſt.* Quocirca ſi de diœceſi Epiſcopali Romana nulla ſigillatim exceptio facienda eſt, illius amplitudo nullo negotio poterit definiri. Eosdem enim cum Urbis territorio habebit fines. At quam late Urbis territorium patebat? Ad Centeſimum usque Roma lapidem extendebatur. Provoco ad *Ulpianum*, qui tit. Digeſt. de officio Præf. Urbi, *ſi quid*, inquit, *intra Centeſimum miliarium admiſſum ſit, ad Præfectum Urbi pertinet.* Gratianus & Valentinianus A. A. cum præcipiunt in Reſcripto ad Aquilinum Vicarium ordinariorum dato, quod *Baronius* ad A.

CCCLXXI

CCCLXXI n. 1 p. 291 edit. Colon. exhibet, Florentium, Puteolanum, Claudianum & alios ſchiſmaticos *ex urbium*, ubi commorabantur, *territoriis* expelli debere; *poſthæc*, inquiunt, *niſi omnes ultra Centeſimum ab Urbe depuleris, atque eorum civitatum finibus extorres eſſe præceperis* &c. Itaque ſecundum ordinariam veteris Eccleſiæ diſciplinam, diœceſis Epiſcopalis Papæ Romani Centeſimo ab Urbe lapide fuit finita. At vero non deſunt doctiſſimi viri, qui ſibi perſuadent Epiſcopatum Romanum aliter comparatum fuiſſe, quam alios Epiſcopatus. In iis præſtantiſſimus ſcriptor Anglicus *Joſephus Binghamus*, qui editis a ſe Originibus Eccleſiaſticis eruditorum plauſum & meruit & conſecutus eſt, *nonnulli*, inquit orig. eccleſ. Lib. IX Cap. I §. 1 p. 505. *Diœceſin Romanam Innocentii I tempore nullas parochias in vicis ſibi ſubjectas habuiſſe, ſed univerſas intus in urbe fuiſſe exiſtimant. Etenim in epiſtola ſua ad Decentium Epiſcopum Eugubinum hanc differentiam inter diœceſes alias & Romanam facere videtur, quod in diœceſi Romana ſacramenta de eccleſia primaria ad Presbyteros, in aliis eccleſiis miniſtrantes, tranſmitti ſoleant, cum omnes eccleſiæ intra civitatem ſint conſtitutæ, quod hoc autem in aliis locis parochias rurales habentibus fieri non poſſit, quia ſacramenta ad loca longe diſtantia portari non conveniat. Sed utcunque res ſe habet* (*neque enim docti viri de ea conſentiunt, & ego quidem errorem ſubeſſe puto*) *hoc certum eſt, diœceſin Romanam a nulla parte per vicos longius extendi potuiſſe, quod ea usquequaque vicinis oppidis circumjacentibus eſſet cincta.* Duo igitur obſtare videntur, quo minus ſtatuamus, diœceſin Epiſcopalem Romanam ad Centeſimum usque patuiſſe. 1) Teſtimonium *Innocentii I*, qui dicit omnes ſuas eccleſias intra civitatem eſſe conſtitutas. 2) Quod ipſe *Binghamus* maxime urget, civitates Romæ admodum vicinas intra Centeſimum fuiſſe, in quibus procul dubio ſedes Epiſcopales fuerint. Quantum auguror conjectura, utraque dubitatio tolli & eximi facili negotio poteſt. Videlicet exiſtimo, Epiſcopum Romanum in Urbe Roma immediate ut loquuntur, i. e. proxime & nullo interveniente Epiſcopo munia obiiſſe, extra urbem autem, intra

Centeſimum, Chorepiſcopos illius vicibus fuiſſe functum. Nemo dubitat Sec. IV Epiſcoporum auſpicio Chorepiſcopos eccleſias rexiſſe. Canone X Antiocheno ſtatuitur χωρεπίσκοπον δὲ γίνεσθαι ὑπὸ τοῦ τῆς πόλεως, ᾗ ὑπόκειται, ἐπισκόπου. *Fiat autem Chorepiſcopus ab Epiſcopo civitatis, cui ſubjicitur.* Non deſunt argumenta e quibus probabiliter concludas, ſigillatim etiam Romano Epiſcopo Chorepiſcopos paruiſſe. I: enim nulla eſt ratio dubitandi, propterea quod præcipuæ dignationis Epiſcopis illa ætate fere fuit proprium χωρεπισκόπους ſive Epiſcopos Vicarios habere. II Canone VIII Nicæno de Novatiano Epiſcopo ſtatuitur, ſi inter catholicos velit iterum nomen profiteri, eum oportere, aut Chorepiſcopi aut Presbyteri obtinere locum. En Canonis verba: ὁ ὀνομαζόμενος παρὰ τοῖς καθαροῖς ἐπίσκοπος τὴν τοῦ πρεσβυτέρου τιμὴν ἕξει. πλὴν εἰ μὴ ἄρα δοκοίη τῷ ἐπισκόπῳ τῆς τιμῆς τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ μετέχειν· εἰ δὲ μὴ τοῦτο αὐτῷ ἀρέσκοι, ἐπινοήσει τόπον ἢ χωρεπισκόπης ἢ πρεσβυτέρου. Videtur hic canon Novatianum Epiſcopum, qui Romæ commorabatur, potiſſimum reſpicere. Nam præter ceteros Romæ Novatianos ſuam eccleſiam habuiſſe conſtat. Proinde propius vero eſt, Romanos etiam Epiſcopos Chorepiſcopos habuiſſe. Fac autem veritate fundatam eſſe hypotheſin, quæ maxima probabilitate ſe commendat, fac Epiſcopo Romano Chorepiſcopos paruiſſe; tum dubitationibus ſupra enumeratis facilius & proclivius poterimus occurrere. Etenim 1) *Innocentius I* Ep. 1 ad *Decent.* dicere potuit: *de fermento, quod die dominica per titulos mittimus, ſuperflue nos conſulere voluiſti, cum omnes eccleſiæ noſtræ intra civitatem ſint conſtitutæ*; & tamen Epiſcopalis ejus diœceſis ad Centeſimum ſe potuit extendere, quoniam Chorepiſcopi extra ipſam civitatem, quæ alioquin ab ipſo Epiſcopo perpetrari debuerunt, deſignavere & ſacramentum confecere. In ipſa autem urbe Innocentius ipſe, quæ fuere Epiſcopi munia obiit immediate ut ita dicam, & ſine ullius interventu. Præterea manifeſtum eſt nonniſi reſtricte *Innocentium* de omnibus ſuis eccleſiis loqui. Sine ulla enim dubitatione complures eccleſiæ adhuc illi ut metropolitæ obtemperabant. Sed

cum

cum ipſe *Binghamus* profiteatur, ſe huic *Innocentii* teſtimonio magnum pretium non ſtatuere, prætereaque *Innocentius I* ſeculo V demum vixerit; ad alteram dubitandi rationem accedo, cui majus pondus ineſſe opinatur, *hoc certum eſt*, inquit, *diœceſin Romanam a nulla parte longius per vicos extendi potuiſſe, quod ea usquequaque vicinis oppidis eſſet cincta.* Nondum ſatis intelligo, cur *Binghamum* opinio teneat vicos tantum, non autem oppida vicina ad diœceſin Epiſcopalem referri poſſe. Si in territorio urbis Romæ, quod Centeſimo Lapide demum finiebatur, fuere oppida; cur in diœceſi Epiſcopali Romana locum habere non poterant? Fortaſſis *Binghamus* tuetur, in omnibus civitatibus neceſſario fuiſſe Epiſcopos. Sed, ſi ita cenſet, a recta utique via aberrat. *Mareotis* in *Ægypto prima* quondam non habebat ſingularem Epiſcopum, ſed Epiſcopo Alexandrino parebat. Apud *Athanaſium* in Apolog. II de fuga ſua dicitur: Μαρεώτης χώρα τῆς Ἀλεξανδρείας ἐϛι, καὶ οὐδέποτε ἐν τῇ χώρᾳ γέγονεν Ἐπίσκοπος, οὐδὲ χωρεπίσκοπος. ἀλλὰ τῷ τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπῳ αἱ ἐκκλησίαι πάσης τῆς χώρας ὑποκεῖν Quin etiam contendo, non repugnare, Chorepiſcopum aliquem in ejusmodi civitate Epiſcopo deſtituta, loco alius Epiſcopi, eccleſiam rexiſſe. Nonne ut *extraordinarium* in modo productis verbis commemoratur, quod cum Mareotidis nullus ſit Epiſcopus, etiam *nullus Chorepiſcopus* inibi deprehendatur? Si cum *Binghamo* Chorepiſcopum, τῆς χώρας ἐπίσκοπον interpretamur *ruris Epiſcopum*; fateor arguere repugnantiam, Chorepiſcopum in civitate aliqua fuiſſe. Sed *du Freſne* in Gloſſario Græcæ linguæ p. 1773 exemplis in medium prolatis probat, χώραν etiam urbem & civitatem denotare. Addo χώραν ſigillatim ſignificare territorium urbis, quatenus ab urbe muris ſuis cincta diſtinguitur. Ita enim *Xiphilinus de Byzantio* τὴν πόλιν τε, καὶ τὴν χώραν αὐτῆς & Canone Antiocheno ſupra citato dicitur: τῆς χώρας τῆς ὑπὸ τὴν ἑαυτοῦ πόλιν. Rectius igitur Chorepiſcopi ſive τῆς χώρας ἐπίσκοποι explicatius deſcribuntur τῆς χώρας τῆς ὑπὸ τὴν ἐπισκόπου πόλιν ἐπίσκοποι, h. e. in territorio urbis, quatenus urbi muris ſuis clauſæ opponitur, Epiſcopi vicarii.

Contingit enim nonnunquam, ut in territorio urbis, præter vicos & pagos, oppida etiam reperiantur. Mitto alia, quoniam inſtituti mei ratio poſtulat, ut verbis tribus me expediam. Ex allatis autem argumentis non obſcurum neque abſconditum eſſe puto, nos deficere rationem, cur in Epiſcopali diœceſi Papæ Romani Sec. IV aliquid a veteris Eccleſiæ diſciplina alienum quæramus; & arcte teneo nihil cauſæ eſſe, cur negemus, illam ad Centeſimum usque Roma lapidem patuiſſe. Quæ quidem obſervatio ſupervacanea & inutilis habenda non eſt, propterea quod inde efficitur, illuſtres viros *Jacobum Gothofredum, Claudium Salmaſium*, & qui eos ſequuntur, intra Centeſimum ab urbe lapidem Metropoliticam Epiſcopi Romani provinciam perperam quæſiviſſe; cum inibi tantum fuerit diœceſis illius Epiſcopalis. Quorum argumenta in commentatione mea de *Eccleſiis ſuburbicariis*, quam haud ita pridem in hac ipſa Lipſienſi Academia, publice tuitus ſum Sect. II §. 57 ſeq. ex momento ſuo ponderavi. Hoc etiam argumento diſcimus, Epiſcopum Romanum, dignitatem, quam ſeculo IV tuitus, & ſequentibus conſecutus eſt, urbis Romæ dignitati, non autem *Petro*, cujus ſucceſſorem ſe irrito conatu profitetur, acceptam utique referre.

## MEMOIRES DE L'ACADEMIE ROYALE DES Sciences, contenant des Ouvrages adoptez par cette Academie avant ſon Renouvellement en 1699.

hoc eſt,

## *COMMENTARII ACADEMIÆ REGIÆ Scientiarum, quibus continentur opera ab hoc Academia adoptata ante ejus Inſtaurationem A. 1699 factam.*

## *Tomi V.*

Hagæ-Comitum, apud P. Goſſe & I. Neaulme, 1731, 4, chart. aug. Alph. 14 pl. 3, Tabb. æn. 123.

Opera hæc in typographia regia Pariſina diverſis temporibus

bus partim in folio majore, partim in folio ordinario prodiere; ſed rariora dudum facta ſunt, fruſtra adeo quæſita a viris doctis. Egregie igitur de orbe erudito meruit Cel. *Graveſandius*, quod de operibus iſtis junctim edendis cogitaverit, utque nitida & correcta comparerent omnem lapidem moverit. Prudenter etiam factum eſt, quod omiſerit Tractatum *Mariotti* de percuſſione, qui, poſtquam ab Academia Scientiarum adoptatus fuerat, ſæpius auctior recuſus & operibus Viri eximii inſertus fuit, quæ in Batavia in unum volumen collecta prodiere, & de quibus diximus in *Actis* A. 1717 p. 143, nec *Hugenii* quædam opuſcula huic collectioni inſeruerit, quæ in ipſius Operibus in Batavia haud ita pridem junctim recuſis jam leguntur.

Primo Tomo comparent Commentarii *Peraltii* Hiſtoriæ animalium inſervientes cum eorundem continuatione, atque Commentarii Hiſtoriæ plantarum inſervientes in ordinem redacti a *Dodarto*. Secundo continentur reſolutiones quatuor problematum Architecturæ, Autore *Franciſco Blondello* & Opera mathematica Mathematici eximii *Frenicle*. Tomus tertius complectitur Opera mathematica *Robervallii*. Tomus quartus continet Opera mathematica *Picardi* una cum obſervationibus *Richerii* in inſula Coyennæ factis, Tractatu *Azuti* de Micrometris, & nonnullis *Ræmeri*. Quintum denique Tomum tota occupant opera diverſa Aſtronomica *Caſſini*. De operibus *Freniclii*, *Robervallii*, *Picardi*, *Azuti*, *Ræmeri* diximus in *Actis* A. 1695 p. 126 & ſeqq. de obſervationibus *Richerii*, operibus aſtronomicis *Caſſini* & operibus *Picardi* ad Aſtronomiam ſpectantibus ibidem p. 27 & ſeqq. Operibus *Picardi* adjectus eſt Tractatus de libellatione aquarum, ut ejus opera omnia uno volumine comprehenſa proſtarent: ſed de eo diximus *Supplement. Tom. I p. 96*. Adjectus quoque eſt tractatus de menſura Terræ, de quo diximus in *Actis* A. 1688 p. 578. Nihil igitur ſupereſt, quam ut ea recenſeamus, quæ ad hiſtoriam naturalem ſpectantia Tomo primo continentur. Diſtinguit *Peraltius* commentarios ab hiſtoria, quod in illis tantummodo tradantur particularia, quæ autori eorum innotue-

ſe,

re, cum in hoc coacerventur quæcunque paſſim apud autores reperiuntur. Quodſi ergo Commentarii a pluribus conficerentur, inde tandem certior hiſtoria naturalis condi poterat. Tradit autem Noſter potiſſimum deſcriptiones anatomicas animalium, in quorum ſtructuram ipſi inquirere datum fuit, partes internas accurate deſcribens, ac ubi e re viſum fuerat, delineans. Animalium quoque exoticorum formam externam exactiſſime delineat. Quamobrem ut figuræ accuratæ quoque excuderentur in hac nova editione Cl. *Albinus*, Anatomiæ in Academia Lugdunenſi Profeſſor, omnem operam impendit. Commentarii hiſtoriæ plantarum inſervientes non unum habent autorem. *Du Clos* & *Borellus* inprimis chymica; *Perraltius* & *Mariottus* ea, quæ per meditationes fuere eruta, contulerunt. *Bourdelin* experimenta chymica ſuppeditavit, *Marchand* deſcriptiones plantarum rariorum; *Peraltius* deſcriptiones iſtas contulit cum ipſis plantis præſentibus ſociis, ut judicio ipſorum de iisdem decerneretur. Tota Academia ad operis perfectionem concurrit. *Dodartus* vero in ordinem ſingula digeſſit. Opus hoc prorſus ſingulare in quinque capita dividitur, quorum primum agit de plantarum deſcriptione, ſecundum de earundem figura, tertium de cultura, quartum de virtutibus & quintum denique de Commentariis, quos in uſum hiſtoriæ plantarum Academia Scientiarum edere conſtituit. Nimirum hic tantummodo docentur, quæ in hiſtoria plantarum condenda judicio Academiæ obſervanda ſint, & quæ ipſa in Commentariis ſuis in illius uſum edendis dare decreverit.


Ceterum notandum *Hallejum* in Actis Anglicanis Num. 214 p. 256 annotaſſe errores typographicos & quosdam alios, qui defectu attentionis in Tabulas *Caſſini* ad computandos motus ſatellitum Jovis irrepſerunt, & eos correctos fuiſſe ab editore *Graveſandio*. Monet autem hic, ſe cetera quoque recudi curaturum, quæ in poſterum prodibunt autoritate Academiæ ſcientiarum munita. Promittit etiam indicem generalem non minus horum, quam omnium voluminum, quæ ſub titulo Hiſtoriæ & Commentariorum Academiæ Regiæ Scientiarum ab

A. 1699

Digitized by Google




Digitized by Google



n.1099

A. 1699 prodiere. Operas ſuas collaturi ſunt plures, ne quid in eo deſiderari poſſit. Talem indicem dudum optarunt viri eruditi, cum ab eo pendeat uſus operis tot egregiis inventis ac obſervationibus ſingularibus abundantis.

## *ENCRINUS SEU LILIUM LAPIDEUM, pro ſpecimine Lithologiæ in poſterum plenius elaborandæ & ad modum demonſtrationis genuinæ revocandæ, ex commentatione JOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGI.*

Wolfenbuttelæ, apud Joann. Chriſtoph. Meisnerum, 1729, 4. Plag. 4½, Tabb. æn. 2.

QUam fidem Autor in his *Actis* A. 1727 p. 144 dederat, eam ſpecimine præſenti quodammodo præſtitit. Siſtitur in eo expoſitio de lapide figurato, quem *Lachmundus* in *Oryctographia Hildesheimenſi c. 17, 18*, vel primus vel inter primos vocavit *Encrinon*, quippe ſimilem κρίνῳ, id eſt, *lilio*. Ut mens autoris ſit magis in expedito, quam de hac Phyſices, vel potius Minerologiæ, particula in medium protulit; juvabit inſpicere adjectam Tabulam noſtram. Explicatio figurarum:

Fig. 1 ſiſtit fragmentum ſaxi, trochitis obſiti, in quo conſpicuum ſeſe præbet petiolus a b c, ex trochitis inter ſeſe arcte connexis conſtans, atque ei innexus encrinos c d. TAB. I. Fig. 1.

Fig. 2 exhibet encrinum regularem, in quo notantur baſis quinquangularis inter a b b b: protuberantes circa baſin quinque rami in b b b & parte averſa: diviſionem unius rami in duos e e e e duorumque horum rurſus in partes duas æquales, ordientes in f f & in apicem g tandem coeuntes. 2.

Fig. 3. Baſis pentagona ſeparatim exhibita, in cujus medio eminet roſulæ, quinque foliis præditæ, imago. 3.

Fig. 4. Encrinitæ ſeu trochitæ connexi, qui inferiori ex parte abeunt in petiolos ſeu encrinitas plures, quorum diameter ſenſim deorſum imminuitur. 4.

Fig. 5. Series ſtructuræ interioris & arcuationis ramorum in peripheria encrinorum. 5.



Digitized by Google

Fig. 6. Fig. 6. Fragmentum encrini, cui inhæret particula petioli ad latus detorti.

Patet primo obtutu differentia hujus encrini, & capitis Meduſæ, quod S. R. *Hiemerus* olim deſcripſit, uti apparet ex hiſce *Actis A 1725 Aug. p. 376*, ac tabula ibi inſerta. Utrobique vero articuli conſtant e trochitis, quos adſtrinxit materia ſelenitica. Remiſit quondam Illuſtris *Leibnitius* Phyſicos & Hiſtoricos, qui fata terræ antediluvianæ noſſe cupiunt, ad terram ipſam & figurata, quæ in ejus cavernis & ſuperficie inveniuntur, corpora lapidea ac metallica. Ex variis encrinorum figuris noſter docet, mare ibi aliquando exſtitiſſe, ubi nunc calcatur humus: varias eveniſſe ſucceſſiones montium: moles ſaxeas, quibus inſint encrini, olim fuiſſe molles & fluidas: exſiſtere vapores ignis ſubterranei: encrinos fuiſſe plantas lapideas marinas: *Luidium* & *Büttnerum* minus recte entrochos reputaſſe pro vertebris dorſi ex animali incognito: en-
p. 7. crinum non eſſe e numero petrefactarum ſtellarum marina-
17. rum. Suſpicatur tandem, dari plantas marinas ſtellis marinis contractis perſimiles, quæ differant variis ſpeciebus. Mirum eſt, lithophilos ſæpius incidere in acervos trochitarum ſeparatorum, cum tamen articuli entrochorum nonniſi diuturno ſo-
22 ſq. lis æſtu ſolvantur. Excurrit tandem Cl. Autor ad attributa divina nonnulla hinc confirmanda & ad veritatem diluvii contra profanos homines roborandam. Ex modo indurationis ejusmodi etiam cum *Hermanno Witſio* Miſcell. Tom. II Exerc.
8. VII §. 22 exponit poſſibilitatem converſionis, per quam uxor Lothi facta ſit ſtatua bituminoſa. Accedit in fine epiſtola lithologica Autoris ad Celeb. D. *Fr. Ern. Brückmannum*, harum deliciarum amatorem, de cauſſis figurarum in lapidibus, quas ex ratione tum interna tum externa repetit. Rationem internam exponit, partim ex præexſiſtente delineatione partium in plantis lapideis, partim ex petrefactione, quæ animalibus, & vegetabilibus obrutis, per humorem criſtalliſantem & ſeleniticum, conſtringentem ac indurantem, contigerit. Externam vero rationem deducit tam ex ectypis corporum, quæ ubi tenaciori materiæ appreſſa figuram ſui reliquere, ipſa dilapſa ſunt

&

Digitized by Google

& interierunt; quam ex variis corporum exteriorum contactibus, haud determinate nec uniformiter ſeſe exſerentibus. Actionem ejusmodi minus determinatam, & effectus vagos varioſque proferentem vocat *luſum naturæ.*

## *ALBERTI RITTER, REGII LYCEI ILfeldiaci Collegæ, Lucubratiuncula de Alabaſtris Hohnſteinenſibus nonnullisque aliis ejusdem loci rebus naturalibus exarata.*

1731, 4.

Plag. 2 Tab. æn. 1.

UT Lectori relinquamus omnia, quæ Autor diligentiſſimus de Alabaſtris eorumque nomine, uſu & generibus diverſis imprimis in Comitatu Hohnſteinenſi & vicinia conſpicuis ad Virum Celeb. *Franc. Ern. Brückmannum*, Doct. Med. ejusdemque Practicum Wolffenbuttelenſem, Academiæ Cæſareæ Nat. Curioſ. & Societ. Regiæ Pruſſ. Scient. Collegam hic commentatus eſt, lubet nunc ex iis, quæ addidit, curioſis Dendritem præſtantiſſimum, quem ſervat, vel ad complendam Tabulam, figura 7 referre, & ipſius verbis deſcribere: *Primum inter curioſitates Hohnſteinenſes merito occupabit locum* Dendrites, *tam elegans, ut plane dubitem, an talis ab ullo unquam ſit viſus, neque etiam facile invenies, quod in technophylaciorum deſcriptionibus ſimilis mentio ſit facta, quare operæ pretium eſſe cenſui illius portionis, quam habeo, magnique facio, pleniorem hic tibi formare deſcriptionem. Lapis eſt fiſſilis ex fodina æraria, proxima monaſterio Wolckenried, quæ jam inculta jacet, cujus laminæ tantæ ſunt gracilitatis, ut vix folia papyri craſſitie adæquent. Color eſt cinereus, arbuſculi vero & fruticeta quaſi depicti forma diminuta, Miniatur-Arbeit, nigricantes, qui videntur adhærere montibus, rupibus, ripis. Quod vero res eſt, cælum apparet demiſſum & nubiloſum, & nubes ibi adſpiciuntur, ac ſi penicillo illuminatæ vivis coloribus, flavis, rutilis, ſubrubris, nigro quaſi conditis, & ut verbo dicam, nihil perfectius oculis noſtris proponi poteſt: colores ejus tam* TAB. I. Fig. 7.



Digitized by Google

*jucundi, vivi ac pulchri ſunt, ut nihil differant ab iis coloribus, quibus ab occidente Sole cœlum depictum eſſe nonnunquam videmus. Alterum hujus* Dendritis *latus ſecundum artem pictoriam coloribus vivis, rubris & ſubrubicundis, quaſi umbris diſtinctis repræſentat ſpeluncam in monte profundam, apertam, arbuſculis, fruticetis ornatam, cœli vero repræſentatio eſt inibi ſine nubeculis.*

## *JOHANNIS FRIDERICI SCHREIBER, Regiomontani, Corporis ac Motus conſideratio. Inſtituta coram Academia Scientiarum Petropolitana, cum III Nonarum Octobris MDCCXXXI in eandem reciperetur.*

Petropoli, typis Academiæ Scientiarum, 1731, 4, charta max. Plag. 3.

UBi Autor Moſcua Petropolin adiret, juſſu Ill. Academiæ Petropolitanæ Præſidis, in conventus Academicorum Profeſſor honorarius introductus eſt idem. Prælegit tum in primo conventu, quod ante manus habemus, ſpecimen metaphyſicum, cujus maxime ſingularia relaturi ſumus, quod plures novas ſententias continere videtur. Corporis notionem formaturus cum ceteris conſulit experientiam: indeque deducit: 1) Eſſentiam corporis dependere ab elementorum, certo quodam modo inter ſe conjunctorum, exiſtentia: 2) omne corpus habere vim movendi, quæ autem eſt compoſita vis, producta a viribus elementorum corporis ſimplicibus conjunctis: 3) materiam quoque deberi iisdem elementis corporis. Inde definit corpus mundanum per unum quid, ex elementis certo modo compoſitum. Materia ergo, vis movendi ac eſſentia corporis Autori tantum ſunt diverſa ejusdem ſubjecti, elementorum ſcilicet, prædicata, ſed talia, ut, poſito eorum uno ſtatim quoque ponantur cetera; imo totum corpus. Speciminis loco, probat hanc propoſitionem: *Poſita quadam elementorum compoſitione, neceſſario una ponitur & vis movendi, & materia, hoc eſt, neceſſario ponitur totum corpus.* Evoluta ſic notione corporis, Autor jam inquirit in vim movendi cor-

corporis. In omni vi notanda duo: & gradus ejus præſens: & terminus, ad quem tendit. Utrumque apparet in vi ſpirituum & corporum. Quid enim eſt finis? Quid motiva? Hæc de ſpirituum viribus. Quid eſt velocitas & directio in corporibus? Talia analoga ergo erunt quoque in quacunque vi elementi. Motus ergo & quies in univerſo ſic contingunt: ſi unius corporis vires ſimplices majore gradu inter ſe conſenſerint, quam in vicino, tum prius ſe tamdiu movebit, donec in eo ſit loco, in quo gradus conſentientium virium ſimplicium ejus æqualis eſt gradui conſentientium in circumpoſitis. Loquamur quoque de *vi inertiæ*. Quia elementum tantum unam vim habere poteſt: ideo & corpori non poteſt ineſſe, niſi una veri nominis vis. Quare vis inertiæ & vis movendi tantum gradu inter ſe differunt, ſuntque homogeneæ inter ſe. Imo vero, quia corpori adeſt vis inertiæ, debet quoque aliquid dari in elemento, illam in toto corpore proferens: eſt vero illa vis inertiæ elementi ſi ita dicere fas eſt, eadem cum vi elementi, quæ vim movendi corporis componit. Atque inde explicat Autor; cur unius corporis vis movendi nunc major ſit, nunc minor? Ex his paucis jam plures derivantur propoſitiones. En præcipuas: 1) Motum eſſe *φαινόμενον*, in elementis corporis fundatum. 2) Non dari veram communicationis motus notionem: hinc nec illam exſiſtere: 3) univerſum corporeum, etſi cauſas, motum efficientes, non reſpexeris, ſine motu eſſe non poſſe. 4) Deum movere corpora poſſe, mutando virium ſimplicium conſenſum vel & gradum: 5) Terminum: *Vis motrix;* eſſe æquivocum. 6) Ad motum, in univerſo, per ὑπὸθ: pleno, excitandum, excitatumque in æternum conſervandum, non requiri, niſi unius motus productionem: 7) Vera dixiſſe Archimedem, ſe, accepto extra terram loco, ubi pedem figat, terram de ſede ſua deturbaturum. Quin imo, ipſum totum univerſum peſſundaturum, ſi pedem extra univerſum ponere valeret. 8) Sententiam: Quidquid movetur, movetur ab alio; eſſe falſiſſimam. Quod triplici argumento probat. Ea enim admiſſa vera, vis inertiæ foret ſemper infinita vi movendi domeſticæ, finita autem vi motrici ex-



Digitized by Google

trinſecæ. Quin & oſtenditur, falſum eſſe, quod materia reſiſtat vi movendi illius corporis, cujus eſt materia. 9) Vim movendi corporis in inſtanti poſſe habere conatus diverſos infinite multos; uti patet in motu curvilineo corporum. 10) Nullas proprie dari paſſiones in univerſo corporeo &c.

## *JO. FRIDER. WEIDLERI, J. U. D. Mathem. Superior. in Acad. Vitemb. Profeſſ. Publ. R. S. Pruſſ. Sodalis Inſtitutiones Juris naturæ & gentium methodo geometrica digeſtæ, collatoque ſparſim jure poſitivo illuſtratæ.*

Vitembergæ, ſumtibus Gottl. Henr. Schwarzii, 1731, 8.
Alph. 1 pl. 6½.

CL. Autor hujus libri, Collega noſter perinduſtrius de methodi accuratioris, qua geometræ utuntur, legibus, ejusdemque ad diſciplinam moralem accommodatione præfatus, in ipſa tractatione oſtendere conatur, qua ratione prima cognitionis noſtræ, de actionum humanarum juſtitia & injuſtitia, elementa, ex generalibus, quæ huc ſpectant, definitionibus, inprimis autem ex naturæ humanæ, & finium, eidem a conditore optimo maximo propoſitorum, contemplatione eruenda & derivanda ſint. Itaque *Cap. I* ab imperii & legis notionibus initium capit, tum definitionem realem legis naturalis indagat, atque hinc proprietates hujus juris colligit, & hiſtoriam ejusdem ſcholio peculiari exponit. *Cap. II* de actionibus humanis & earum imputatione ita diſſerit, ut hominis naturam & vires ex ipſis effectibus & operationibus ejusdem deprehendat, hisque obſervationibus tanquam fundamentis totam de officiis doctrinam ſuperſtruit. *Cap. III* agit de principiis juris naturalis, & commonſtrat, quod unus quidem fons ſit omnium veritatum moralium, voluntas nempe Numinis immortalis, per rectam rationem patefacta, ſed quia hæc generalis propoſitio claritate deſtituitur, ex relatione hominis ad Deum, ſe, & alios, tria principia vel axiomata ducit, quæ ſingulorum officiorum genera complectuntur. Quoniam nempe Deus autor, dominus, beni-

benigniſſimusque conſervator noſter eſt, inde ſummam officiorum erga Deum veneratione & obſequio eidem exhibendis contineri ſtatuitur. Et cum homo in ſe intuens intelligat, ſe ſic conditum eſſe, ut aliquamdiu ſe conſervare, vires etiam animi & corporis augere poſſit, ideo officia erga nosmetipſos hæc propoſitio explicat: *quisque virium tam animi quam corporis, a ſupremo conditore Deo in ſe collatarum, conſervationi & perfectioni ſtrenuam operam dare debet.* Denique, ſi reſpiciantur alii homines, quibus eadem lex per rectam rationem præſcripta eſt, ſequitur, quod jubeamur conferre, quicquid ad finem conſervationis & perfectionis felicius conſequendum a nobis proficiſci poteſt. Atque huc ſpectat axioma III; *quisque ſic ſeſe gerat erga alios, uti eorum ſui ſimilis humanitas jubet, ideoque aliorum conſervationem & perfectionem, quantum in ſe eſt, adjuvet & promoveat.* Harum veritatum uberior explicatio toto libro traditur, in quo poſt caput de religione naturali, ſequuntur reliqua de officiis erga nos & alios, tam abſolutis, quam hypotheticis, quæ tum ex factis ſermocinantium, paciſcentium, jurantium, item ex poſſeſſione & dominio rerum, & variis, qui circa has ineuntur, contractibus reſultant, tum quæ peculiarem ſtatum, conjugum nimirum, parentum & liberorum, dominorum & ſervorum, item imperantium & parentium conſequuntur. *Cap XI* juri naturali gentium, & *Cap. XII* juri belli & pacis copioſius tradendis deſtinantur. Longum nimis foret ad ſingularia progredi, & ex pulcherrimarum meditationum copia flores decerpere. Quare hic gradum ſiſtimus, inprimis, cum approbatio, quam reliqua Cl. *Weidleri* ſcripta in orbe literato conſecuta ſunt, nobis ſpem faciat, huic quoque libro, tam argumentorum delectu, quam perſpicuo orationis genere commendabili, ſuos lectores & æſtimatores haud eſſe defuturos.

# Nöthig und nützlich erachtete Anmerckungen über die im zweyten Theil enthaltene acht erſtern Tituln, wie auch viele andere aus den übrigen Theilen dahin

hin gehörige Tituln und Stellen der ſogenannten erneuerten Reformation der Stadt Franck-furth am Mayn.

i. e.

*ANNOTATIONES UTILES AC NECESſariæ in Partis II Reformationis Francofurtenſis Titulos VIII priores, ut & alios ad eundem locum relatos ejus paſſus Parallelos: loco ſpeciminis, qua ratione dictum Jus Statutarium illuſtrari, ejus contenta juridice conſiderari, ac horum uſus hodiernus doceri queat. Adjectæ ſunt plures huic inſtituto ſubſervientes Ordinationes, Deductiones, aliaque documenta.*

Absque loci & typographi indicio, 1731, 4 maj.
Alph. 4 pl. 9.

FRancofurti ad Mœnum, clariſſimæ Imperii civitatis, ſtatuta merito magni hucusque æſtimabantur, quod *Fichardum* Autorem habuerint, qui, cum JCtorum ſui ævi haud poſtremus, rerumque patriarum peritiſſimus eſſet, tanto ſtudio eadem ordinaverat, ut nullius alterius urbis inſtitutis æquitate cederent. Verum quod pro ſui ſeculi ingenio vulgare fuerat omnibus Jurium Statutariorum conditoribus, qua Juris peregrini ſubtilitates ſimplicitati Juris patrii nonnunquam incautius præferebant, id & *Fichardo* noſtro quandoque accidiſſe haud negari poterit, licet alias ceteris maxime anteferendus ſit, quod egregias antiquiorum patriæ conſuetudinum reliquias in hac ſtatutorum Patriæ compilatione, quam Reformationem dixerunt, nobis ſtiterit. Hinc cum non raro ex Jurium diverſorum confuſione & admixtione haud levia dubia naſcantur, & nonnulla obſcurius dicta videantur, quæ aliunde, quam ex fontibus juris, unde deprompta, minime explicari poſſunt, inſigniter certe de patriæ merentur commodis, novumque addunt ſplendorem, qui hujus Juris Statutarii illuſtrationi ac explanationi operam impendunt. Magni itaque merito faciendum eſt Conſ. harum annotationum Autoris inſtitutum, qui cum ad

Juris

Juris Statutarii Francofurtenſis illuſtrationem ſe accinxerit, ejus ſpecimen in VIII priores Libri II titulos ſupra indicato opere nobis ſiſtit; in quo ita verſatus eſt, ut textui Legislatorum præmiſſo ubique ſuas ſubjiciat annotationes, quibus non tantum rationes ac fontes legalium diſpoſitionum erudite exponit, ac obſcurius dicta explicat, ſed etiam quæ antiquata, quæ mutata, quæque adhuc in Praxi uſitata ſint, docte indicat. Potiora ipſius tractationis argumenta ſequentibus proponere conſtituimus.

Præfationi, qua inſtituti rationem aperit, ſtatim annecti-
tur index eorum Francofurtenſis Reformationis capitum, quæ
præter dictos Titulos Conſ. Autor paſſim tetigit ac illuſtravit.
Explicat ſtatim ad ipſum textum Tituli I, qui de contractibus p. 1.
generalia profert, jura minorum tam ſub tutela & cura, quam 21.
ſub patria poteſtate viventium; nec non emancipationis Ro- 67.
manæ & Germanicæ diverſam indolem: Poſtea quæ immobi- 78, 104.
lia, & quibus alienari prohibeantur, & qui contractus illiciti
ſint, exponit. Ad Tit. II, qui emptionis venditionis jura tradit, 126.
Jura retrahendi ſine pretio res furtivas, & ſingularia emptio-
nis rerum litigioſarum ac minorum enodantur; de perfe- 159.
ctione vero emtionis venditionis, obligatione ex tractatibus eam
præcedentibus, uſurarum quantitate, valore probationis ex li-
bris mercatorum, periculo & commodo rei venditæ &c. am-
pliſſime diſſeritur. Nobiliſſimam Juris Germanici partem Ti- 230.
tulus III tractat, quippe in quo argumentum de bonis mobili-
bus & immobilibus egregie illuſtratur, & quæ iis ſecundum jura
Francofurtenſia æquiparentur, vel non, docte docetur. Occaſio- 265.
ne privilegii *ne exterus immobilia poſſideat*, ſiquidem hoc jus
unice civibus ſecularibus vindicatum fuit, de jure civitatis, ejus-
que adquiſitione, & de Gabella detractionis in emigratione tra-
ctatio inſtituitur. Quibus excuſſis de Warandiis ſ. Inveſtituris 302.
Allodialium Germaniæ judicialibus, de præſcriptionis tempore,
de venditione & oppignoratione immobilium, de alienatione 358.
partis ædium prohibita, nec non de pertinentiis ædium, ac in-
ſtrumentorum editione emptori facienda diſſeritur; ac deni- 389.
que in ampliſſima de cenſibus diſquiſitione eorum origines,
modi conſtituendi, diverſa genera, & actiones examinantur,

p. 462. & inprimis data opera annuorum redituum jura exponuntur.
455. Ad Tit. IV, qui de jure congrui & retractus inſcriptus eſt, ra-
tiones, cur hoc jus pagis largitum fuerit, cum tamen alias ge-
neraliter in civitate prohibitum fuerit, examinantur, in quibus
tamen caſibus ei adhuc in urbe locus ſit, proponitur. Ductu
501. Tituli V Conſ. Autor de venditione bonorum immobilium
pluribus communium agit, & de Jure Protimiſeos inter Ganer-
bios ſtabilito, aliisque huc ſpectantibus, nec non de emphy-
515. teuſibus docte disquirit. Progreditur cum Tit. VI, qui de vendi-
523. tione jurium ſ. rerum incorporalium diſponit, ad explicatio-
nem differentiarum juris peregrini & patrii in doctrina de ſer-
532. vitutibus; exponit porro indolem uſusfructus Germanici, in-
592. primis conjugalis, & in liberorum bonis conſtituti, quem im-
598. mobilibus æquiparari docet. Titulus VII redemtiones cen-
ſuum & penſionum ſiſtit, ubi omnes cenſus ante legem ge-
neralem jam A. 1439 redimi potuiſſe probat; poſthæc ſo-
lennitates in redimendo ſervandas, & lites cum Clero ideo na-
610. tas pandit; ac denique de Re Nummaria Valoris ac Warandiæ
Francofurtenſis ampliſſimam disquiſitionem inſtituit, quam rei
nummariæ tum mediæ tum hodiernæ cultoribus maximis fu-
632. turam deliciis putamus, præcipue cum, tractatis adhuc quibus-
dam ex jure cenſuum capitibus, etiam de nummis Florentinis
653. aureis, Turonenſibus, Anglicisve argenteis, nec non mutationis
668. monetæ diſcidiis docta proferat. Ad Tit. VIII, qui veterem in
cenſiticis debitis ſingularem ritum, *Rottierung* dictum, propo-
nit, prærogativa dominorum cenſus in concurſu, & ſingularia
ex proceſſu executionis huc ſpectantia egregie examinantur.
691. Ipſam hanc, quam perluſtravimus, tractationem nonnulla do-
cumenta ad illuſtrandum hoc opus inſervientia excipiunt, us-
que ad Lit. HH incluſive adjuncta; quibus tandem index, qua
par eſt diligentia confectus, ſubjunctus eſt.

Quantum itaque Conſ. Autor ad illuſtranda patriæ jura contulerit, facile etiam ex brevi hac recenſione cognoſcere poterunt lecturi, quorum plurimos nobiſcum optaturos confidimus, ut Conſ. Autor in publicum rei literariæ & patriæ commodum in cœpto opere ſtrenue pergat. Hac enim ratione tandem

dem

dem omnibus numeris abſoluto Commentariorum opere in ſtatuta Patria Reſp. gaudebit.

A COLLECTION OF TRACTS ON VARIOUS ſubjects, written by THOMAS CHUBB, London printed for T. Cox at the Lamb, under the royal-exchange, 1730.

ſive

*COLLECTIO TRACTATUUM DIVERSI argumenti, Autore* THOMA CHUBB.

Londini, ſumtibus T. Coxii cet. 1730, 4, form. maj. Alph. 2 pl. 14.

COmplectitur hæc Collectio XXXV tractatus, argumenti diverſi, quos multorum annorum labore tandem perfecit Autor. Hinc naſcitur eidem occaſio excuſationis, ut ſi forte ſecum ipſe pugnet, lector ne ferat ægre, cum iis, qui inquirant in veritatem libere, id vitii obtingat facile. Sed, *an omnes ſinguli que hanc excuſationis rationem ſint judicaturi ſufficientem*, ipſe videat.

Tractatus *primus* ſummam divinitatem ſoli Deo Patri, excluſo Filio, aſſerit. In dedicatione ad Clerum, inprimis Reverendiſſ. *Gilbertum*, fatetur Autor, nec ſe ſatis eſſe habilem perficiendo tanto operi, nec in linguis ſatis exercitatum, nec ſtatui addictum eccleſiaſtico, ſed laicum; quibus dubiis ut occurrat, omnem movet lapidem. In *introductione*, tertiæ hujus tractatus editioni, præmiſſa, ſtatum controverſiæ formaturus, dicit, ſe nomine filii Dei, domini noſtri Jeſu Chriſti, ſignificare agens illud morale, cujus vita & miniſterium in quatuor Evangeliis deſcribantur: a quo Deus pater, ens illud neceſſario exiſtens, toto genere diverſus; abſtinuiſſe a termino perſona, quod & ambiguus ille ſit, & multi, eo utentes, quid loquantur, neſciant. Cum igitur filius Dei ſit agens morale, ſequi 1) eum non eſſe proprietatem tantum; 2) nec eſſe ſocietatem agentium; ſed eſſe cauſam agentem, Deo patre inferiorem, inque ſingulis perfectionibus ſuis naturalibus illi disparem; au- p. 1–44.

 tori-

toritatem & agendi poteſtatem ex arbitrio accepiſſe patris, eumque ſolum dediſſe filio exiſtentiam, poteſtatem agendi, omnemque autoritatem, qua hic fuerit uſus. Octo argumentis ſuam opinatur roborari poſſe ſententiam: *primum* ipſi eſt: filium accepiſſe entitatem ſuam, & exiſtentiam, a patre tanquam entitatis & exiſtentiæ ſuæ cauſa prima ſuprema & libera: hujusque rationis præſidium quærit in variis Scripturæ S. dictis, alias ſæpius ab Arianis productis in medium, ſed perperam intellectis; *ſecundum*, eundem dona patri accepta referre; *tertium*, patrem eſſe Deum filii; *quartum*, patrem jubendo exercere autoritatem; filium patri exhibere reverentiam obediendo; *quintum*, filium patris eſſe mandatarium, & quidquid agat, ex patris agere mandato poteſtateque ſibi conceſſa; *ſextum*, filium, ſe patre inferiorem eſſe fateri: eam autem profeſſionem, rationem ſufficientem fidei noſtræ merito reputari; *ſeptimum*, filium propter ſemetipſum inque anguſtiis, quæ circumveniebant ipſum, precari ad Deum patrem; *octavum*, filium ſtatum habuiſſe mutabilem & modo majori in gradu gloriæ, modo in minori verſatum: quæ ſingula inferioritatem filii clare docere, autori noſtro videntur. Pergit deinceps, & ad objectiones nonnullas, quæ poſſent formari, reſpondet, ita tamen, ut & duas in Chriſto naturas, & tres, quæ in Deo exſiſtere credantur, perſonas ludibrio habeat, & utatur nonnullis loquendi formulis, quæ & indignæ videntur recenſione noſtra, & ad ſcandalum evitan-
p. 47–77. dum merito involvuntur ſilentio. Tractatu *ſecundo* vindicias tradit ſuperioritatis Dei Patris adverſus librum Claggetti, inque his oſtendere voluit, Chriſti divinam naturam, ſi hæc ipſi adſcribatur, eſſe debere patrem filii Dei, non autem verum & rea-
78–82. lem Dei filium; Tractatum *tertium*, eſſe voluit appendicem aliquot pagellarum de charactere perſonali filii, deque iis, quæ in ordine ad eum credenda ſint. Jeſum patri eſſe æqualem, idque ipſum ad ſalutem eſſe neceſſarium, probari non poſſe cre-
83–92. dit. Tractatu *quarto*, de dominio rerum & libertate conſcientiæ, generatim fundamenta exponit dominii, illudque primo omnium loco Deo, hominibus derivative docet competere. Tranſit deinde ad conſcientiæ libertatem, eandemque aſſerit omni hominis

mini, eligendi ſibi religionem, cum ab hac æterna felicitas pendeat. Minus itaque recte magiſtratum certas fidei formulas præſcribere ſubditis; privari eos examine, quod debebant ſuſcipere, & opinionum reddere aliquando rationem; quemlibet habere jus ad religionis electionem, adeo, ut nec delicto illud amittat; imperantes ſine crimine illud jus reſtringere non poſſe, quia ſequeretur alioqui, ut error in omne ævum propagaretur. Tractatu *quinto* de peccato, oſtendit, quid ſit peccatum; quis ſit culpabilis; dein, propter peccatum alienum, negat, quemquam poſſe appellari peccatorem. Qui dixerit, Deum peccatum Adami, poſteris ad illud non concurrentibus, imputare poſſe, blasphemiam committere; Deo crimen impingere injuſtitiæ, qua major blasphemia non detur; Adamum non repræſentaviſſe genus humanum: hoc enim non elegiſſe illum, adeoque peccatum originis non imputari poſſe poſteris ejus; homines mortales eſſe non propter peccata ſua, ſed, quod immortalitatis, quam Adamus amiſerit, non fuerint redditi participes; abſurdum certe eſſe, iſtos peccare, qui nondum exſtiterunt. Quare concludit, neminem eſſe peccatorem, niſi eum, qui legem negligat, aut transgrediatur actu pravo; deinde ad dicta non nulla, quæ pro peccato originali adducuntur, reſpondere conatus eſt. Tractatu *ſexto* exponit juſtificationem in genere & in ſpecie. Juſtum, dicit, pronunciari, qui ſit immunis a culpa; injuſtum autem, qui culpa maculetur. In ſpecie hominem juſtificari ait ex gratia per pœnitentiam & fidem. Quæſtionem illam, utrum homo ex fide, an ex operibus juſtificetur, plane eſſe inutilem, & minus neceſſariam, quod nec fide, nec operibus juſtificemur, ſed ex gratia. Fidem ſpecialem rejicit, & quicquam negat ad noſtram perſuaſionem redire; eum, qui credat, ſe reprobatum eſſe, non laborare defectu fidei, ſed præditum eſſe mentis humilitate; nihil plane ad noſtram perſuaſionem redire, in ſententia extrema, a Chriſto expectanda. Patere itaque futilitatem ſententiæ illorum, qua juſtos reddi homines credant, per imputationem juſtitiæ Chriſti; omnem juſtificationem redire ad Dei gratiam; denique ſatisfactionem Chriſti pro nobis erroneam eſſe, audacter affirmat. Tracta-

p. 93-107. 111-122. 123-126.

 ta

tu *ſeptimo* inquirit in ſenſum verborum Domini: *fili, peccata tua tibi remiſſa ſunt*. Quem credit eſſe: *fili a morbo tuo ſis liberatus*. Quæ explicatio inſigniter roborat autoris confeſſionem, de ſua & in rebus & linguis ſacris imperitia. Vide quæ ſupra tractatu I ex dedicatione fuere excerpta. Tractatus
p. 127–141. *octavus* agit, de peccatoris liberatione a condemnatione, addita ſatisfactionis Chriſti conſideratione, ſecundum notitiam ab ipſa ſcriptura ſuppeditatam. Neminem quicquam agere poſſe credit, quod liberet peccatorem a condemnatione; Chriſti paſſionem & mortem hanc liberationem non efficere, quod ea tantum pendeat a gratia divina; & licet concedat, Chriſtum plene præſtitiſſe ea, quæ juſſerit pater, ejus tamen ſatisfactionem, culpæ hominum non eſſe æqualem: quod alias nulla am-
142–153. plius gratia, ex ejus quidem mente, haberet locum. Tractatus *nonus* inquirit in juſtitiam Dei, præmiſſis generalioribus de
154–157. juſtitiæ ratione formali & regulis. Tractatus *decimus* de infinita juſtitia, & infinita ſatisfactione; paucis verbis negat utramque poſſibilem eſſe: juſtitiam non admittere gradus, adeoque infinitam eſſe non poſſe; nec exiſtere ſatisfactionem infinitam, cum ſatisfactio ſit vox relativa, &, uti crimen exiſtere nequeat infinitum, ſive tale, cui ratione turpitudinis nihil addi queat, ita nec ſatisfactionem exiſtere poſſe infinitam; multaque dicit alia erronea de juſtitia Dei plerumque aſſumi, qualia ſint: Deum punire neceſſario; mediatorem, in locum aliorum ſubſtitutum, ferre debere æqualia cum peccatore ipſo; eum, qui fert paſſionem, cum Deo patre æqualitatem habere debere; Chriſtum ipſum propterea Deo patri eſſe æqualem; ſic ex principio falſo concluſiones falſas conſequi debere. Tra-
158–168. ctatus *undecimus* de fide & myſteriis, credere hominem debere ait in rebus divinis, omnia, quæ ſint evidentia; qui autem credere velit, quæ plane non intelligit, eum plane non credere. Myſterium putat non eſſe objectum fidei, hac tamen addita expoſitione: non amplius id eſſe myſterium appellandum, quod ſatis perſpicue revelatum ſit; in quo ab uſu loquen-
165–167. di admodum recedit. Tractatus *duodecimus* de uſu rationis in rebus revelationis, rationis in myſteriis uſum inſignem eſſe con-

concedit. Tractatus *decimus tertius* de precibus; inquirit p.168–184.
in naturam, objectum, fines, conditiones precum Deo placentium. Tractatus *decimus quartus* de unitate eccleſiæ agit, ſive 185–200.
corpore Chriſti. Tractatus *decimus quintus* non eſt, niſi epi- 201–206.
ſtola ad virum nobilem, complectens quæſtionem; *an Chriſtus ſolus rex ſit in regno ſuo:* quam adfirmat, & paſtoribus eccleſiæ Chriſti nullam concedit autoritatem, eſſe eos miniſtros Chriſti, proponentes ejus leges ad quarum obedientiam teneamur; eas itaque paſtores ad præſcriptum Chriſti proponere debere, non autem arrogare ſibi poteſtatem, non competentem. Tractatus *decimus ſextus* iterum non continet, 207–208.
niſi partem epiſtolæ ad alium virum nobilem, de quæſtione eadem agentis. Benignitati & ſapientiæ Dei, non convenire, ait, paucis tradidiſſe curam generis humani, & huic impoſuiſſe obligationem exſequendi mandata paucorum: quod nos in ſalutis negotio admodum impediret; ita tamen tandem ſermonem temperat, ut de abuſu eum loqui appareat: quem nemo ſanus approbaverit. Tractatus *decimus ſeptimus*, de quæſtio- 209–220.
ne præjudiciali ad religionem attinente; præmiſſa terminorum explicatione, quæſtionem, *cuinam rei vera religio innitatur*, fundari, dicit, in morali rerum aptitudine, non in arbitrio Numinis: quod, egiſſe aliter ac conditio rerum permittat, Deum plane non deceat: adeoque hoc principio ſumto, quemlibet deprehendere poſſe religionem, in actionibus, cum natura & iis, quæ circumſtant, congruentibus: Semper igitur unam oportere eſſe, eandemque religionem. Tractatus *decimus octavus* 221–239.
Supplementum continet prioris epiſtolæ ad amicum, & reſponſionem ad duas objectiones, quarum eſt altera, Deum nonnunquam agere ex arbitrio; altera autem, hominem ſeſe accommodare debere ad formam cultus, a divina inſtitutione pendentis. Tractatus *decimus nonus* de Abrahamo, Iſaacum ad 240–246.
inſtar ſacrificii oblaturo, Abrahamum, docet, non potuiſſe exequi mandatum divinum in filio interficiendo, oſtendiſſeque ſui infirmitatem judicii, quando ſerio, Deum hanc cædem velle eſt opinatus, eventum etiam docuiſſe, quod Deus ſerio noluerit occiſionem Iſaaci. Tractatus *vigeſimus* continet vindicias 247–277.
Dei,

Dei, in ordine ad cauſam & originem mali naturalis & mo-
ralis. Deum dicit eſſe ens ſapiens & benignum, a quo
nec naturalia, nec moralia mala derivari poſſint; originem
mali ab homine repetendam: licet in quæſtione hac involvan-
tur, quæ omnem ſuperent intellectus humani captum. Tra-
p. 277-284. ctatus *vigeſimus primus* Supplementum continet vindiciarum,
de morali charactere Dei, in quo examinantur duæ objectio-
nes, ad ſapientiam & bonitatem Dei pertinentes. Tractatus
285-300. *vigeſimus ſecundus* de cauſis, quare Chriſtianus alter alterum in
rebus religionis multis malis afficiat, docet: qua occaſione Angliæ
felicitatem prædicat, cui perſecutio nulla metuenda ſit. Tracta-
301-325. tus *vigeſimus tertius* continet examen principiorum *Barclaji*,
in ordine ad hominis vires naturales poſt lapſum. *Barclajum*,
monet, in apologia, hominis vires ita proſternere, ut nullas ei-
dem relinquat cogitandi, loquendi, agendique quæ bona ſunt;
quare in eo confutando multum ponit diligentiæ. Tractatus
326-342. *vigeſimus quartus* epiſtolam iterum complectitur ad amicum,
aſſerentem humanæ naturæ vires modo dictas: edita ea eſt oc-
caſionem largiente, tractatu a *Beavenio* ad *Barclaji* defenſio-
nem publicato. Voluit probare noſter, hominem viribus na-
turalibus relictum eſſe agens morale; habere vires, libertatem-
que agendi, quæ bona & quæ mala ſunt, adeoque ſemetipſum
reddere poſſe Deo acceptum, aut minus acceptum: *Barclaji*
autem librum, confuſum eſſe, abſurdum, & pugnantem ſecum,
nec *Beavenium* idoneum eſſe, his maculis *Barclaji* abſtergen-
342-348. dis. Tractatus *vigeſimus quintus* iterum epiſtolam affert ad
amicum, in quo *Morganum* ſocietati Quackerorum adſcriptum
impugnat, tueturque diſputandi rationem adverſus *Barclajum*
quam inierit, ſententiamque, de qua ad tractatum ita dictum
præcedentem diximus, clariorem adhuc reddere vult. Tra-
348-370. ctatum *vigeſimum ſextum* Quackeris modo nominatis oppo-
nit, inque hoc de Scripturæ evidentia agit, ita, ut conatum ha-
beat docendi hanc propoſitionem: *homo, ſine concurrente ſu-*
*pernaturali influxu, perficere nequit moraliter bonum*; nec
contineri in Scriptura, nec in eadem contineri poſſe. Tracta-
371-382. tum *vigeſimum ſeptimum* de naturali hominis libertate (rectius
epiſto-

Digitized by Google

epiſtolam dixeris ad amicum) *Morgano* opponit, eo fine, ut religionem nullam poſſe concipi, niſi libertas ineſſe homini concipiatur, evincat. Tractatus *vigeſimus octavus* obſervationes p. 383–397. continet, ad naturalem hominis libertatem pertinentes. Tractatu *vigeſimo nono* gloriam Chriſti adverſus Deiſtas vindicat, 397–408. hominemque tantum per Chriſtum coram Deo acceptum reddi poſſe docet: quæ, quomodo cum aliis ſupra dictis cohæreant, vix poterit oſtendi. Tractatus *trigeſimus* ita dictas literas complectitur, 409–421. gratias agentes ad amicum, varia monentem, inque his opiniones ſuas nonnullas tuetur. Tractatus *trigeſimo primo*, meditationes offert piis & impiis Autor, ſibi 421–433. fauſto hoc tempore, quo libertas ſentiendi permittitur, obortas. Tractatus *trigeſimus ſecundus* meditationes de virtute & felicitate refert, 433–448. oſtendentes bonum & malum rationem habere ſuam in natura & ratione rerum, annexis quæſtionibus moralibus, ex hoc fundamento profluentibus. Tractatus *trigeſimus tertius* 448–453. meditationes breves de virtute & vitio profert, in quibus, quæ virtutis ſpecies præmiis afficienda, quodve vitium pœnis, oſtenditur. Tractatus *trigeſimus quartus* de autoritate imperii civilis, ſpeciatim in rebus religionis agit, 453–471. nullamque eſſe in his magiſtratus civilis autoritatem, affirmat. Tractatus *trigeſimus quintus* duabus objectionibus, 471–474. adverſus ſententiam modo explanatam, ſatisfacit.

*JOHANNIS FRIDERICI WUCHERER, Theol. D. & P. P. Extraord. Phil. Natural. Ordinarii, Vindiciæ æternæ divinitatis Jeſu Chriſti, adverſus WILHELMI WHISTONI, Angli: Account of the primitive Faith, ſ. Expoſitionem fidei duorum primorum a nato Chriſto ſeculorum, exercitationibus decem propoſitæ.*

Jenæ, apud viduam Meyeri, 1732, 4.
Alph. 1 pl. 18.



Digitized by Google

EDidit *Wilhelmus Whiſton*, ante viginti, & quod excedit, annos quatuor volumina, quibus titulum fecit: *Chriſtianity reviv'd,* ut cauſam ageret Arianorum. Inprimis ad eum ſcopum pertinet Tomus quartus: *Account of the faith of the firſt centuries, concerning the everbleſſed Trinity and the Incarnation of our Lord; in the Words of the ſacred and primitive Writers themſelves, both in their originals whether Greek or Latin and in Engliſch, by William Whiſton, M. A London 1711, 8,* ſive: *Expoſitio (notitia) fidei duorum primorum ſeculorum, attinentis ad S.S. Trinitatem & incarnationem Domini noſtri, verbis ſacrorum ſcriptorum, & doctorum eccleſiæ duorum primorum ſeculorum originalibus, ſive Græca hæc fuerint, ſive Latina, addita verſione Anglicana, propoſita.*

Voluit eo in volumine probare, *Chriſtum Jeſum, filium Dei & ſervatorem noſtrum ſummo Deo patri non eſſe æqualem, ſed eidem in omnibus ſubordinatum;* eoque conſilio conquiſivit ſcripturæ dicta, patrumque teſtimonia, quotquot reperire potuit, ut duorum primorum ſeculorum colorem, verbis tantum ſcriptorum adductis, hypotheſi ſemel receptæ conciliaret. Sed cum ea citata, aut obtorto collo trahantur in partes, aut veritatem evangelicam de vera Chriſti Jeſu divinitate confirment inſigniter, *examinare Scripturæ dicta, Cl. Autori placuit, ſepoſitisque patrum teſtimoniis, iis ſuum aſſerere ſplendorem voluit.*

Decem igitur hoc fine conſcripſit exercitationes, programmate & exercitatione præliminari præmiſſis. Programma diſquiſitionem continet *de Arii veræ divinitatis Chriſti hoſtis morte miſera, ex eccleſiaſticæ antiquitatis monumentis clariſſime oſtenſa;* invitavit in hoc auditores ad auſcultationem exercitationum, & Arium morte miſera obiiſſe probavit autoritate *Athanaſii, Epiphanii, Gregorii Nazianzeni, Rufini, Theodoreti, Socratis, Sozomeni, dubiisque Godofredi Arnoldi & Guil. Whiſtoni* ne ſpeciem quidem veri ineſſe oſtendit; quod meris conjecturis fides hiſtoricorum, propius ad ætatem, qua hæc mors contigit, accedentium labefactari nequeat.

Præ-

Præfatio monet, Autorem nolle jamjam quævis patrum eccleſiæ teſtimonia examinare, ſed tantum Scripturæ S. dicta, quæ *Whiſton*, invita & reclamante cohæſione totius textus in ſuam voluit ſententiam pertrahere, rectius explanare, & ex multis eorum divinitatem Chriſti elicere.

*Diſſertatio præliminaris de rationis uſu & abuſu in ſacris*, argumentum *Whiſtoni* generale expendit: cujus concluſio eſt, Jeſus Chriſtus filius Dei, Dominus & ſervator noſter non habet ſummam illam divinitatem, quam habet pater ipſe, & qua huic ſit æqualis: addita ratione probante, quod hoc ipſum confirment Jeſus Chriſtus, ſcriptores θεοπνεύςοι N. T. atque doctores duorum primorum ſeculorum a nato Chriſto celebriores; eoque ſcopo, quæ modocunque deprehendere potuit Scripturæ S. dicta ſerie etiam librorum biblicorum ſervata, nullo eorum ſelectu, ipſo fatente, habito, collegit. Ex eo occaſionem ſumit Autor, oſtendendi limites, quæ debent præfigi rationi; rationem enim nec eſſe fidei normam, nec reddere hominem ſtultum: licet homines nonnunquam ſtupidi & ingenio hebetes, conatibus ſuis ridiculis, ſtultorum ſibi nomen, ob minus recte intellecta & explicata loca biblica nonnulla, acquirant. pag. 1–22.

*Exercitatione prima de Deo patre, filio & Spiritu S. Deo uno*, unitatem Dei abſolute & relative talem probat, dictoque *1 Joh. V*, 7, avthentiam aſſerit, eamque veritatem ex *Matth. XXVIII, 19*, & *1 Cor. XII, 4, 5, 6*, derivat. 25–48.

*Exercitatio ſecunda objectiones adverſus hoc fidei dogma confutat.* Cumque *Whiſton* Deum patrem tantum eſſe doceat ſumm um infinitum & æternum Deum, filio Dei oſtendit ſummam competere divinitatem ex ipſis illis dictis, quæ *Whiſton* pro ſua ſententia adduxit, deinde dicta, quæ omnipotentiæ credit ille adverſari, reſolvit, & ad dicta alia, quæ divinitati filii Dei adverſari videri poſſent, & plerumque a Socinianis afferuntur, reſpondet. 49–76.

*Exercitatio tertia cultum religioſum proprie ſic dictum ſoſpitatori noſtro exhibendum, Chriſto Jeſu ex hac ratione vindicat*, quod ſumma illi & æterna divinitas nequeat denegari. Cultum concedit *Whiſton* Chriſto religioſum, quatenus ille eſt legatus 77–112.

tus Dei patris, & ex benigna hujus conceſſione habet, quæ habet. Aſt cultus religioſi Chriſto exhibendi, ejusque devotiſſimi neceſſitatem ex multis ſcripturæ dictis, quæ ipſe pro ſe allegavit, elicit Autor, & monet denique, qui Chriſtum nudum licet hominem adorare velit, idololatram eſſe, Deum creatum abſurdo plane conſilio colere: doxologias multas Pauli, Petri, Judæ, Johannis in Apocalypſi, Chriſto aſſignat.

p. 131–154. *Exercitatio quarta objectiones, cultum religioſum proprie ſic dictum, ſoſpitatori noſtro exhibendum impugnantes, confutat.* Fingit ille diſtinctionem inter cultum in ſenſu eminenti, ſive proprie & improprie, dependenter & ex gratioſa voluntate Dei patris conceſſum: ſed nec conditio rei, nec dicta pro hac ſententia allegata aliquid probant. Pleraque roborant veritatem noſtram Evangelicam, uti inſpectio quemlibet docebit.

155—196. *Exercitatio quinta ſoſpitatori noſtro ex eſſentia Dei patris generationem æternam aſſerit.* Generationem *Whiſton* filii Dei tantum temporalem concedit, æternam illam ad ſubtilitates philoſophicas ablegat. Elaborat itaque in eo Autor, ut oſtendat, Jeſum eſſe 1) filium Dei patris proprie ſic dictum; 2) genitum ab omni ævo, antequam mundus exiſteret, 3) Deum eſſe, Dominum, regem judicemque noſtrum per ipſam naturæ ſuæ præſtantiam, qua occaſione pluribus exponit dictum *Pſ. II*, 7, *Matth. III*, 17, multaque alia. Concedit *Whiſton* Jeſum Chriſtum filium Dei eſſe extraordinaria & ſingulari ratione, modum autem ejus explicare plane nequit. Occaſione loci *Matth. XXII*, 41, 42, 43 multa afferuntur de dicto illo *Pſ. CX* aliisque.

229–248. *Exercitatio ſexta filii Dei ex eſſentia patris æternam generationem adhuc magis confirmat, vindiciasque nonnullorum Scripturæ locorum continet.* Locus *Prov. VIII*, 22 *ſqq.* pluribus exponitur pro veritate noſtra Evangelica defendenda. Circa *Joh. I*, 1, monet Autor, *Johannem* voci λόγος eam ſubjeciſſe ſignificationem, quæ ea ætate erat uſitata, quod ex multis locis Philonis Judæi clare oſtendit. Sic locum *Coloſſ. I*, 15 & 17, & *Ebr. VII*, 3, a ψευδερμηνείᾳ vindicat.

249–268. *Exercitatio ſeptima Jeſu Chriſto perfectiones vere divinas, ſpeciatim omniſcientiam perfectiſſimam, aſſerit.* Eum, qui Deus

Deus eſt vere & proprie ſic dictus, qui cultu religioſo venerandus; qui ex eſſentia Dei patris ab æterno genitus eſt, prædicata habere oportet ſuæ attemperata eſſentiæ. Non tamen confundenda eſt divina cum humana natura, licet utriusque naturæ habenda ſit ſumma ratio, quod ex Formula Concord. illuſtravit Autor. Probe itaque obſervandum, alias proprietates Chriſto competere *ex ſe* & *independenter*, *alias communicative* & *per gratiam unionis hypoſtaticæ*, qua diſtinctione neglecta non poſſunt non falſæ interpretationes ſequi.

*Exercitatio octava de creatione, gubernatione, & ficta Chriſti regni reſignatione agit.* Exſerunt ſeſe virtutes Chriſti infinitæ in creatione & gubernatione hujus mundi, creandique potentiam ne a Deo quidem poſſe communicari creaturæ ſtatuit Autor. Nam ſi Deus non poteſt, quæ pugnant inter ſe, creaturæ potentiam creandi concedere nequit: ſequeretur enim, quod enti, quod tanquam creatura vires habet limitatas, concedi poſſent illimitatæ, adeoque creatura eſſet non creatura: quod pugnat inter ſe. Sic nec Chriſtus eſt nec eſſe poteſt creationis cauſa inſtrumentalis. Finem imponit huic diſputationi inquiſitio in quæſtionem: an Chriſtus regnum ſit reſignaturus in conſummatione ſeculi, docetque, regnum Chriſti duraturum in omne ævum, qua occaſione vindicatur a falſa interpretatione locus ille arduus *1 Cor. XV, 24–28.* p.249-268.

*Exercitatio nona quæſtionem: an prædicata, quæ Chriſtum patre certo modo eſſe inferiorem, probant, veræ & ſummæ ejus divinitati ſint inimica? ſolvit:* Chriſtum patre inferiorem eſſe ſecundum humanam naturam conceditur, multaque dicta, quæ producit *Whiſton*, æqualitatem probare Chriſti cum Deo patre oſtenditur. Reſolvuntur deinde conſueta illa dicta, quæ adverſus æqualitatem Chriſti Jeſu cum Deo patre objiciuntur. Quotquot etiam dicta ſubordinationem, preces & actus humiles involvunt, ad humanam Chriſti naturam, eandemque exinanitam reſpicere, docetur. 269–280.

*Exercitatio decima & ultima de incarnatione filii Dei & Trinitate Whiſtoniana.* Vult videri *Whiſton* aſſertor incarnationis filii Dei, ſed ille filium Dei, putat, creatum a patre ante 280–292.

 ſecula,

Digitized by Google

ſecula, dein conceptum in utero Mariæ, & ex virgine illa benedicta eſſe natum; quod veritati evangelicæ adverſatur. Nec poteſt divina Chriſti natura munus obire animæ rationalis in Chriſto. Dicta, quæ adducit, recte intellecta, plane nihil probant. Trinitas autem *Whiſtoniana* ſubordinationem illam, quam ubique urget contra ſcripturam, involvit.

*ALBERTI WILHELMI MELCHIORIS, I.F. Apologia pro miraculis Chriſti & expoſitionibus patrum allegoricis, adverſus THOMAM WOOLSTONUM, publice dicta, cum faſces Academicos deponeret, Calendis Junii A. 1731.*

Excudit Guilielmus Coulon, Academiæ typographus Ordinar. 4, formæ maj.

Plag. 13½.

DUo ſunt Apologiæ hujus capita: *alterum* enim *miracula Chriſti*, *alterum expoſitiones patrum allegoricas* tuetur adverſus *Thomam Woolſtonum*, Collegii Sidnæi, Academiæ Cantabrigienſis Socium, ob errores & in his pertinaciam ex eodem ejectum. Ediderat ille libellum: *The Moderator between an infidel and an Apoſtat*, inſcriptum, in quo voluerat videri ex altera parte impugnare *Anton. Collinum*, recte infidelem appellatum, ex altera autem re vera impugnaverat theologos omnes, ex miraculis argumentum, pro vera religione Chriſtiana depromentes; quos apoſtatas vocaverat, a doctrina quippe patrum primitivæ eccleſiæ deſciſcentes: quare dignitate fuit & beneficiis orbatus. Sed tantum abeſt, ut ſententiæ ſuæ renunciaverit, ut potius ſex libellis, totidem Epiſcopis conſecratis, paraverit vindicias. Tria in his ſe demonſtraturum pollicitus · I. *Sanationes ægrotorum, quorum in Evangeliis mentio fit, non eſſe vera miracula, aut opera, quæ Meſſiam deceant; ſcriptoreſque Evangeliorum operationes ejus myſticas, quæ ad Spiritum attineant, deſcribere.* II. *Literalem miraculorum hiſtoriam involvere abſurda, improbabilia & incredibilia: ex quo infert, eadem nec facta eſſe, nec fieri potuiſſe, eo, quo nunc accipiuntur ſenſu.* III. *Jeſum, quoties ad miracula provocet, non proprie & ultimo ea reſpicere, quæ in carne patraverit,*

p. 11 ſqq.

*ſed*

Digitized by Google

*ſed ea, quæ in Spiritu facturus erat, quorum, quæ in carne operatus eſſe dicitur, typi fuerint & umbræ.*

Eam viri audaciſſimi ſententiam erudite impugnat Cl. Autor, & miracula dicit, ex viribus naturalibus proficiſci non poſſe; ſed Deum ſupponere concurrentem, qui adeſſe nequeat homini mendaci: ſuæ is alioqui ſapientiæ adverſaretur; dari omnino criteria, quibus falſa diſcernantur a veris, quæ ad Chriſti miracula applicata, quorum plurima hic commemorantur, ſatis eſſe ea vera teſtentur. Male miraculis Chriſti pugnam adſcribi, male etiam de eorum veritate dubitari; male igitur extorqueri emblematicam vitæ Chriſti Jeſu interpretationem: ſequeretur enim alias, eodem interpretandi modo roboreque, nec Jeſum exſtitiſſe unquam, nec Apoſtolos. Omnem etiam religionem, quam amplectimur, ſtante *Woolſtoniana* interpretatione labaſcere; ſcriptores uti ſtylo hiſtorico, nec adeſſe indicia, quæ allegoricam docendi rationem indicent; concordare ſcriptores omnes in rebus ipſis; Jeſum, perſonam veram, vere etiam aliquid egiſſe; collationem, inter vaticinia V. T. & miracula N. T. inſtitutam, ſenſum literæ ſupponere; in explicatione obedientiæ filii erga patrem, paſſionis, mortis ac reſurrectionis Jeſu Chriſti propria, religionis & æternæ noſtræ ſalutis proram atque puppim ſitam eſſe; Jeſum ipſum ad opera ſæpius provocaſſe, nec ullam ei ob id factam eſſe exceptionem; multis deinde verbis abſurditatem ſententiæ *Woolſtonianæ* docet; ipſos hoſtes, ait, Chriſti Jeſu, vel invitos confirmare ſenſum miraculorum proprium: Jeſum, inquientes, per principem dæmoniorum dæmonia ejicere. Sic gentiles Chriſtianis nunquam exprobrare ſenſum miraculorum improprium; ſic patres Apoſtolicos & proxime ad horum ætatem accedentes, ne verbo quidem mentionem injicere interpretationis allegoricæ miraculorum:

p. 24 ſqq. 55. 58. 66.

Quod ad caput alterum attinet, *expoſitiones nempe patrum allegoricas*, hos quidem, concedit, nonnunquam allegoricam interpretandi rationem retinuiſſe, eo tamen abſurditatis abiiſſe nunquam, quo *Woolſtonus*; etſi vel maxime aliqua ex parte impegerint eccleſiæ doctores, quos patres appellamus, excuſandos tamen eos potius eſſe, quam trahendos ad imitationem. Sic *Origenes*, ex Cl. Autoris ſententia, in quandam allegoriarum luxuriem diver-

75 ſqq. 91 ſqq.

Digitized by Google

vertit,ſed nec ille, nec patres eccleſiæ reliqui eo proceſſerunt veſaniæ, quo *Woolſtonus*. Tandem adhortatione ad Adverſarium,
p. 101 ſqq. ut ad mentem ſaniorem redeat, finem imponit Orationi.

## *NOVA LITERARIA.*

ULtrajecto *Johannes Broedelet* Bibliopola Trajectinus, Rempublicam literariam certiorem facit,ſe prelo jam commiſiſſe: *Theſaurum Juris Romani,continentem rariora meliorum interpretum opuſcula,in quibus Jus Romanum emendatur,explicatur, illuſtratur, itemque claſſicis aliisque Autoribus haud raro lumen accenditur,cum Præfatione Ev. Ottonis JCti & Antecesſoris IV. Vol. fol. V. Tomo* augenda. Prodeunt in lucem ſingulis ſeptimanis decem & octo philyræ, charta magna quam vocant Mediana, typis noviter & artificioſe ad hoc formatis. Textum, infinitis, quibus ſcatet Lugdunenſis editio mendis Autorum & typothetarum purgavit Vir Cl. *Ev. Otto*,qui præfationes pariter ſuas reddit auctiores,omnem adhibiturus operam, quo priori editione elegantior nitidiorque appareat nova. Sic omni impenſa & diligentia peracta, ante finem A.1732, niſi omnia fallant, lucem adſpecturum Theſaurum promiſſum ſperat bibliopola. At ne culpa ſua ſecus eveniret,cupidique Legum Studioſi promiſſis ſuis fidem denegarent,hanc ſibi ipſi legem pœnamque dictitavit,ſcilicet,ut Theſauro ſuo nundinis Francofurt. A. 1733 Paſchatis feſto celebrandis nondum exhibito, mille aurei in uſum pauperum Trajecti convertendi,ab ipſo exigi poſſint. Provocarunt hanc ejus diligentiam pœnamque ſibi indictam, putida eorum mendacia, qui in novis publicis quæ Francofurti prodeunt,ipſi ut nocerent numerumque ſubſcribentium minuerent, impudenter ſcripſere,nuncium illum miſiſſe conſilio de recudendo theſauro juris. Hæc animos multorum, quibus nomen dare primæ Theſauri paginæ in votis fuit, reddidere dubios atque fluctuantes. Ne vero votis eorum reſpondeat exitus, terminum ſubſcribendi, iisdem quibus antea conditionibus,ad primum Junii A.1732 amicorum juſſu extendere conſtituit. Fruantur itaque hac prorogatione ingenui Muſarum fautores & imminentibus nundinis feſto Paſchatis Lipſiæ & Francofurti aliquot philyras theſauri hujus in tabernis librariis Batavis, teſtimonii cauſa exſpectent.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipſiæ
Calendis Martii Anno MDCCXXXII.

---

LES MONUMENS DE LA MONARCHIE Françoiſe, qui comprennent l'hiſtoire de France.

h. e.

*MONUMENTA FRANCICÆ MONARCHIÆ quæ Franciæ hiſtoriam complectuntur, cum iis cujusque Regni figuris, quibus injuria temporum pepercit, Autore Dom. BERNARDO DE MONTFAUCON, Ord. Bened. e Congr. S. Mauri.*

*Tomus III.*

Lutetiæ, apud I. M. Gandovin & P. F. Giffart, 1731, fol. maj. Alph. 4 pl. 7 Tabb. æn. 69.

DIligentia celeberrimi *Montfauconii* efficit, ut Monumentorum Franciæ, quorum Tomum I & II anno proxime præterito in *Actis* noſtris p. 49 & 495 recenſuimus, Tomum tertium jam commemorare queamus, in quo monumenta ſiſtuntur, quæ ad Regum Franciæ Caroli V, Caroli VI, Caroli VII, & Ludovici XI hiſtoriam illuſtrandam faciunt. Doctiſſ. Autor in hoc Tomo aliquantum recedit ab inſtituto, quod in antecedentibus Tomis habuit. In iis omnia monumenta, quæ obtinere potuit, in aes incidi curavit; in hoc præcipuas tantum picturas veteres æri inciſas exhibet. Cum enim ſub Carolo V Rege Franciæ, opera & ſtudio *Petri de Brugis* pictoris præſtantiſſimi, pingendi artificium maxima ceperit incrementa, numerus picturarum eodem tempore mirum in mo-



Digitized by Google

dum auctus hunc ſelectum poſtulare *Montfauconio* viſus eſt. Exiſtimamus nos melius hujus, quem præ manibus habemus, Tomi rationem exponere non poſſe, quam aliquas obſervationes exempli loco in medium proferendo. Omnis quæ ab illis, qui picturas in aes incidi curant, atque obſervationibus ſuis explicant, expectari poteſt utilitas, vel eſt, ut illarum ope hiſtoriarum memoratu dignarum veritatem confirment, atque nonnunquam uberius explicent; vel etiam, ut ſigillatim habitus cultusque varietates earum beneficio indicent. Utroque modo Clariſſ. Autor officii ſui partes implere ſtuduit. Videlicet primo monumentis ſuis lucem affundit variis rebus geſtis memoratu dignis. Id quod ex iis tantum probabimus monumentis, quibus Caroli V Regis Franciæ hiſtoriam illuſtrat. Ex duabus picturis, quas in aes inciſas exhibet, magnum favorem, quo Carolus V literatos viros complexus eſt, demonſtrat. In prima enim exprimitur, quo ſolenni ritu *Nicolaus Oresmius* magnus Collegii Navarræ Magiſter Bibliorum ſacrorum interpretationem Francicam A. 1370 Carolo V obtulerit? Ex altera intelligitur Carolum Regem tanti feciſſe viros literatos, ut, cum ruſticatum procederet, aliquos eorum ſecum duxerit. Ex alio monumento ſingularem modum, quo hujus Regis tempore veritas fuerit explorata diſcas. Nempe A. 1371 vir præcipuæ dignationis Macarius invidia motus Albericum de Monte-Deſiderio gratia multum apud Regem valentem in ſylva quadam, ubi unice canem ſecum habebat, occidit. In cujus quidem ſceleris autorem cum Rex fruſtra inquireret, obſervavit tamen canem, quo Albericus quondam uſus erat, quavis occaſione Macarium aggredi, inſilire in collum ejus, nihilque non agere, ut in eum dentes infigeret, cum erga alios non ita ſeſe gereret. Unde ſuſpicatus eſt Rex Macarium cædem iſtam feciſſe. Cum vero Macarius hoc ipſum negaret atque pernegaret; Rex ſtatuit omnem controverſiam per ſingulare certamen a Macario cum cane illo inſtituendum dirimi oportere, cujus exitu Deus rei veritatem patefaceret. In quo quidem certamine Macarius cum inſultibus canis reſiſtere non poſſet omnia confeſſus eſt. Hoc ipſum certamen juſſu Regis Caroli V in cortina unius ex

pag. 32. 69–72.

cami-

caminis ampliſſimæ aulæ caſtelli Montis-Argiſi depictum eſt,& *Montfauconius* in ſingulari tabula idem exprimi curavit, quam variis additis obſervationibus explicat. Superſtitionis, quæ eadem ætate fuit, documentum eſſe poteſt tabula in qua pugna Roſenbeccenſis exprimitur. Inibi enim comparet *Oriflamma* ſive vexillum ſacrum, quod cœlo delapſum putabant ejus ætatis Franci, & cui maximam efficaciam tribuebant. Hoc Oriflammæ ſigno in ea pugna expanſo exiſtimarunt ſtatim denſam caliginem, quæ impedimento erat, quo minus alter alterum videre poſſet, fuiſſe diſcuſſam, & ejus auxilio reliqua etiam feliciter ceſſiſſe. Ceterum hoc loco notari merebitur doctiſſimum autorem indicem omnium gazarum, vaſorum aureorum & argenteorum, lapillorum & gemmarum a Carolo V relictarum huic Tomo ex Codice Manuſcripto, qui habetur in Bibliotheca Regia, inſeruiſſe. Ex quo quidem indice ſive Inventario non ſolum divitiæ, quibus tum temporis Reges Franciæ abundarunt intelliguntur, verum etiam quantum ſacris reliquiis tribuerint manifeſtum eſt. Variæ enim inibi commemorantur reliquiarum thecæ numero multis & pretioſiſſimis gemmis ornatæ.

p. 82–84.

52–65.

Ad obſervationes alterius, quam fecimus, claſſis progredimur. Etenim clariſſimus Autor ex monumentis ſuis ſæpenumero oſtendit, quomodo cultus regius diverſis temporibus fuerit immutatus. Huc v. g. referas, quod, ubi tabulam, in qua adventus Caroli IV Imperatoris in Franciam ſiſtitur, explicat, ex illa annotet Carolum V Regem Franciæ, cum exciperet Imperatorem, equo albo inſediſſe. 39. Equum autem album tum ſupremi dominii notam fuiſſe contendit. Quam obſervationem etiam aliis exemplis hoc ipſo Tomo probare annititur. 34. Ex pictura, qua celebritas ſacræ unctionis Caroli VI exprimitur, ubi 74. in ſolii faſtigio tria ſcuta Francica conſpiciuntur, quorum ſingula tres lilii flores exhibent, concludit; hujus Regis tempore lilia in ſcutis & inſignibus Franciæ ad ternum numerum redacta eſſe. De Iſabella Bavarica uxore Caroli VI obſervat, quod 108. luxum & pretioſarum veſtium uſum præ ceteris in aulam regiam Francorum induxerit. Id quod non ſolum ejus exemplo, ſed & hiſtoricorum teſtimoniis confirmat. Variæ etiam ima-



Digitized by Google

gines, quas in hoc Tomo exhibet, *Montfauconio* anſam præbent obſervationi, quod per ducentos propemodum annos nobiliſſimæ fœminæ Francicæ ornatum capitis geſtarint longiſſimum & in conum deſinentem. Plura exempla non addimus, cum ex iis, quæ jam commemoravimus, & ex generali hujus operis inſtituto unicuique, ut opinamur, ſatis appareat, quæ monumenta & quas obſervationes in eodem expectare queat.

## MEMOIRES DE LITERATURE &c.

hoc eſt,

## *COMMENTATIONES PHILOLOGICÆ Sociorum Academiæ Regiæ Inſcriptionum elegantiorumque literarum.*

## *Tomus VI.*

Lutetiæ, ex officina Regia, 1729, 4.

Alph. 4 pl. 5.

UT &, quæ hoc in Tomo a viris eruditiſſimis tractentur argumenta, cognoſcatur a voluptatis literariæ ſtudioſis, Cl. *Anſelmus* differit de monumentis illis, quibus uſi ſunt antiquiſſimi hiſtorici ad texendam ſuam quisque hiſtoriam; *Puillius* de incertitudine hiſtoriæ Romanæ quatuor primorum ſeculorum; *Sallierius* de antiquiſſimis Romanorum monumentis hiſtoricis; idem de certitudine hiſtoriæ Romanæ quatuor primorum ſeculorum, ad illuſtrandum *Plutarchi* librum *de parallelis hiſtoriarum Græcarum & Romanarum*; *Puillius* de fide hiſtorica; *Sallierius* iterum de certitudine Romanæ quatuor primorum ſeculorum hiſtoriæ; idem de comparatione Græcorum aliquot hiſtoricorum cum Romanis; *Freretus* de ſtudio hiſtoriæ antiquæ, deque gradibus certitudinis in ea; *Cuturius* de more Romanorum creandi dictatorem in calamitate publica ad implorandum Numinis auxilium; *Gedoinus* de urbanitate Romana; *Racinius* de utilitate imitationis, & de recta imitandi ratione; idem de poeſeos natura in tribus diſſertationibus; *Fragierius* de poemate in proſa non conficiendo; idem de Elegia

gia Græca & Latina; *Maſſiæus* de odis Pindaricis, adjecta earum interpretatione Gallica; *Boivinius* junior de *Sophoclis Oedipo Tyranno; Sallierius* de ejusdem *Oedipo Coloneo; Banierius* de *Xenophontis Cyropædia;* idem de duratione obſidionis Troianæ; *Gedoinus* de duabus picturis Polygnoti apud Pauſaniam; *Hardion* de paſtore Daphnide; *Sevinus* de Hecatæo Mileſio; idem de vita & libris Nicolai Damaſceni; *Sallierius* de vita Hortenſii, oratoris; *Falconnetus* de Bætyliis; *Freretus* de prœlio Cyri cum Croeſo; *Bozius* de Regibus Boſphori Cimmerii; *Fragierius* de porticu Verris; *Bern. Monteſalconius* de Pharo Alexandrina deque Pharis aliis; idem de papyro; *Freretus* de fundamentis artis ſcribendi, itemque de fundamentis ſcripturæ Sinenſis; *Lancelotus* de Gergovia & aliis oppidis antiquæ Galliæ; *Secuſſius* de Julio Sabino & uxore ejus Epponina; *Foncemagnius* de ſucceſſione hereditaria Regum Galliæ primæ ſtirpis; *Vertotius* de legibus ſumtuariis Galliæ; *Lancelotus* de monumento quodam Wilhelmi Conqueſtoris; idem denique de ſeptem mirabilibus Delphinatus.

Libet & hoc ex numero ſpecimina aliquot lectoribus exhibere noſtris. *Puillius* priora quatuor hiſtoriæ ſecula fide privaturus, docet, antiquiſſimos hiſtoriæ Romanæ ſcriptores, *Hieronymum Cardianum*, *Timæum*, *Fabium*, & *Cincium*, ſexto demum ſeculo ab urbe condita vixiſſe, meraſque traditiones mandaſſe literis: jam vero eam eſſe traditionum naturam, ut falſa admixta habeant tam multa, verum ut a falſo diſcerni nequeat. Addit, monumenta Romanorum publica niti traditionibus; familiarum ſingulares hiſtorias falſis eſſe laudibus plenas, jam *Ciceronem* agnoviſſe ac *Livium*; Pontificum veteres annales itemque Faſtos eſſe confictos. Præterea obſervat, ſubinde ſibi contradicere veteres illos hiſtoricos, e. g. in Romæ origine deſcribenda, in narrando diſceſſu Gallorum ab obſidione Capitolii. Denique & illud obſervat, Romanos ſcriptores aliarum gentium hiſtorias majoribus ſuis tribuiſſe mendaciter, e.g. de Romulo a lupa nutrito, de morte Romuli, de Curtii deſcenſu ad inferos, de Scævola manum igni immittente, de pugna Horatiorum & Curiatiorum. Ceterum cum æquum ſit, audiri & p. 14.

alteram partem, legenda quoque putamus, quæ in contrarium diſputat *p. 52 ſqq.* & *p. 115 ſqq. Sallierius.*

p. 208. Veniamus ad *Gedoyni* Diſſertationem *de urbanitate Romana.* De hac virtute ſingularem ſcripſerat librum *Domitius Marſus*, e quo nonnulla ſervavit *Quintilianus.* Jam antea vero etiam *Cicero* id argumentum attigerat. Sumtis igitur duobus his ducibus, *Cicerone* & *Quintiliano*, Noſter docet, Romanam urbanitatem conſiſtere partim in uſu verborum Romæ probatiſſimorum, partim in ſingulari dulcedine pronuntiationis, quam nec ruſtici nec provinciales exprimere poterant, partim in oratione morata & humanitatis plena, partim denique in oratione ſale & argutiis referta. Oſtendit ſimul, qua ratione Romani hanc ſibi virtutem, *urbanitatem* dico, comparaverint.

400. De *Xenophontis Cyropædia* verba faciens *Banierius* pugnat, hanc non eſſe fabulam moralem, ſed veri nominis hiſtoriam. Ac primum refert, quibus de cauſis ſuſpecta facta ſit hæc de Cyro narratio. Deinde oſtendit, cur ea ſit habenda pro hiſtoria vera. Tum docet, hiſtoriam hanc amice conſentire cum hiſtoria Biblica.

513. Agens de *Bætyliis Falconnetus* ex poemate quodam *Orphei* producit lapidem Sideriten, quo Helenus uſus fuerit pro oraculo, certis ritibus efficiens, ut loqueretur iſte lapis, & quærenti reſponſa redderet. Hinc e *Photio* vel potius e *Damaſcio* narrat, ejusmodi lapidem etiam habuiſſe ac ſubinde conſuluiſſe *Iſidorum*, ſexti ſeculi philoſophum. Cum igitur eadem virtus tribuatur *bætyliis*, veterum prius fabulas de iis recitat: hinc *Bocharti* ſententiam multos ſubſcriptores nactam producit, fabulam illam derivantis a lapide illo, cui in itinere incubuiſſe legitur *Jacobus* Patriarcha, cenſentisque, ex nomine *Bethel* ortum eſſe nomen *bætyliorum.* Refellit vero conjecturam hanc multis argumentis, &, poſtquam de ſacris ethnicorum veterum lapidibus, quos inter & *Jupiter Lapis* eſt, complura protulit, ipſe cenſet, *bætylia* eſſe genus aliquod lapidum ceranniorum, nitens hoc *Plinii* loco *Lib. XXXVII Cap. 9*: *Sotacus & alia duo genera facit ceraunia, nigras rubentesque, ac ſimiles eas*

*eſſe*

Digitized by Google

*eſſe ſecuribus; per illas, quæ nigræ ſunt & rotundæ, urbes expugnari & claſſes, easque BETULOS vocari.* Hos igitur lapides credit adhibitos a veteribus fuiſſe ad alendam ſuperſtitionem publicam, ac pollicetur, alia in Diſſertatione ſe pertractaturum eſſe hoc argumentum.

De papyro Ægyptiaca, de papyro e goſſypio facta, quam *bombycinam* vocant, deque papyro hodierna ſuo more, hoc eſt, eruditiſſime diſſerit *Bernardus Monteſalconius*, celeberrimum illud & æternis meritis illuſtre nomen. Deſcribit initio plantam illam, quæ papyrus vocatur, ac ſimul nomen ejus Ægyptiacum illuſtrat: hinc inquirit, quo tempore inde confici cœperit papyrus, quæque fuerit ejus conficiendi ratio: tum docet, per omnem prope orbem ſcribentibus in uſu fuiſſe hanc papyrum, & quæſtum iſtum admodum fructuoſum Ægyptiis fuiſſe, donec in oriente inventa fuerit charta combycina, & in occidente charta linea, qua hodie utimur. Inter hæc de MS. *Evangelio S. Marci*, quod Veneti poſſident, quodque ipſe ſuis uſurpavit oculis, agit, idque exaratum fuiſſe putat ſeculo quarto, atque adeo tantæ vetuſtatis eſſe, ut vetuſtiorem ſupereſſe MS. Codicem non credat. Refert vero, Evangelium illud inſcriptum eſſe Ægyptiacæ papyro, cumque A. 1564 adhuc fuerit legibile, in loco humido, ubi poſtea aſſervatum fuerit, adeo corruptum eſſe, vix ut duo verba nunc junctim legi queant. Laudat & alios Ægyptiacæ papyri codices ſuperſtites, interque eos præcipue editam a Mabillonio Juſtiniani Imp. *Chartam plenariæ ſecuritatis*, quæ adhuc aſſervatur in bibliotheca Regis Galliæ. Uſus papyri Ægyptiacæ quo tempore ceſſarit, ſi quæris, docet noſter, id factum eſſe vel nono ſeculo vel initio decimi: hoc enim temporis ſpatio inventam fuiſſe *chartam bombycinam*, & durabiliorem & ad ſcribendum aptiorem. Ad hodiernam chartam quod attinet, producit teſtimonium *Petri Mauricii*, cognomine *Venerabilis*, qui *S. Bernardi* ævo vixit, memorantis chartam *e raſuris veterum pannorum factam*; ac ſtatuit, originem hujus papyri ad undecimum ſeculum eſſe referendam.

P. 592.

600.

Ultimo loco laudamus *Freretum*, accurate diſſerentem de 609.

de origine artis ſcriptoriæ, ſimulque varia ſcribendi genera conſiderantem, ac potiſſimum ſcripturam Sinenſium, quorum & Philoſophiam pluribus perſequitur, eamque cum abſurditatis, tum impietatis, ream agit.

## *EPISTOLA DOCTI PEREGRINATORIS ex Italia ad V. Celeb. A. LEYSERUM, Ordinarium Vitemberg. de Inſcriptione ÆLIA LÆLIA CRISPIS &c.*

CUm nuper Roma rediens Bononiam tranſirem, & per aliquot dies ibi commorandum eſſet, venit in mentem illius Ænigmatis, quod Comes Malvaſia Commentatione illuſtravit, ſub titulo: *Ælia Lælia Criſpis non nata reſurgens.* Quam Commentationem & olim legeram & Illuſtr. Virum, in primo itinere meo Italico, coram conveneram: ſed ejus interpretatio, dum de Embryone unius menſis explicat, & tot caſus ſupponit, quot in uno ſubjecto ſimul concurrere vix credi poſſunt, non mihi plene ſatisfecerat. Itaque tunc otioſus reliquas ab eodem adductas percurri, atque aliquandiu animum applicui, quænam earum melius conveniret, & annon alia magis congrua dari poſſet. Cupido quoque inceſſit videndi ipſum lapidem cui inciſa eſt Inſcriptio, & qui extra urbem ad unum milliare Italicum, in muro Prædii cujusdam Patritii Bononienſis, ſe ſpectandum exhibet. Sed nec ex eo quicquam mihi luminis acceſſit, cum recentior ſit & ſuperioris ſaltem ſeculi. Fragmenta enim veteris ab incauto opifice in reparatione ædificii inter fundamenta poſita dicuntur. Tandem nomen Æliæ atque triplicatio iſta elogiorum, quin ſonus ipſe verborum ſimiliter cadentium, memoriæ ſuggeſſerunt illos Hadriani verſiculos: *Animula, vagula, blandula*, &c. Unde in eam incidi opinionem, aliquem ex Familia Ælia hoc monumentum propriæ ſuæ animæ poſuiſſe. Nam de ipſo Hadriano hoc aſſeverare non audebam, quamvis Inſcriptio & genium & ſtylum & ſeculum ejus maxime ſaperet, atque Athenæo, qui poſt eum vixit, utique viſa videretur. Ita enim ille in Dypnoſoph.

*Quid*

*Quid eſt quod neſcimus & docemus omnes?*
*Quid idem eſt nusquam & ubique?*
*Præterea quid idem in cælo, terra & mari eſt?*

quorum prius quidem Athenæus de animo, alterum de tempore, ultimum de Urſa Cane aut Serpente cœleſti interpretatur: ego vero tria hæc in univerſum pro Deo aut anima mundi (juxta ideam ethnicorum) acciperem. Ceterum nec hoc apud veteres inuſitatum, animæ ſuæ monumentum erigere; ſiquidem literæ A. M. PP. D. in antiquis inſcriptionibus ita leguntur: Animæ meæ propriæ dico. Quicquid demum ejus rei ſit, non potui quin conjecturas meas in chartam conjicerem, & Tuo Vir Cl. tanquam exacti antiquitatum indagatoris judicio ſubmitterem. Tu, pro eo quo me amplecteris affectu in bonam partem accipe, &

*— Si quid noviſti rectius illis*
*Candidus imperti* &c.

D. M.

ÆLIA) Anima *Ælii.*

LÆLIA) ſive propter ſymphoniam, ſive ex *L. Ælia* compoſitum.

CRISPIS) per transpoſitionem ex *Priſcis*, ne ſtatim appareat, quod correſpondeat nomini *Priſcii*.

NEC VIR, NEC MULIER, NEC ANDROGYNA) ſubintellige: *Sed omnia*, quoniam Anima omnes animat.

NEC PUELLA, NEC JUVENIS, NEC ANUS) ſubintellige iterum: *Sed omnia*; quoniam omnes has ætates transegerat jam vetulus *Priſcius*.

NEC CASTA, NEC MERETRIX, NEC PUDICA, SED OMNIA) Forte quod cum Hadriano omnia voluptatis genera expertus fuerit, qui & uxorem habuerat, & alias adamaverat fœminas, demum puerum deperierat.

SUBLATA NEQUE FERRO, NEQUE FAME, NEQUE VENENO, SED OMNIBUS) Scilicet quotquot mortis generibus vita tolli poteſt. Cum enim vivus hoc poneret Lucius, nondum ſcire poterat, quo fato



Digitized by Google

animam amiſſurus eſſet. Ita & Comes Malvaſia non de actu ſed potentia moriendi explicat.

NEC COELO, NEC AQVIS, NEC TERRIS, SED VBIQVE JACET) ſecundum ideam gentilium, qui ignorabant, quid eſſet & quo iret Anima, ſive eam in prima Elementa, ſeu plane in nihilum reſolvi crederent. Ex hoc maxime loco de intentione Autoris judicandum. Quo facit illud Athenæi citatum a C. Malvaſia: de quo ſeparatim.

LVCIVS) Prænomen Viri, quod dabatur his, qui ſub ortum lucis, quemadmodum *Cajus* illis, qui ſub occaſum naſcerentur.

AGATHO) Ex Græco bonus: fictitium pro *Ælio*, quod nomen Familiæ; quo magis involveret ſenſum ænigmatis. Dubito an unquam fuerit Familia aliqua *Agathonia*, pro qua tam operoſus eſt Malvaſia: Servis interdum cognomen ſuperadditum.

PRISCIVS) Jam vetulus hæc poſuit *Lucius*. Malvaſia multos *Priſcos* & *Criſpos*, nullum *Priſcium* invenire potuit; unde iterum colligo nomen fictitium eſſe: verum autem forte: L. ÆLIVS PRISCVS.

NEC MARITVS, NEC AMATOR, NEC NECESSARIVS) ſubintelligo, ut ſemper, *ſed omnia*: imo *plus*. Arctius enim vinculum eſt inter Animam & Corpus, quam inter Virum & uxorem, ac magis tenere ſe amant quam Amaſii, atque adeo magna neceſſitudo eos intercedit, ut alterum ſine altera ſubſiſtere nequeat.

NEQVE MOERENS, NEQVE GAVDENS, NEQVE FLENS) quod ſi volumus uti hactenus ſubintelligere: *Sed omnia*, dicendum, mœrere Livium, ob futuram ſeparationem; gaudere ſub ſpe, quod animæ in Elyſiis bene erit; flere denique communem moriendi ſortem.

HANC NEC MOLEM, NEC PYRAMIDEM, NEC SEPVLCHRVM, SED OMNIA) pro quocunque velis accipere: Monumentum in genere. Placet expoſitio Malvaſiana, quæ molem ad aquas, pyramidem ad cœlum, ſepulchrum ad terram refert.

SCIT

Digitized by Google

SCIT ET NESCIT CVI POSVERIT) Ex hoc iterum intentionem Autoris conjicio. Neſciebant enim, uti dixi, gentes quid eſſet anima.

## *CHRISTIANI KORTHOLTI, A. M. KILOnienſis Holſati, Commentatio hiſtorico-eccleſiaſtica de Eccleſiis Suburbicariis, qua in diœceſin, quam Epiſcopus Romanus ætate Concilii Nicæni habuit, inquiritur, duabus diſputationibus in Academia Lipſienſi publice defenſa.*

Lipſiæ, literis Breitkopfianis 1731, 4.
Plag. 13.

CAnone ſexto Concilii Nicæni ſtatuitur: *Antiqui mores ſerventur, qui ſunt in Ægypto, Libya & Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium poteſtatem habeat, quandoquidem & Epiſcopo Romano hoc eſt conſuetum.* Nemo non intelligit hoc Canone diœceſin Epiſcopi Romani non quidem determinari & definiri; interim tamen ad eandem provocari, eo conſilio, ut Romani Epiſcopi poteſtas Alexandrino Epiſcopo exemplo eſſe poſſit. *Ruffinus* autem Presbyter Aquilejenſis, ſeculi quarti ſcriptor, in Hiſtor. Eccleſ. Lib. I Cap. VI hunc Canonem Nicænum paraphraſi quadam addita interpretatus eſt. In qua interpretatione Epiſcopum Romanum *Suburbicariarum Eccleſiarum ſolicitudinem gerere* dicit. Cum *Ruffinus* viveret, non poterat non notiſſimum eſſe, quænam ſint ſuburbicariæ Eccleſiæ. Sed ſeculis ſequentibus, mutata Imperii Romani diviſione, Suburb. Eccleſiæ definiri tam facile non poterant. Seculo igitur ſeptimo & decimo, cum de Suburb. Eccleſ. terminis omnibus non conſtaret, hæ ipſæ Eccleſiæ variis eruditis certaminibus inter Gallos, Italos & Belgas occaſionem aperuere. Qua quidem occaſione licet multa de iis prodierint ſcripta, Autor tamen noſter bene multa in ſcriptis illis deſiderat, & in nonnullis graviſſimos errores deprehendi propugnat. Quos quidem errores ut refutet, & rectiorem de Eccleſiis ſuburbicariis ſententiam ſolidis argumentis munitam ſuppeditet; hac ipſa com-

mentatione ſtudioſe annititur. Cujus quidem commentationis rationem paucis commemorabimus. Quatuor illa ſectionibus abſolvitur. Sectione *prima* controverſiæ de Eccleſ. Suburb. occaſione expoſita, varias ſcriptorum de E. S. ſententias commemorat. Quas quidem ad duas generatim claſſes revocat. In eo enim generatim diſcrepant, quod alii *Ruffini* interpretationem Canonis ſexti Nicæni, quæ omni huic diſceptationi præbuit anſam, admittant, aliis eandem omnino rejicientibus. Ad hanc claſſem præcipue refert *Baronium* atque *Bellarminum*.
p. 9–11. Qui ad illam pertinent claſſem, ſecundum Autoris recenſionem, Eccleſias Suburbicarias de aliqua Epiſcopi Romani diœceſi, &, ut Pontificii doctores tenent, ſpeciali exponunt. Omnes autem non conſentiunt de diœceſi, quæ Eccleſ. Suburbic. comprehendat. Cum enim tantum non omnes Pontificii doctores Epiſcopo Romano, præter Epiſcopatum tres ſpeciales diœceſes, nempe Metropoliticam, Primatianam & Patriarchalem tribuant, quas diverſa teneat ratione; ſcriptores huic parti addicti E. S. vel Patriarchalem, vel Primatianam, vel Metropoliticam Epiſcopi Romani diœceſin denotare tuentur. Per
11–20. Patriarchalem diœceſin eas definiunt *Jac. Sirmondus*, *Jo. Morinus*, *Henr. Valeſius*, *Eman. a Schelſtrate*, *Philippus Berterius*,
20, 21. *Jac. Gothofredus* & alii. Primatianam diœceſin Epiſcopi Ro-
22–27. mani E. S. appellat *Lud. Ellies du Pin*. Metropoliticam provinciam E. S. dicit *Claudius Salmaſius*, *Wilh. Beveregius*, *Wilh. Caveus*, *Joſephus Motta*, *Samuel Basnagius*, *Zegerus Bernardus van Eſpen*, *Juſtus Fontaninus* &c. Prout vero unusquisque Patriarchalem, Primatianam vel Metropol. diœceſin animo concipit; ita etiam ſigillatim Eccleſias Suburb. determinat. Sed noſtrum non patitur inſtitutum ſingulas diverſarum ſententiarum differentias h. l. exponere. Quare hoc tantum addimus; Autorem non ſolum diverſarum ſententiarum rationem copioſe expoſuiſſe; ſed & argumenta, quibus ſententiam ſuam quisque probare ſtudet, data opera recenſuiſſe. Hæc ipſa autem argumenta Sectione II ex momento ſuo ponderat, ubi in ſingulis ſententiis, Sect. I recenſitis, aliquid, rationibus additis,
30–55. reprehendit; & præcipue contra *Salmaſium* diſputat, cujus ſententia

tentia maximum hactenus, apud Reformatos præcipue doctores, conſecuta eſt applauſum. Cum enim *Salmaſius* intra Centeſimum ab urbe lapidem E. S. fuiſſe contendat; & tamen eas provinciam metropoliticam Epiſcopi Romani conſtituiſſe tueatur; Autor noſter exiſtimat, *Salmaſii* opinionem ſemetipſam evertere. Cum enim, ipſo etiam fatente *Salmaſio*, territorium Vrbis ad Centeſimum usque lapidem patuerit, his terminis rectius diœceſin Epiſcopalem ſtricte ſic dictam Papæ Romani circumſcribi contendit. Epiſcopalem enim diœceſin ſtricte ſic dictam, territorio urbis ſecundum Canonem 34 Apoſtolicum reſpondere debere. Πρῶτον ψεῦδος erroneæ *Salmaſii* ſententiæ eſſe exiſtimat, quod perperam teneat, oportere Epiſcopi alicujus metropoliticam provinciam neceſſario provinciæ alicui civili reſpondere. Quod tamen non neceſſarium p. 36, 37. eſſe contendit noſter, qui inter provinciam civilem atque eccleſiaſticam diſtinguit, & tenet, poſſe quidem evenire, ut provincia eccleſiaſtica reſpondeat civili, ſed non ſemper hoc uſu venire. Huic obſervationi innititur alia, quam ex Canone 4 & 6 Nicæno facit, diſtinctio inter metropolitas majoris & minoris dignationis, quam hac ipſa commentatione variis in locis urget. Nempe metropolitas majoris dignationis dicit illos, quibus plurium provinciarum civilium Epiſcopi paruere. Minoris autoritatis metropolitas appellat eos, qui in unius tantum provinciæ civilis Epiſcopos jurisdictionem habuere. Ad tertiam Sectionem progredimur. In illa Autor, quid ipſe de Eccleſiis Suburbicariis cenſeat, exponit. Videlicet Eccleſias ſuburbicarias pro provincia metropolitica præcipuæ dignationis habet, & ſtatuit; eas fuiſſe Eccleſias provinciarum, quæ Vrbis Vicario parebant, cum a Sardinia diſceſſeris, ſive ſecundum recentiorem Geographiam Eccleſiæ, quæ Sec. IV fuere, regni Neapolitani, Siciliæ, Corſicæ, Hetruriæ, Marchiæ Anconitanæ, Umbriæ, Sabinæ, Campaniæ Romanæ, Patrimonii Petri, atque Ducatus Caſtrenſis. Quam quidem ſententiam ut probet, principe loco indicia, quæ & Nicænus Canon & *Ruffiniana* interpretatio ſubminiſtrat ad Eccleſiarum Suburbicariarum ambitum detegendum proponit; tum Eccleſias, quas pro Suburbicariis habet,

Diſſ. II. p. 11.

7—10.

hæc criteria habere dedita opera demonſtrat. Quod dum facit præter alia etiam probat extra fines novem provinciarum, quæ Urbis Vicario parebant, Epiſcopum Romanum nulla metropolitæ privilegia habuiſſe, & eo conſilio limites provinciarum metropoliticarum, quæ præter Romanam Sec. IV in Italia erant,
p. 11-23. Mediolanenſis, Aquilejenſis, Caralitanæ, ex inſtituto inveſtigat. Sectione IV atque ultima Autor in momentum controverſiæ de Eccleſiis Suburbicariis inquirit. Exiſtimat Eccleſiarum Suburb. definitionem multum conferre, ut non ſolum demonſtretur Seculo IV Epiſcopum Romanum nondum fuiſſe univerſæ Eccleſiæ Monarcham, verum etiam ut explicate oſtendatur, qualis fuerit, & quam late patuerit diœceſis, quam ſeculo quarto ſolam
33-36. tenuit Epiſcopus Romanus. Exquo enim ex Canone ſexto Nicæno probavit; 1) æqualem cum Epiſcopo Romano quoad omnia poteſtatem concedi Epiſcopo Alexandrino 2) omnes metropolitas ætate Concilii Nicæni fuiſſe αὐτοκεφάλους; concludit; quod Eccleſiis ſuburbicariis, ſupra ab ipſo definitis, & Epi-
37. ſcopali diœceſi ſtricte ſic dicta, omnis Epiſcopi Romani jurisdictio & poteſtas circumſcripta fuerit ac finita.

## *CHRISTIANI AUGUSTI SALIG, DE DIptychis veterum, tam profanis, quam ſacris, liber, variis ex omni antiquitate, præſertim Eccleſiaſtica, obſervationibus illuſtratus.*

**Halæ, in officina Rengeriana, 1731, 4.**
**Alph. 2 pl. 10.**

Etſi jam multi de diptychis veteris Eccleſiæ ſcripſerunt, Noſter tamen, haud tenue relictum eſſe ſpicilegium ſentiens, idque potiſſimum animadvertens, ſuperiores ſcriptores, ex diptychis multas derivatas eſſe ſuperſtitiones, non obſervaſſe, ſingularem eumque grandiorem librum de iis componere induxit in animum. Definit autem *diptycha* hoc modo. *Erant tabulæ publicæ, inter Miſſarum ſolennia prælectæ, continebantque nomina offerentium, magiſtratuum ſuperiorum, & clericorum ſuperioris ordinis, una communione fruentium, Sanctorum*

Digitized by Google

*rum item, Martyrum, & Confeſſorum, ac denique orthodoxa in fide mortuorum.* Jam *Cap. I* de diptychis, (quorum nomen initio explicat,) generatim agens, priſcis Romanis diptycha fuiſſe obſervat pugillares, quibus inſcribere res domeſticas ſolebant; ſequenti tempore ludorum & munerum editores, e.g. Conſules, inter alia dona etiam diptycha eburnea & aurea amicis diſtribuiſſe. Conſularium horum diptychorum nonnulla durarunt ad noſtram ætatem, eximia profecto antiquitatis monumenta. Excellit inter ea illud, quod hodie ſervat templum quoddam Leodienſe, ac exſtat Jeſuitæ cujusdam, *Alexandri Wilthemii*, ſingularis hujus diptychi deſcriptio. Sunt autem tabulæ geminæ eburneæ, aſſeri ligneo junctim affixæ, elegantiſſimeque ſculptæ, quas dono dedit Anaſtaſius, ſexti Imperator ſeculi. Cl. Autor non ſolum oratione perſpicua eas hic deſcripſit, ſed æri quoque incidendas curavit: qui & ea deſcribit diptycha, quæ apud Bituriges, Compendii, alibique locorum ſuperſunt. *Cap. II* originem inveſtigaturus diptychorum eccleſiaſticorum, quatuor ea in claſſes deſcribit. Aliis enim baptizatorum, aliis vivorum vel offerentium vel regum vel epiſcoporum, aliis ſanctorum & martyrum, aliis denique pie mortuorum inſcripta erant nomina. Diptycha baptizatorum, qui quaſi cives matriculæ Chriſtianorum inſerebantur, originem ſuam debere putat faſtis ethnicorum civilibus, quibus inſcribi conſueviſſe conſtat novorum nomina civium. Titulus *libri vitæ* iſtis diptychis tribui ſolitus eſt: de quo pluribus agit Noſter non tam hiſtorice, quam theologice: reliqua quoque diptychorum genera ex innoxiis ethnicorum ritibus orta fuiſſe arbitratus. *Cap. III* exhibet diptychon ſacrum Leodienſe, in quo cum primus locus tributus ſit offerentibus, hoc eſt, iis, qui panem & vinum ad ſacræ ſynaxeos myſterium afferebant tum pro ſe, tum in uſum communem; occaſionem hanc arripit Cl. Autor, hiſtoriam harum oblationum deſcribendi uberius, &, ut ipſe *p. 61* fatetur, juſto copioſius. Nos tamen facile credimus, digreſſionem hanc doctiſſimam haud ingratam fore lectoribus. *Cap. IV* e diverticulo regreſſus in viam, diptycha offerentium nominibus conſpicua conſiderat, omnia hujus argumenti loca producens, quæ reperi-

re

Digitized by Google

re potuit in ſcriptoribus ſcriptisque eccleſiaſticis, ſimulque docens, offerentium nomina publice recitata fuiſſe a Diacono quopiam. Etiam hic jucundam deprehendimus digreſſionem de Miſſa Mozarabica. *Cap. V* morem, Imperatorum ac Regum nomina e diptychis publice in Eccleſia recitandi, pro iisque Deum deprecandi, exponit & illuſtrat, itemque conſuetudinem, patronos nominandi publicis in precibus. *Cap. VI* agit de illo more, quo Pontificum, Patriarcharum, Epiſcoporum, & Presbyterorum nomina diptychis inſcribebantur, & inde pro concione ſacra prælegebantur. Inter alia memorat, Gregorium VII decreviſſe, ut ſolius Papæ nomen recitetur in Eccleſiis; Metropolitarum nomina in diptychis ſubjectarum ſuæ ditioni Eccleſiarum ſcripta fuiſſe; Epiſcopos vicinos ſua mutuo nomina inſcripſiſſe Eccleſiæ ſuæ diptychis. *Cap. VII* perſequitur morem, ſanctorum nomina e diptychis religioſe recitandi, & *Cap. VIII* docet, id honoris habitum potiſſimum fuiſſe Chriſti matri & Apoſtolis. *Cap. IX* manifeſtum facit, etiam Martyrum atque Confeſſorum nomina e diptychis recitata fuiſſe. Qua occaſione excurſum facit de martyrio: cui aliam adjungit digreſſionem, qua totum Caput ſubſequens implet, de variis honoribus, qui Martyribus, itemque Confeſſoribus, tribuebantur in vetere Eccleſia. Hinc demum *Cap. XI* de recitatione nominum Martyrum publica agit ex monumentis fide dignis. *Capite* vero *XII* docet, hunc nomina ſanctorum e diptychis recitandi morem genuiſſe invocationem ſanctorum, ac ſimul ceteras cauſas hujus ſuperſtitionis commemorat duce hiſtoria eccleſiaſtica. *Cap. XIII* Martyrologiorum & eccleſiaſticorum Calendariorum originem deducit e diptychis, perdoctam ſimul faciens digreſſionem de priſcis Martyrologiis, in qua plures refellit fabulas, quodque de Hieronymiano Martyrologio traditur, in dubium vocat. Perſequitur vero eandem materiam *Cap. XIV*, vetera non ſolum, ſed & recentiora commemorans ſub cenſuramque vocans Martyrologia & Hagiologia. *Cap. XV* docet, virginum quoque & continentium nomina in diptychis fuiſſe: qua occaſione longam doctamque diſſertationem exhibet de honore virginitatis in priſca Eccleſia, deque illis virginibus,

Digitized by Google

bus, quæ *ſyniſacta* vocabantur. *Cap. XVI* de more diſſerit Concilia quoque inſerendi diptychis: quod quidem ſub Juſtino demum Imperatore fieri cœpiſſe demonſtrat. *Cap. XVII* mortuorum nomina exhibet in diptychis. Ubi agens de veterum Chriſtianorum oblationibus pro mortuis accurate pariter & copioſe, oſtendit, eas non patrocinari per ſe Miſſæ Pontificiorum. Miſſam tamen hanc inde tandem profluxiſſe, dilucide probat *Cap. XVIII*. *Cap. XIX* necrologiorum originem ad diptycha refert, de iisque profert cognitu digniora. *Cap. XX* agit de expunctione nominum e diptychis, ſingulari ſtudio perſequens hiſtoriam deletionis nominis Chryſoſtomi. Inquirit etiam, quo tempore deſierit horum diptychorum uſus, commemoratisque diptychorum & in noſtra & in Pontificia Eccleſia reliquiis operi huic magno labore contexto finem imponit.

## *JO. ALBERTI FABRICII, S. S. THEOL. D. & Prof. Publ. in Gymn. Hamburg. Salutaris Lux Evangelii toti orbi per divinam gratiam exoriens &c.*

Hamburgi, ſumtibus viduæ Felgineriæ, 1731, 4.
Alph. 5½.

ARduum ſane religionis Chriſtianæ argumentum eſt, quod Summe Reverendus Autor hoc opere perſequitur: Deum ter optimum terque maximum pro immenſa ſua miſericordia ac bonitate, ſeria animi intentione id curaſſe ſemper, ut Lux Evangelii toti orbi habitabili illuceret, & media gratiæ, quibus ad ſalutem æternam pervenire poſſent, omnibus ſuppeditaſſe. Palam omnino eſt, non deeſſe, qui id negent, & contrarium pro virili ſua defendere ſtudeant; hi autem hoc potiſſimum argumento doctrinam noſtram oppugnant: *deeſſe quæ ſuppetant executionis teſtimonia*, contrarium in Americanis præſertim illucere. Hinc qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam Novi Teſtamenti ex noſtratibus ſcripſerunt, & commentarios de rebus in Republica ſacra geſtis integros omniique rerum ſcitu neceſſariarum

P appa-

Digitized by Google

apparatu inſtructos reliquerunt, peculiare de propagatione Evangelii per omnia ſecula caput conſtituerunt; quo nomine Centuriatores Magdeburgenſes hiſtoriam quam nobis dederunt Eccleſiaſticam præ ceteris commendarunt. Attamen hactenus, quantum nobis conſtat, nondum exſtitit, qui peculiari literarum monumento argumentum hoc a natalibus Chriſti ad noſtram usque ætatem per omnia temporum intervalla, tanto ſtudio tantaque doctrina ſit perſecutus, quam id præſtitit Clariſſ. Autor *notitiæ hujus Hiſtorico-Chronologicæ, literariæ & Geographicæ propagatorum per orbem totum Chriſtianorum Sacrorum.* Quo ordine uſus ſit, capitibus L, quibus hiſtoriam omnem complexus eſt, ſagax rerum hic tractatarum lector ſatis perſpiciet. Scilicet initium fit ab *Eccleſia* per tria priora ſecula *plantanda. Fundamenti* loco propagatæ per totum orbem lucis Evangelicæ, ponuntur *Cap. I* vaticinia, præcepta & teſtimonia ex ſacris literis petita, quæ hic non nude & crude allegantur, ſed enarratione ſolida quandoque ſingulari colluſtrantur, e. gr. p. 44, ubi per creaturas omnes *Marc. XVI v. 15*, gentiles intelligi animadvertitur, cujusmodi exegetica plura Codex noſter paſſim nobis ſuppeditat. *Teſtimoniis* divinis *Cap. II* ſubjiciuntur humana, Judæorum pariter & ethnicorum, de prædicatione Evangelii & ejus ſucceſſu, examine hic ſolido diſcuſſa, quæ inter talia dantur quæ nos certiores faciunt ſatis, & conſcientiam convincunt. Sequuntur *Cap. III* & *IV* illi qui converſi ſunt ab Apoſtolis & illorum diſcipulis, id quod ex Evangeliſtis & Actis Apoſtolorum dextre demonſtratur, quibus divinorum ſcriptorum pandectis maxima lux hac occaſione affunditur. *Judæi* primum hujus beneficii locum obtinuerunt, qui cum a multis poſt converſionem Nazaræni ſint dicti ab ipſo Servatore noſtro, hinc de Jeſu, cur Nazarænus dictus ſit pag. 48 erudite diſſeritur. A Judæis autem Evangelii contemptoribus progreſſi ſunt Apoſtoli ad gentiles, miniſterio potiſſimum divi Pauli, cujus itinera pag. 57 curate recenſentur: inter converſos cum & Helleniſtæ numerentur, eruditorum de iis ſententias hic collectas habes. Hinc *Cap. V* labor ipſe Miniſtrorum Dei, quo Evangelium propagatum eſt, illiusque ſucceſſus deſcribitur, & notitia Alphabetica Eccleſiarum

rum

rum ab Apoſtolis plantatarum ex ipſis Apoſtolicis ſcriptis demonſtratur. Narrationi huic adduntur Commentarii in Acta Apoſtolorum, ut & ſcriptores de vitis illorum præſertim Pauli, nec non de ſymbolo Apoſtolico p. 52 de martyriis horum Dei virorum p. 93; excutitur etiam quæſtio: num & quamdiu Petrus fuerit Romæ, & qui de ea egerunt p. 95. item quinam fuerint Chriſtiani S. Johannis p. 110 ſeq. ubi locus difficilis *Act. XIX v. 3.* collatis præſtantiſſimis commentatoribus, explicatur p. 118. Sequuntur *Cap. VI, VII & VIII, remoræ & impedimenta* propagandi Evangelii, maxima quidem, ſed auxilio Dei dextre ſuperata. *Judæi* quippe & Samaritani proſcindebant quidem nomen Chriſti calumniis peſſimis, illi præſertim, ut cultum Leviticum & ſplendorem templi Hieroſolymitani tuerentur, ſed fruſtraneo ſane conatu. Quantopere enim verpi allaborarint prædictionem Salvatoris noſtri de everſione templi irritam reddere, & ex ruderibus ædificium iſtud ſplendidum reſuſcitare, p. 123 ſq. pluribus refertur: atquenon ſolum ſcriptoribus Chriſti ſacra profitentibus, Chryſoſtomo & aliis, ſed etiam *Ammiano Marcellino* ceteriſque gentilibus, imo Judæis ipſis, miracula Dei, quibus vindictam ſuam in Judæos, ſedem Levitici cultus inſtaurare molientes, demonſtravit, ſolide probantur. Gentiles pariter omnem moverunt lapidem ut curſum Evangelii impedirent, perſecutionibus ſane horrendis, per annos fere trecentos, quæ hic ordine & curate recenſentur; ubi ſimul *Dodwelli* ſententia de paucitate martyrum examini ſubjicitur, p. 137 & quid de nummo caput Domitiani laureatum referente ſtatuendum ſit, diſquiritur pag. 136. Verum enim vero nec ethnicorum perſecutiones propagationi Evangelii obfuiſſe, potius profuiſſe, cum Eccleſia ſanguine ſuo irrigata creverit, egregie docetur ex *Lactantio* aliiſque martyrologiis ac ſcriptis Patrum apologeticis, quibus innocentia Chriſtianorum, ac ſi urbem Romam incendiſſent, aliorumque ſcelerum auctores extitiſſent, ſatis vindicata eſt p. 130 ſeqq. Cumque non armis ſolum ſed etiam Philoſophorum ſophiſmatibus Chriſtianiſmus oppugnaretur, merito *Cap. VIII* laudibus evehitur maximis divina providentia, quod inter tot remoras, quas Eccleſia etiam ab hæreticis paſſa eſt, nihilominus

P 2 lux

Digitized by Google

lux Evangelii latius ſparſa ſit. Qua occaſione de hæreſiarchis primitivæ Eccleſiæ, præſertim iis qui arduam de Jeſu Chriſto doctrinam adulterari ſtudebant; deque *Celſo, Luciano, Theoſthene, Porphyrio* & reliquis nominis Chriſtiani hoſtibus, nec non quinam ex Patribus eos confutarint, pro rei dignitate diſſeritur. Commode hinc *Cap. IX* conſiderantur *Viri*, qui doctrinam Evangelii ſcriptis æque ac catechiſationibus & concionibus propagarunt; gloriaque præconum horum fidelium, præſertim miracula Apoſtolorum & Salvatoris noſtri ipſius contra nuperas *Anton. Colini* & *Thomæ Woolſtoni* calumnias, vindicatur p. 171 ſeq. Commendatur hinc *Cap. X* & *XI* morum Chriſtianorum ſanctitas, conſtans rebus in adverſis animus, & obedientia erga ſuperiores, quibus nunquam vi reſtiterint, nec non liberalitas in pauperes; licet enim Chriſtiani divites neminem, uti *Hobbeſius* calumniatur, ad ſacra ſua vinculis hiſce attraxerint, tamen vitam illorum Evangelio dignam, maximo Eccleſiæ propagandæ emolumento fuiſſe. Id quod *Cap. XII* ulterius demonſtratur exemplo Imperatorum gentilium qui Chriſtianis faverunt, quorum nomina, facta & ſtudium in Eccleſiam hic offendimus; ſicuti etiam examen inſtituitur prodigii a legione, uti vocatur, fulminatrice perpetrati p. 228, & quæſtionis de Philippo Arabe, an Chriſti ſacra reapſe amplexus ſit, p. 240. Habes hic, B. L, delineationem hiſtoriæ, qua ratione tribus prioribus Eccleſiæ ſeculis lux Evangelii toti orbi exorta ſit. Comparuit autem hinc lætiori Eccleſia facie, cum Conſtantinus M. primus omnium Imperatorum Chriſtianorum Evangelium propagare auſpicaretur, ſucceſſitque ei ſtudium, ut vox hæc tam læta annuncians occuparit Britanniam, meridiem, Indos adeo extremos, uti capite hoc edocemur, quod & ſequens *Cap. XIII* doctiſſimis abundat diſſertationibus de rebus a Conſtantino M. geſtis, de ejus Chriſtianiſmo, de origine Epiſcopatuum p. 284 de poteſtate circa ſacra, quam ſibi Conſtantinus aſſeruit, de convocatione Concilii Nicæni Sylveſtro recte denegata p. 287 de legibus ejus pro Chriſtianiſmo latis & a ſucceſſoribus illius confirmatis, utpote de multiplicandis ſacrorum voluminum exemplaribus p. 274, de coercenda Judæorum petulantia, præſertim eorum, qui mœnia Hieroſolymorum

rum inſtaurare auderent, quod carne ſuilla ſint paſcendi p. 282 de immunitatibus Miniſtrorum Eccleſiæ, & conficta Sylveſtri donatione p. 293. *Cap. XV ſeqq.* inveſtigantur loca, quæ & quorum miniſterio lux Evangelii fulgore ſuo penetravit, atque illuminavit; & quidem in Italia, Sicilia, Sardinia; in Hiſpania & Luſitania; in Galliis, in Anglia, in Scotia, in Hibernia inſulisque adjacentibus. *Cap. XIX* progreſſus inſtituitur in Germaniam, & ἀκριβῶς inquiritur, quo tempore ante & poſt Carolum M. lux Evangelii Germanis orta ſit, per ſingula loca, adhibita in teſtimonium veritatis veteri Franco-Saxonum fidei Chriſtianæ confeſſione. Idem ſtudium impenditur *Cap. XX* inveſtigandis Chriſtianismi natalibus in Helvetia & Belgio; *Cap. XXI* in Hungaria, Bohemia, Transſylvania, Scythia, apud Gothos, Herulos, Dacos, Beſſos; *Cap. XXII* in Dania, Norwegia, Svecia, Livonia, Finnia, Lapponia; *Cap. XXIII* in Moſcovia & Bulgaria. Quæ omnia dum inveſtigantur, debita adhibetur cura & cautio, ut traditiones incertæ a certa rerum geſtarum memoria ſegregentur p. 471, neque dignus ad modernum harum eccleſiarum ſtatum reſpectus negligitur p. 477 ſeq. Progreditur hinc Clariſſ. Autor ad *obſtacula & impedimenta* propagatæ ulterius Evangelii lucis, nobis ante oculos ponenda. Præmittitur *Cap. XXIV*, parænesis ex *Apoc. II v. 5*, de candelabro removendo petita, quam exegeſi & verborum genuina ſignificatione, & legitimo phraſeos uſu, ipſoque rerum eventu fundatam confirmat, conſulens pro conſuetudine ſua præſtantiſſimos de hoc argumento ſcriptores, locique hujus interpretes. Primo autem loco ſiſtitur Mohamedanismus, de cujus ortu, progreſſu & mediis ad eum promovendum adhibitis, *Cap. XXV* certiores reddimur. Ad mediorum itaque conſiderationem ductus Clariſſ. Autor ſpuria a legitimis probe diſtinguit, & *Cap. XXVI* ſolide demonſtrat, violentiam & perſecutiones medium eſſe propagandæ religionis, Chriſtianis omnino indignum & ineptum; id quod etiam gentilium, Judæorum & Mohamedanorum teſtimoniis confirmatur: additur tamen hæc prudentiæ cautela, ne everſoribus veræ religionis, & tranquillitatis publicæ turbatoribus licentia quam ſibi arrogarunt linquatur, nec Magiſtratus autoritas ſacra Chriſti ve-

ra in ditionibus ſuis defendendi debilitetur, aut plane illi dematur, p. 507 ſeq. Hinc *Cap. XXVII* commendantur genuina plantandæ & propagandæ religionis veræ remedia, ſolida nempe & conſtans fides ac doctrina, exemplum & patientia, quibus ſolis in Chriſtiana fide prædicanda uſi ſint Apoſtoli, eorumque primi ſucceſſores Chriſtiani. Sequuntur *Cap. XXIIX* alia & ejusmodi quidem, de quibus Sum. Rev. Autor ſtatuit, quod ſint excuſanda magis quam per omnem modum defendenda, quibus interdum uſi ſint interjecto tempore Reges quidam ac Principes. Huc referatur Pontificum Romanorum induſtria Chriſtianismi latius propagandi atque Paganismi extinguendi, quam ex *Phil. I, 8*, excuſari porro legimus, & quidem emolumento quod caſu inde redundavit in Rempublicam literariam æquè ac ſacram, cujus verſiones S. literarum orientales documento ſint p. 737. Notantur porro *Cap. XXIX*, alia non genuina remedia, quando nempe Chriſtianismus propagatur per connubia & ſpem gloriæ, opum & potentiæ, id quod Regum quorundam exemplo colluſtratur. Illorum claſſi adſcribitur etiam diſciplina arcani, uti antiquis dicebatur, de qua p. 517 legi meretur & Helſetica diſſimulatio. In remediis ſpuriis collocantur etiam *Cap. XXX ſeq.* expeditiones cruciatæ in Palæſtinam, Saracenis eripiendam ſuſceptæ, quod hiſtoriæ argumentum ex inſtituto & erudite Cl. Autor perſequitur, & exquirens originem ordinum Equeſtrium, ſeculo undecimo eam vindicat. p. 512. Ea occaſione de Ludovico S. Rege Galliæ edocemur, primum fuiſſe, quem *ſolennibus* ceremoniis inter ſanctos relatum eſſe conſtet p. 525. Inter media propagandi Chriſtianismi referuntur porro miſſiones religionis cauſa inſtitutæ, quas autem non unius commatis eſſe, ipſa rerum geſtarum narratione perſpicua hic erudimur. Primo loco comparent & quidem *Cap. XXXII ſeq.* miſſiones religioſæ Jeſuitarum, maxime Franciſcanorum & Dominicanorum, nec præteritur quo ſtudio & quibus adminiculis ſuſceptæ atque geſtæ ſint; item quomodo hinc originem traxerit Congregatio R. de propaganda fide, & Congregatio S. Officii ſeu Tribunalis univerſalis inquiſitionis, ſubjectis qui de hoc argumento egerunt ſcriptoribus. Tranſitus hinc fit *Cap. XXXV* ad contemplationem

miſſio-

miſſionum religioſarum a Proteſtàntibus inſtitutarum, ubi ſumma diligentia & docte Anglorum, Batavorum, Danorum & Suecorum ſacra Chriſti promovendi ſtudium nobis repræſentatur. Poſtquam rerum geſtarum nexus Clariſſ. Autorem eo perduxit, hiſtoriam hanc a repurgata miniſterio *Lutheri* Eccleſia, ad noſtra usque tempora continuat. Hinc Aſiam primum perluſtrans enarrat *Cap. XXXVI ſq.* quomodo & quorum miniſterio lux Evangelii orta ſit in India Orientali, in Perſia, in Armenia, in China, in Japonia & Siam. Depræhenditur hic inter alia notatu digniſſima diſquiſitio de cultu Confucii & orta inde Jeſuitas inter ac Dominicanos contentione, additi ſunt autores qui alterutri parti ſcriptis patrocinati ſunt, p. 665 ſeq. *Cap. XLI* continuatur hiſtoria hæc Aſiatica, & commemoratur ſucceſſus religionis in regno Tartariæ & vicino Presbyteri Johannis, ubi controverſia inter Geographos de ſitu hujus regni p. 690 inſeritur; tandem quomodo inſulas lux Evangelii non præterierit, ſubjicitur. Sequitur *Cap. XLIII* Africæ contemplatio, qua docemur, quomodo Evangelium annunciatum ſit Abyſſinis, de quorum Chriſtianismo moderno ſingularia ex Gregorio quodam afferuntur p. 717, nec non Ægyptiis & aliis Africæ incolis ac regionibus. Tranſitus tandem inſtituitur *Cap. XLVII ſeq.* ad Americanos, de quorum converſione memoratu digniora arbitramur, quæ B. *Dannhauerus* nobis ſuppeditavit teſtimonia ex *Æliani* hiſtoria & *Senecæ* Tragici Medea; iis enim convincimur horum ſcriptorum ætate hanc orbis partem non fuiſſe incognitam pag. 757. Hinc porro non immerito colligitur etiam Apoſtolos illuc penetraſſe, id quod mandato Chriſti *Matth. XXVIII, Marc. XVI,* & promiſſo Patris ipſius *Pſ. II,* & ipſorum Apoſtolorum teſtimonio *Col. I v. 23*, recte accepto, p. 763 probatur, ſimulque adverſariorum ſtrophæ in *Witſio* p. 765 decenter notantur. Quo autem ſtatu Chriſtianismus ſit moderno tempore tam in ſeptentrionali quam Meridionali India *Cap. XLVIII ſeq.* pluribus disquiritur. Cumque nihil magis in votis habet qui Chriſtum vere diligit, quam ut veræ fidei propagatio in infidelibus continuetur, Sum. Rev. Autor *Cap. L* non celavit, ſe credere futurum adhuc, ut quæ etiamnum tenebris obſitæ ſunt regiones, ſalutari Evangelii

Digitized by Google

gelii luce illuſtrentur; & ceteræ oves etiam, quas ſe habere jam pridem profeſſus eſt Salvator *Joh. X v. 17*, quæque ex illis adhuc ſunt reliquæ adducantur ad Chriſti ovile, totusque Iſrael ita ſalvetur. *Rom. XI v. 25*. Sicuti autem controverſiam, ad quam hic reſpicitur, Theologorum foro dijudicandam relinquimus, ita certo cum Viro doctiſſimo ſperamus, Eccleſiam Chriſti contra portas inferorum firmiter ſubſtituram usque ad ſeculorum conſummationem. Promiſſum enim Chriſti *Matth. XVI v. 17*, tanti eſt momenti, ut meruerit enarrationem tam ſolidam & eruditam, quam nobis ex fontibus, nec non Chryſoſtomo & aliis commentationibus raris ſuppeditavit. Coronidis loco exhibetur Index Geographicus Epiſcopatuum orbis Chriſtiani cum notitia ſcriptorum, quippe qua liber, ubicunque argumentum notatu dignum occurrit, abundat.

## REFUTATION DES ERREURS DE BENOIT de SPINOSA &c.

hoc eſt,

## *REFUTATIO ERRORUM SPINOZÆ, AUtoribus FENELONIO, Archiepiſcopo Cameracenſi, LAMIO, Benedictino, & Comite BOULLAINVILLIERIO. Accedit Vita SPINOZÆ, ſcripta a JO. COLERO, & nunc aucta.*

Bruxellis, apud Franc. Foppens, 1731, 12.
Alph. 1 pl. 5.

INverſo exhibentur, quæ hoc volumine continentur, ordine. Primum enim locum tenet *Coleriana Vita Spinozæ*, quæ adaucta eſſe dicitur ex MS. Vita ejus, ab ipſius amico quodam literis mandata. Sequitur *Boullainvillierii*, ſi modo verus hic eſt Autor, *Refutatio Spinozæ*, 320 implens paginas: quæ tantum abeſt, ut ſit refutatio *Spinozæ*, (qui vix ſemel in toto hoc opere nominatur, idque cum laude,) ut potius ſit acerrima *Spinozismi* propugnatio. Conſtat ea Partibus duabus, quarum in priore, quam Autor inſcripſit *de ente in genere & in ſpecie*, poſtquam argumenta attuliſſet ad probandum, ſe exiſtere, & exiſtere quoque

que res alias, quarum quædam ratione, aliæ ſenſu præditæ ſint, aliæ utroque careant; docet, exiſtere præterea ens aliquod abſolutum ac neceſſarium, quod ſemper exiſtat, cum cetera entia poſt aliquod tempus pereant, & ita quidem pereant, ut exigua mutatione unum fiat materia alterius. Ens illud neceſſarium ait exiſtere in ſe ac per ſe; entia non neceſſaria exiſtere in alio ac per aliud, adeoque exiſtentia propria carere. Neceſſarium hoc ens appellat *ſubſtantiam;* entia nonneceſſaria ſubjectiva, quæ vulgo etiam nominantur ſubſtantiæ, vocat *modos;* entia denique, quæ in his poſterioribus inſunt inſeparabiliter, (e. g. figuram, colorem,) vocat *accidentia.* Se ipſum profitetur eſſe *ens modificatum* ſive *modificationem aliquam entis illius neceſſarii.* Docet porro, ens neceſſarium nec eſſe ſolam extenſionem nec ſolam cogitationem, ſed utrumque; unam duntaxat exiſtere poſſe ſubſtantiam, nec fieri poſſe, ut plures una exiſtant ſubſtantiæ diverſa habentes attributa; unam illam ſubſtantiam eſſe infinitam, hoc eſt, in immenſum extendi, eſſe independentem, eſſe indiviſibilem, hoc eſt, non conſtare ex pluribus ſubſtantiis, eſſe æternam, eſſe denique cogitantem ſimul & extenſam; hanc ſubſtantiam non poſſe dici *perſonam;* eam non eſſe ens in agendo liberum, ſed determinatiſſimum. Ex quo negat, Deum (hoc eſt, ens illud neceſſarium) aliquando creaſſe aliquid extenſum, cum ipſe eſſet inextenſus. Imo negat, Deum eſſe ens ab aliis entibus diverſum: ideoque creationem ſtatuit eſſe impoſſibilem & involvere contradictionem. Diſerte ait, Deum & univerſitatem rerum eſſe unum idemque, & in maximo errore verſari eos, qui credant, Deum remunerari alios homines, alios punire. Deum in agendo ſequi certos fines, adeo negat, ut etiam contendat, Deum prorſus carere voluntate. Omnes revelationes divinas, quæ feruntur, carere judicat fundamento, recteque dixiſſe *Auguſtinum: Non crederem Scripturæ, niſi id mihi præciperet Eccleſia.* Docet denique, hominem non mori totum, ſed magnam ejus partem relinqui, ita tamen, ut homo poſt mortem nulla gaudeat ſui cognitione: atque adeo abſurdiſſime ſentire illos, qui ſtatuant, fore poſt hanc mortem vitam æternam. Ecce quantum peſſimus hic medi-

Q cus

Digitized by Google

cus venenum pro medicamento propinet ſuis lectoribus! Nec melioris notæ eſt altera libri Pars, quam inſcripſit *de paſſionibus*. Initio enim ſtatim docet, errare capitaliter, qui credant, animam hominis eſſe ens ab humano corpore diſtinctum, eamque movere corpus ſuum & ſua voluntate determinare actiones hominis. Negat igitur, hominem eſſe cauſam ſuarum actionum, hasque omnes ſtatuit eſſe neceſſarias ac fatales. Statuit quoque, omnes religiones eſſe inventa callidorum Principum, regnareque in omnibus totius mundi religionibus meram credulitatem, ſola religione Confuciana excepta, quæ nulla nitens revelatione, nullis miraculis, tantummodo naturæ officia habeat pro fundamento. Totius denique ſecundæ hujus Partis ſcopus eſt, perſuadere lectoribus, affectus humanos omnes eſſe mere mechanicos. Sufficiat, hæc excerpſiſſe ex hoc opere, ut appareat, quantopere cum ratione inſaniat Autor, quamque nefario id emiſſum voluerit conſilio. Idem, cum *p. 321—377* exhibuit ex *Franciſci Lamii Refutatione Syſtematis Spinozæ*, A. 1696 edita, primo Compendium methodicum ſententiarum *Spinozæ*, deinde ſimile Compendium Refutationis *Lamianæ*, haud dubie putavit, ex brevibus his tabulis cognoſci poſſe, quam ſcienter connexa ſint principia *Spinozæ*, quam contra infirma tradat *Lamius*. Nec alio fine *p. 376—386* exhibuit *Fenelonii* epiſtolæ Anti-Spinozianæ ſynopſin. Quod vero *p. 387—483* annexum eſt *Iſaaci Orobii*, Judæi, *certamen philoſophicum adverſus Jo. Bredenburgium Spinoziſtam*, (de quo libro *Balius* agit in *Diction.* v. *Spinoza* not. H,) ejus nulla fit in titulo hujus voluminis mentio: ut facile credamus, Editori inter editionem ceterorum demum in mentem veniſſe, adjicere hunc libellum, ut ſcilicet lectores judicent, miſeram eſſe illam Spinoziſmi refutationem & Judaico dignam ingenio.

*BENEDICTI ACCOLTI DE BELLO A Chriſtianis contra barbaros geſto pro Chriſti ſepulchro & Judæa recuperandis Libri IV.* THOMAS DEM-

Digitized by Google

*DEMPSTERUS notis illuſtravit, nunc denuo emaculatius recudendos curavit HENRICUS HOFSNIDER.*

Groningæ, typis Jac. Sipkes, 1731, 8.
Alph. 1 pl. 9½.

PErbene mereri de Rep. literaria jure cenſentur, qui libros bonos ob ſummam ſui raritatem pene inutiles factos e tenebris in lucem, atque ſcenam literariam revocant. Cum igitur hic liber Ampliſſimo Editori, Senatori Reip. Groningenſis, ita præſtans videretur, ut, ſi eloquentiam ſpectes, *Latine qui ſcripſerit vel terſius vel ſuavius, inde a renatis literis reperiatur nemo;* ſin argumentum ipſum, *miram id ubertatem & dignitatem & utilitatem habeat;* ſimul vero perpaucorum eruditorum conſpectum ſubierit; ſtrenue ſe accinxit ad operam hanc literatæ Reip. navandam. Cum vero editio ultima, quæ A.1623 Florentiæ prodiit, (nam antea bis editum hoc opus fuit, Venetiis A. 1532 & Baſileæ A. 1544.) eſſet innumeris iisque fœdisſimis mendis conſpurcata, Noſter ſtudioſe mendas typographicas ſuſtulit, ſimulque Notis *Dempſteri* adjecit laudatorum ab ipſo autorum libros, capita, verſusque magno legentium commodo: imo & Indicem Notis pariter ac textui accommodatum, eumque valde locupletem, ſubjunxit. Præmiſit Vitam & *Accolti* & *Dempſteri*: & hanc quidem ex *Pinacotheca Erythræi;* ubi tamen cum in Nota mortuus eſſe dicitur *Dempſterus anno ætatis CV*, ſcribendum videtur *LV*. Ex illa diſcimus, *Accoltum* noſtrum, cujus & *Dialogus de præſtantia virorum ſui ævi* extat, a nobis recenſitus *A. 1690 p. 510 ſeqq.* natum eſſe A.1415, mortuum A.1466, ac fuiſſe ſupremum Reip. Florentinæ Secretarium. Monet quoque Ampliſſ. Editor, erraſſe eos, qui tribuerunt hoc *de bello ſacro* opus nepoti Autoris ſui cognomini, quem Clemens VII cooptavit in Cardinalium collegium. Præmiſſa quoque eſt Præfatio *Dempſteri*, in qua is de antiquioribus omnibus belli illius ſacri ſcriptoribus ſuum profert judicium, in Notis ſuis nihil agens aliud, quam ut ex iis ſcriptoribus illuſtret narrationes *Accolti*. Hic & *p. 181, 215* & *314* obſervat, quod *Accoltus* noſter

ſter *Wilhelmum Tyrium unum videatur ſibi ſequendum propoſuiſſe.* Denique ſingulis *Accolti* libris præmiſſa eſt σύνοψις metrica, confecta a *Georgio Conæo*, Scoto, de cujus ceteris ſcriptis *Allatius* exponit in *Apibus Urbanis.* Habetis igitur, Lectores, quorumvis uſui rurſus expoſitam *Accolti Hiſtoriam belli ſacri*, quam ab ipſo initio produxit ad mortem usque Godofredi regis: paucis quoque ſubnectens hiſtoriam reliquorum Hieroſolymæ Regum omnium. Ceterum cum & Editori & lectoribus ceteris haud ingratum facturi videamur, ſi eas, quas nobis deprehendere licuit, mendas e tam pulchro corpore tollamus, hic eas indicare voluimus, debuimus. Legas igitur, quæſo, p. 18 lin. 3 *dictu*, p. 21 l. 16 *inventa*, p. 43 l. 6 *comparet*, p. 46 l. ult. *urbi*, p. 50 l. 15 *redditurum*, p. 57 l. 12 *legi*, p. 58 l. 1 *profitebantur*, l. 11 *formidabilem*, p. 60 lin. penult. *nec*, p. 61 l. 7 *inexplebile*, p. 63 l. 17 *oppetere*, p. 91 l. penult. *in urbem*, p. 110 l. 6 *uti*, p. 117 l. 2 *Vobis*, p. 124 l. 16 *latera*, p. 140 l. 13 *ſerum*, p. 141 l. 3 *ne adeſſet*, p. 148 l. 10 *diſceſſerant, alios revocare*, id eſt, revocabant; p. 149 l. 13 *urbem*, p. 153 l. 9 *extrema*, p. 159 l. 2 *ubi*, l. 4 *inſeſſum*, l. 7 *dejecti*, p. 160 l. 4 *vado*, p. 163 l. 5 *reficerentur*, l. 7 *atque*, p. 164 l. 23 *ita*, p. 177 l. 14 *quo*, p. 179 l. 14 *ſuffocarentur*; p. 187 l. 5 *per nuntios*, l. 10 *eam*, l. 16 *prœlio*, p. 190 l. 8 *præciſa erant*, p. 201 l. 9 *ei*, p. 205 l. 4 *imitari*, p. 221 l. 9 *enectos*, p. 225 l. 15 *cædere*, p. 235 l. 10 *conſilio affuere*, p. 239 l. 8 *multorum animo*, p. 243 l. 10 *parumque*, p. 246 l. 10 *quam arbitrio*, p. 252 l. 7 *gloria*, p. 275 l. 1 *indigenæ*, p. 276 l. 5 *ducentos*, p. 282 l. 19 *impliciti*, p. 287 l. 6 *eo*, p. 293 l. 5 *urbem*, p. 3[illegible]9 l. 11 *opere*, p. 317 lin. penult. *urbem*, p. 318 l. 15 *lætis*, l. 17 *animis*, p. 319 l. 1 *eundum*, p. 329 l. 9 *concitarunt*, p. 337 l. 12 *arcem*, p. 341 l. 5 *in caſtris relicto*, p. 345 l. 4 *æquo*, p. 363 l. 4 *numini*, p. 365 l. 14 *arguerent*, p. 366 l. 7 *qui*, p. 368 l. 14 *imponere*, l. 15 *regium faſtum*, (uti p. 371 l. 2,) p. 369 l. 8 *ipſo*, l. 11 *varios dignos putant*, p. 370 l. 8 *auro gravem—ſpineam tulerat*, p. 374 l. 10 *inſtitueret*, l. 13 *apparari*, p. 378 l. 13 *ducentos*, p. 383 l. 8 *deberi*, l. 12 *perſancte*, l. 14 *ipſe*, l. ult. *lauti*, p. 391 l. 2 *affinis*, *Cimber genere, nobilis vir &*, p. 393 l. 20 & 21 *Aliquid enim de his rebus erit addendum*, p. 397 l. 4 *ſimul cum ſuis*, p. 399 l. 3 *grati*, p.

408

408 l. 7 *opes*, p. 409 l. 2 *atque*. Quando vero *Dempſterus*, *p. 193* aliquid verborum excidiſſe, putat, non eſt nobis dubium, quin erret. Tantum interpunctione emendata ſic legatur: *Ego quidem eo animo arma indui, ut, niſi victor, acie non excedam. Si vobis idem eſt ſuaſum, haud equidem ambigo*, cetera. *Suaſum* alibi quoque Noſter nove dixit pro *perſuaſum*. Juſtius vero nos id ſuſpicamur de *p. 367 l. 2* poſt *freti*, & de *p. 369 l. 20* poſt *ſcrutati*. Aliis denique inquirendum permittimus, an mendæ a nobis indicatæ jam abſint ab editionibus hujus operis duabus *Dempſterianam* editionem antegreſſis. Poſtremo loco ſciant, Lectores noſtri, typographum Groningenſem, cujus ſumtu *Accoltus* prodiit, jus ſuum omne ceſſiſſe *Hermanno Jagero*, typographo Bremenſi.

## *TENTAMINA EXPERIMENTORUM NAturalium captorum in Academia Florentina del Cimento, ex Italico in Latinum ſermonem converſa. Commentarios novaque experimenta, & orationem de methodo inſtituendi experimenta phyſica addidit PETRUS VAN MUSSCHENBROEK, Phil. & Med. D. & Matheſ. Profeſſ. in Acad. Ultraj.*

Lugduni Batavorum, apud Jo & Herm. Verbeek, 1731, 4 maj. Alph. 2 pl. 8, cum Tab. 32. æri inciſis.

EXperimenta hoc libro collecta capta ſunt ab Academicis, quos augendæ naturali ſcientiæ vacare juſſit Leopoldus Magnus Etruriæ Dux, A. 1657 primumque prodierunt in lucem Florentiæ A. 1667. Diviſa eſt totius operis materia in partes duas, prima agit de inſtrumentis, quæ experimentis inſervierunt, nec non de obſervationibus, circa naturalem aeris preſſionem, congelationes artificiales, & glaciem naturalem factis. Altera ſpectat ad mutationem capacitatis vaſorum metallicorum & vitreorum, quæ calore & frigore producitur, ad compreſſionem & incondenſabilitatem aquæ, ad evertendam levitatem poſitivam, ad phænomena magnetis, ambræ, aliorumque corporum electricorum, nec non mutationes colorum in diverſis fluidis,



Digitized by Google

motum ſoni corporumque projectorum, quibus in fine experimenta varia ad cognoſcendum aeris & aquæ pondus, item caloris & frigoris effectum adjunguntur. Atque hunc quidem rariorum obſervationum theſaurum Cl. *Muſchenbroekius*, de philoſophia experimentali pridem optime meritus, Latino ſermone expreſſum, doctiſſimisque commentariis auctum illuſtratumque in eruditi orbis lucem iterum nunc proferendum cenſuit, gratiam procul dubio ab omnibus, qui has merces æſtimare norunt, maximam initurus. Noſtrum erit ex ampla pulcherrimarum rerum congerie, ſingularia quædam & præ ceteris memorabilia, nec ubivis obvia phænomena excerpere. P. 20 narratur, quod primus *Galileus* docuerit pendulum pondus horologio applicare, & quod filius ejusdem *Vincentius Galileus* A. 1649 praxi ipſa demonſtraverit, quomodo pendulum vi rotæ vel ponderis cogatur ſimiles oſcillationes ſervare, defectusque horologii corrigere. Interim tamen *Chriſtianus Hugenius* in Præfatione operis de horologio oſcillatorio hujus inventi gloriam ſibi deberi, & de conatibus *Galilei* filii, nihil usque ad A. 1657, quo idem *Hugenius* prodidit, innotuiſſe affirmat, nec veriſimile arbitratur, tam utile artificium annis octo integris celari potuiſſe. P. 38 D. *Muſchenbroek* in vim aeris expanſivam inquirit, & ex proportione diametri bullularum, quæ in vacuo machinæ Boylianæ primum in fundo vaſis aqua repleti perexiguæ, craſſitie nempe capilli humani, conſpiciuntur, & poſtea, dum ex aqua erumpunt, ſesquipollicis diametrum acquirunt, colligit, volumen aeris in vacuo elatere proprio expanſi ad volumen aeris pondere atmoſphærico gravati habere rationem 46656000000 ad 1. P. 73 de fumo in vacuo excitato notant Florentini, quod accenſo collectis radiis ſolaribus bitumine fumus illico quidem ortus fuerit, ſed qui non aſcendebat, verum in fundum campanæ pondere ſuo deprimebatur, donec reddito aere ſummum recipientis campanæ petebat. Cui experimento XVII alia Cl. Editor addit, adhibito ubique indice Mercuriali, ex quibus effectus uſtionis variorum corporum in vacuo clariſſime intelliguntur. P. 89 oſtenditur, magnetem vim quoque ſuam in vacuo exerere, & ferream acum ibidem ſolita veloci-

locitate agitare. P. 98 Variorum phænomenorum, quæ in animalibus vacuo incluſis notata ſunt, hiſtoria traditur. Hirudo & limax diutius inſectis ceteris in vacuo vivunt, nec intumeſcunt. Lumbrici quoque nonnulli biduo ibidem ſine noxa vitam continuarunt. P. 132 inter plura congelationum artificialium exempla illud notatu prorſus dignum eſt, quod parato globo aureo ſesquidigitalis diametri dum aqua eidem incluſa in glaciem vertebatur, iſte multum dilatatus & denique ruptus fuerit, eo loco, ubi duæ partes, ex quibus ſphæra conſtabat, ope ferruminis argentei conjunctæ erant, ruptura autem incipiebat a ferrumine argenteo, & inde in aurum porrigebatur. P. 135 a D. Editore vis, qua glacies amplificata rupit ſphæram orichalceam, libris 27720 par æſtimatur. P. 141 Florentini inveſtigarunt proportionem denſitatis aquæ fluidæ & congelatæ, eamque repererunt 25 ad 28 $\frac{1}{19}$. P. 146 ſq. Varia phænomena circa progreſſum congelationum artificialium annotantur. Cum nempe ſphæra aquæ plena primum attigit glaciem, intra quam ſiſtebatur, in tubulo ſphæræ adhærente ſubſiliiſſe viſa eſt, poſtea aqua lente movebatur intra ſphæram, hinc paulatim aſcendebat, denique ſubito in altum proſiliebat, & nonnihil ex tubo effluebat. Toto tempore, quo hæc contigerunt, videbantur per aquam aſcendere corpuſcula aerea & alia materiæ ſubtilioris, quæ frigore ex aqua expellebantur. Definita quoque ſunt tempora, quibus diverſæ illæ in aqua mutationes animadvertebantur. Scilicet ſaltus immerſionis accidit, poſt abſolutas oſcillationes penduli 23, (65 æquipollebant minuto temporis primo) inde deſcenſus ſequebatur poſt oſcillationes 255, quies 330, aſcenſus 462 oſcillationibus reſpondebant. His annectuntur phænomena congelationis diverſorum liquorum & vini. P. 165 Circa glaciem naturalem experimenta non minus elegantia, de ejus initio, progreſſu & fine, commemorantur; ſigillatimque de glacie in vacuo concreta traditur p. 171, quod æquabilior, durior, minus transparens, minusque poroſa, & ſpecifice gravior fuerit altera, quæ in libero aere coaluerat. Aqua marina in glaciem abibat quidem, ſed hæc exiguis planis lamellis, quales lapis fiſſilis habet, conſtare videbatur, nec duri-

tiem

tiem glaciei aquæ dulcis habebat, factaque levi agitatione liqueſcebat, & ſuperficies plana erat absque ulla prominentia. P. 172 inter ſalia glaciei vel nivi, ad juvandam, conglaciationem aſperſa, ceteris præſtare dicitur ammoniacum. P. 173 de aliis frigoris intenſioris effectibus ſalium concurſu productis copioſius Cl. Editor differit.

*Parte ſecunda* pro exploranda dilatatione corporum metallicorum & vitreorum per calorem, & contractione eorundem per frigus, multa pericula facta leguntur, quibus dilucide hæ mutationes & earum gradus vel viciſſitudines comprobantur. Qua occaſione D. *Muſſchenbroekius pyrometrum* a ſe inventum deſcribit, & uſum illius pluribus exemplis illuſtrat, p. 12—57, quæ omnia lectu ſane digniſſima ſunt. Ulterius Florentini experimentis probant, aquam ne maximis quidem viribus condenſari, calore autem mirum in modum expandi & elaſticam vim adipiſci. P. 78 Dn. Editor docet, magnetes, qui majora pondera ſuſtinent, non ideo ampliorem virtutem attractricem ferro communicare, ſed ad id præſtandum magnetes, qui minora pondera adducunt, magis eſſe idoneos. P. 90 inter corpora electrica etiam adamas refertur, inprimis polygonus, cujus naturalis figura octoëdra eſt; dum tabulatus multo debilius corpora attrahit. P. 115 Circa corpora projecta confirmant Florentini ſententiam Galilei, quod globi ex tormentis variæ longitudinis & amplitudinis, in alta turri ad libellam poſitis, ejecti, omnes æquali tempore iterum decidant, etſi per lineas diverſæ longitudinis ferantur, & quod tempus, quo globus ejectus motum ſuum abſolvit, æquale ſit illi, quod ſimilis globus, dum ex eadem turri perpendiculariter demittitur, definit. P. 124 Inter experimenta varia unum occurrit, quo proportio ponderis aeris ad pondus aquæ numeris 1 : 1179 determinatur. Repetito tamen aliquoties periculo, diſcrimen aliquod proportionis repertum eſt, de quo in annotationibus uberius agitur. Cetera quæ de mixtorum liquorum ſalinorum efferveſcentia ab Academicis Florentinis traduntur, doctis animadverſionibus & experimentis Dn. Editor illuſtrat p. 152–180.

RELATIO

Digitized by Google

## RELATIO LITHOTOMIÆ SECUNDUM *apparatum altum, novo quodam inſtrumento peractæ.*

ILla Lithotomiæ ſpecies, quam in regione hypogaſtrica ſupra os pubis Celeb. *Douglaſſius* in Anglia hoc ſeculo iterum ſuſcepit, *Dantiſci* pariter annuo abhinc ſpatio a Dn. D. *Kulmo*, Med. ac Phyſ. P.P. & tribus Chirurgis dexterrimis, *Breslavo*, *Remmers* & *Teisnero* aliquoties fuit peracta, qui junctis viribus aliis quoque operationibus chirurgicis difficillimis perficiendis hactenus operam navarunt. Præſente hoc anno, Menſe Majo, deferebatur ad eos puella quædam calculoſa, quinque annorum, cujus calculus exploratus inſignis nullatenus in veſica diffringi, aut per urethram extrahi ſe patiebatur, licet pars quædam, avellanæ fere magnitudinis, ab eo avulſa & protracta fuerit. Cum itaque parentes miſeræ hujus puellæ medelam per operationem, antea jam bis feliciter peractam, anxie efflagitarent, lubenter eandem in ſe ſuſceperunt laudati viri apparatu alto peragendam. Aſt, quoniam paulo antea anxius quidam puer, eadem methodo a calculo ſuo liberatus, aquam ad hanc operationem immiſſam, qua veſica erat diſtenta, ſub ipſa operatione tanto conatu reddere urgebat, ut nec vinculum peni injectum, nec preſſura manu fortiter facta eam retinere valerent: igitur difficultas haut levis metuebatur, an etiam apud hanc puellam, alias impatientiſſimam, digitus urethræ admovendus viæ debite præcludendæ par foret; inprimis cum ſexus ſequior breviori, eaque largiori gaudeat urethra. Hæc circumſtantia anſam ſuppeditabat Dn. D. *Jo. Ad. Kulmo*, ut ſecum perpenderet, poſſetne alio negotio veſica incidenda abſque ulla aquæ injectione debito modo elevari? Ipſa ſane brevitas urethræ, ejusque amplitudo in hoc ſexu ei ſuaſerunt, ut inſtrumentum, Tab. II fig. 1 l. A: delineatum excogitaret, quod quodammodo catheterem refert, atque ab officio ſuo, quod præſtat, *elevatorium veſicæ* dici meretur: hoc ſecundum curvaturam oſſis pubis, ratione ætatis individui, plus minusve inflecti ac protendi poteſt: exhibet autem præſens figura juſtam inſtrumenti magnitudinem, quæ fœminis adul-

tis commode inſervit. Gaudet inſtrumentum hoc in ſuperiori incurvata parte quadam fiſſura (b.b.) pervia, ut ſectio eo melius intra hanc, & quidem absque apicis cultelli læſione contingat. Magnam profecto præſtitit hoc inſtrumentum in prædicta operatione utilitatem. Ejus vero applicatio eſt ſequens: ab initio inſtrumentum ita adigitur in urethram, ut ejus curvatura alterutrum latus reſpiciat, deinde leni conatu protruditur in veſicam, ut apex juxta calculum procedat, quod facile fit, quia urethra pro lubitu ad latera inflecti poteſt: poſtea curvatura calculum lateraliter amplectens ſurſum vertitur, ut calculo incumbat. Diſſectis tandem integumentis & muſculis, ope hujus inſtrumenti, ejusque iterata elevatione non ſolum ipſa veſica, ſed etiam inſtrumenti curvatura optime dignoſcitur, ſupra quam ſecure perficitur diſſectio veſicæ. Fungitur denique hoc inſtrumentum etiam conductoris officio, cum juxta illud per diſſectam veſicam digitus eſt immittendus, quo mediante veſica ceteroquin collabeſcens ſuſpenſa retinetur, ut calculus commode extrahatur.

Novum quoddam retinaculum, elatere ſerrato præditum, nuper excogitavit laudatus Chirurgus *Remmers*, præputio applicandum, quo urethra virorum in eadem operatione absque ulla noxa arctiſſime conſtricta ſervatur: quod haut ita pridem in ſectione calculi alicujus viri, quinquagenario majoris, optimo cum fructu admotum fuit.

## FOUR DISSERTATIONS &c. BY ROBERT D' OYLY, M. A. Rector of Ginge-Hoſpital, and late Fellow of Wadham-College in Oxford.

h. e.

***DISSERTATIONES QVATUOR: I. DE PERmiſſione Dei circa lapſum Adami, & creatione hominum qui peccare poterant; II. de auxilio extraordinario, quo Deus primos Evangelii præcones dignatus eſt; III. de revelatione prophetica; IV. de ejusdem corporis Reſurrectione; Autore ROBERTO D' OYLY, Rectore Hoſpi-***

*Hoſpitalis Ging & quondam Wadhamenſis Collegii, quod Oxoniæ eſt, Socio.*

Londini, ſumtibus Roberti Gosling, 1728, 8 maj.

Alph. 1 pl. 2.

HIc quoque Diſſertationum faſciculus argumento eſt, cum inſolentius plurimi revelatæ religionis adverſarii, in Britannia maxime, in eandem inſurgant, magna pietate ac animo præclara eruditione conſpicui ejus gentis Theologi, eandem propugnent ac vindicent. Licet enim illi, quibuscum doctiſſimo Autori in hoc libro res eſt, aperto marte Chriſtianam religionem vel non impugnent, vel impugnare videri nolint, paulo ſagacioribus tamen, ſuſpecto valde diſſerendi genere, atque inſperſis paſſim inficetis dicteriis animum, licet alia omnia ſimulent, facile produnt. Videtur ex illorum numero fuiſſe *Autor literarum*, Noſtro ante annos nonnullos redditarum, qui lucem fugiens nomen ſuum, non niſi ſubſcriptis literis S. T. profiteri auſus eſt. Quibus ſtatim quidem ſcripto typis publice expreſſo reſpondit, quod nunc quidem primo inter Diſſertationes has loco prodit iterum magis expolitum. Et quamvis ipſas ignoti hominis literas evulgare, religioni duxerit Cl. Autor, teſtatur tamen, ſe retentis, quantum fieri potuit, ipſis illarum verbis, ne virtutem argumentorum adverſarii ſubdole enervare videretur, momenta rationum oppoſitarum aperte expoſuiſſe. Argumentum igitur omne literarum illarum ad hæc capita fere redit. Sacri ordinis viros, vehementer quidem gratiam Dei homines per Chriſtum ſalvantis prædicare, ſed vix ullam, qualemcunque etiam rationem prætexere audere, cur morbum hunc Deus permiſerit, laxans quippe fræna diabolo, aſtuto ſpiritui, qui fœminæ imponeret, & cur adeo univerſi generis humani ſalutem, arbitrio ſexus vani ac parum ſapientis ſubjicere voluerit. Neceſſe eſſe, ut Deus graviſſima, atque plane invicta ratione permotus fuerit, ut permitteret hominem tentationis illius periculum ſubire, quam mala infinita ſequebantur, tanto pretio reparanda. In Deum injurios videri, qui ſupponentes, quaſi ex inſidiis diabolus Deo ſupervenerit, Deum



Digitized by Google

ex flagranti in genus humanum amore, neceſſe habuiſſe credant, filium ſuum unigenitum pro ſalute ipſius immolare. Deum hæc omnia clariſſime prævidiſſe, quæ nullis limitibus circumſcripta omnipotentia ſua facile impedire, atque omnia mala illa averuncare potuiſſet. Concludit denique literarum illarum Autor, ſe cum multis millibus exiſtimare, longe præſtitiſſe, ſi Deus homines ita creaſſet, ut peccandi facultas ipſis plane fuiſſet negata. Ad hæc Noſter primo monet, etiamſi forte ratio nullum excogitare poſſet argumentum, quo adductus peccatum primi hominis Deus permiſerit, iniquum tamen eſſe, ſi homo limitum intellectus ſui ſibi conſcius, inſana temeritate ens infinite ſapiens in jus vocet, illudque quaſi coram rationis ſuæ tribunali comparere jubeat. Non autem deſunt, pro vindicanda juſtitia ac bonitate Dei rationes, quibus evincitur, calamitates illas atque ſummam miſeriam, quæ lapſum primi hominis ſecuta ſunt, ſi cum aliis circumſtantiis, ex præſenti hominis conditione fluentibus, comparentur, humano generi multorum bonorum, variorumque commodorum cauſam extitiſſe, modo naturam, qua ſapientiſſimus creator hominem induere voluit, attente reſpiciamus. Hoc vero gemino argumento demonſtrare ſuſcipit, altero, quod lapſum Adami ſecuta hominis conditio longe magis tuta ſit, quam ante cum inſanabalis ipſius miſeria futura fuiſſet; altero, quod poſt lapſum primi hominis, genus humanum aptum redditum fuerit, bona longe excellentiora conſequendi, quam ſi in ſtatu innocentiæ primi parentes perſtitiſſent. Ut prius probet, reſpicere jubet, quam fragilis ſit natura humana, atque in vetitum proclivis, quod exemplo Adami ſatis apparet, qui non obſtante, præſentiſſima Dei lege, atque ſeveræ ipſius juſtitiæ intuitu, ſcelere ſe pollui patiebatur. Eadem autem cujusvis individui conditio fuiſſet, quæ Adami; atque poſteri cujusvis ex peccato parentum in eandem miſeriam præcipitandi erant, ſi Adamus quidem haud peccaſſet, quidam vero ex prole ipſius peccato contaminati fuiſſent. Divinæ miſericordiæ enim exercitium, ante virtutem ſacrificii expiatorii a Chriſto oblati, concipi non poteſt. Nam in eſſentia divina fingere non licet, vel actus, vel facultates directe inter ſe pugnan-

Digitized by Google

pugnantes, ita ut miſericordia Dei flectens ipſius juſtitiam, cogitari nequeat, antequam juſtitiæ ejus per meritum Chriſti penitus ſatisfactum eſſet. Poſt peccatum igitur Adami demum, atque oblatam a filio Dei ſponſionem crimina hominum reluendi, reſpectu meriti ejus ac mortis, venialia apud Deum peccata hominum erant, atque hominum conditio ita magis tuta erat, ne abſque remedio miſeri eſſent, quam ſi in innocentiæ ſtatu Adamus perduraſſet. Gentiles ſi ſpectemus, illos propter Adami peccatum non neceſſario damnari, Doctiſſ. Autor contendit. Dubitandum enim non eſſe, quin illi, qui legis naturæ dictata, quantumvis obſcurata quidem ac imperfecta ſequi pro viribus annitebantur, gratiæ divinæ accepti fuerint, iique, quibus majora concrederentur, digni habiti ſint, qui fidem ſuam in parvis rebus probaverant. Etenim licet Petrus doceat, non aliud nomen gentibus datum eſſe in ſalutem, quam nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti; Noſter tamen negat inde ſequi, fidem actualem in Chriſtum neceſſariam in omnibus conditionem eſſe, quibus meritum ejus debeat applicari; ſiquidem nec ipſis Apoſtolis de morte ejus pro peccatoribus ante reſurrectionem ſatis conſtiterit, neque appareat, quod Patriarchis ipſorumque poſteris, qui electus a Deo populus erant, in V. T. mors Chriſti expiatoria innotuerit. Equidem multa ſubinde de nativitate, charactere, aliisque circumſtantiis Meſſiæ patribus a prophetis nunciata fuerunt, inprimis, quod generis humani ſoſpitator futurus, atque pro eodem interceſſurus ſit. Id vero ab illorum temporum hominibus eo ſenſu accipiebatur, quod pœnam divinam in hac vita ſcelera mortalium inſecuturam, merito ſuo expiaturus ſit. Hac enim ſpe ac dulcedine, vitæ felicis ac omnibus calamitatibus vacuæ, ita capti erant Judæi, ut Meſſiam tanquam herculeum, atque potentiſſimum principem univerſi hujus Imperatorem, hoſtes populi Iſraëlititi profligaturum, & Iſraelitas dominos orbis terrarum conſtituturum, expectarent. Spiritualia vero Meſſiæ beneficia æque ac gentiles prorſus ignorabant. Quæ de gratia ac miſericordia divina Prophetæ tradiderant, indigna plane ratione accepiſſe videntur, quaſi contrarii duo affectus in Deo eſſent, juſtitia & miſericordia, quorum alter alterum



Digitized by Google

moderaretur ac reſtringeret. Æquum itaque putat Autor, ut ſtatuamus gentiles, quibus propitiatorium Chriſti ſacrificium, in Paradiſo ſtatim, æque ac Judæis in miſeriæ humanæ ſolamen propoſitum fuerat, non condemnatum iri, quod in Salvatorem haud crediderint, de quo nihil unquam audiverant. Metiri Deus crimina hominum ex ipſorum voluntate ſolet, neque ipſis peccata imputat, quorum culpa vacant; quod partim illuſtrando, partim explicando plurima S. Scripturæ dicta, quibus diſerte aſſeritur, Deum ex æquo, h. e. ſecundum juſtam regulam homines olim judicaturum eſſe, Autor prolixius demonſtrare ſatagit. Alterum argumentum, quo commoda majora ex Adami lapſu in genus humanum, ſi naturæ ejus rationem habeamus, redundaſſe aſſerit, capite tertio perſequitur, demonſtrans, quod mortales bona longe nobiliora conſequi jam poſſint, quam ſi in ſtatu innocentiæ, primi ipſorum parentes perſtitiſſent. Cum enim voluptas ac perfectio felicitatis humanæ eſſentiam fere abſolvant, ſequitur, verum bonum creaturæ rationalis conſiſtere in non impedito ac continuo potentiarum ipſius exercitio in objectis, quæ homini grata ac jucunda, illisque potentiis digna ſunt. Tunc enim potentiæ iſtæ perfectæ ſunt, ubi libere iis rebus uti poſſunt, quarum cauſa formatæ ſunt, atque adeo voluptatem maximam ex uſu nobilium ejusmodi, ac excellentium objectorum capiunt. Sunt vero potentiæ humanæ intellectus ac voluntas, & propterea illa nobiliſſima objecta exiſtimanda, quæ vel ſciri vel expeti digniſſima ſunt. Hiſce præmiſſis porro Autor explicat, quam multa poſt lapſum Adami, atque inſecutam Chriſti incarnationem homines didicerint, per quæ in interiorem eſſentiæ divinæ notitiam devenerunt, quamque valida ex mira illa gratiæ divinæ œconomia exſurgant argumenta, quibus voluntas humana in fervidum Dei amorem flectatur, ac inflammetur. Verbo, homines poſt lapſum Adami clarius Deum introſpiciunt, arctius ipſi adhærent, atque multo lubentius ſummum illud Bonum imitantur. Pergit deinde exponere, quam inſignes naturæ divinæ qualitates, per paſſionem ac mortem Chriſti, ſeu mediatorium ejus officium, homini manifeſtatæ ſint, quæ ſit vis exempli ipſius Chriſti, quod mortalibus, dum

in

in mundo verſaretur, præivit, in corrigendis erroribus corruptæ ab hominibus doctrinæ moralis, in profligandis vitiis, atque promovenda totius humani generis felicitate. Cum Petrus diſerte teſtetur, manifeſtationem Chriſti in carne, decretam poſt lapſum ſtatim primi hominis, admirandum adeo myſterium eſſe, ut ipſi angeli illud introſpicere cupiant, occaſio inde naſcitur Noſtro explicandi, quomodo poſt lapſum hominis, ipſi angeli infinitum amorem, gratiam, ac bonitatem Dei multo plenius, quam antea cognoſcere potuerint. Addit denique his varia commoda, quæ parare humanum genus præſens miſeria coegit, cum mutua neceſſitas hominibus, ut ſocietatem inirent, perſuaſerit, unde artes plurimæ atque rerum tum civilium tum naturalium ſcientiæ nobiliſſimæ natæ ſunt. Ultimo capite reſpondet Adverſarii argumento, quod ex ſenſu communi petiiſſe videri voluit, quaſi mille aliis ſecum in eo conveniat, quod multo melius generi humano conſultum fuiſſet, ſi peccandi libertas a creatore prorſus denegata ipſi fuiſſet. Suadet vero Adverſario, ut licet ſibi ipſi atque naturæ ſuæ conditioni indignari videatur, cum tamen in nihilum ſe redigere nequeat, ſorte ſua contentus, bona, quorum uſum Deus benevole conceſſit, quam optime collocare ſtudeat. Et cum agnoverit ſe, modo ſibi ipſi deeſſe nolit, æternum beatum eſſe poſſe, communem ſenſum dictare, ut potius humillima gratiarum actione, ea quæ benignum Numen indulſit, veneretur, coram eodem ſe proſternat, atque aſſidue precetur, ut felicitatem illam, cui natum ſe eſſe ſentit, Deus confirmet ac largiatur, quam ut animum chimærica illa ſuppoſitione, de beata hominis conditione, ſi protaplaſtæ haud peccaſſent, ſuſpenſam teneat, imo torqueat. Æquum enim eſſe, ut contentus potius ſit bonis numero fere infinitis, quæ benevolum numen larga manu inter mortales diſtribuit, quam Deum in jus vocare audeat, quod illa bona haud dederit, quæ animus otioſus fingere ſibi poteſt. Sed hæc de Diſſert. I. ſufficiant de reliquis dicemus alio tempore.

*DAN. GEORGII MORHOFII DE LEGENDIS, imitandis, & excerpendis Autoribus libellus poſthumus,*

*humus, quem luci nunc primum tradit* JO. PETRUS KOHLIUS, *P. P.*

Hamburgi, apud C. W. Brandt, 1731, 8.

Plag. 14.

CUm libri illi, qui a ſuis autoribus deſtinati non fuerunt editioni publicæ, jure cenſeantur prodire invitis dominis, noſtrum erit, in præſenti libello non quærere *Morhofium*, ſed tantummodo ejus argumenta paucis exponere. Scilicet fuit hoc Collegium, quod vocant, Academicum, quod *Morhofius* auditoribus ſuis dictavit in calamum ſtans pede in uno, non eo fine compoſuit, ut typis exſcriptus etiam eruditis viris placere poſſet. Cum vero Cl. Editori hic liber videretur *multis doctrinæ criticæ ac literariæ floſculis conſperſus, multaque elegantia nec minori judicio confectus*, facile a ſe impetravit, ut eum emitteret in publicum, emiſſurus etiam quatuor alia *Morhofiana Collegia*, ſi conſilium ſuum bonis probari intellexerit. Conſtat autem liber hic tribus Partibus, quarum prima eſt inſcripta *de legendis autoribus*, altera *de excerpendis* (ſit venia barbariſmo,) *autoribus*, tertia *de imitandis autoribus*. Ac in *prima* quidem Parte recenſentur ſcriptores Latini ſecundum ætates auream, argenteam, æneam, & ferream, initio facto a *Cicerone*, & agmen claudente *Sidonio Apollinare*. Fertur de ſingulis extemporali ſermone judicium, addita mentione meliorum editionum, quæ quidem ante hos quinquaginta annos in mundo erant. Hinc & recentiores eloquentiæ cultores ſtrictim laudantur, inde a Jul. Cæſ. *Scaligero* & *Petro Victorio* usque ad *Janum Broukhuſium*. In *ſecunda* Parte monſtratur ars excerpendi, oſtenditurque, aliter excerpi oportere grammatica, aliter oratoria, aliter poetica, aliter critica, aliter exegetica. Nobis quidem hæc tractatio tam viſa eſt perfunctoria, ut irriſui potius, quam admirationi, futura videatur ſapientioribus. *Tertia* in Parte prius agitur de imitatione in genere, deinde de epiſtolari, oratoria, atque poetica imitatione. Ac hic quoque pleraque ſunt ejus generis, ut vix probari queant iis, quibus cum theoria praxin conjungere contigit.

THEO-

Digitized by Google

## *THEODORI HASÆI, S. S. THEOL. D. ET Prof. ad ædem B. Mariæ Paſt. Diſſertationum & Obſervationum philologicarum Sylloge.*

Bremæ, ſumtibus H. Jægeri, 1731, 8.
Alph. 1 pl. 20.

EDitioni præclari hujus operis immortuus Max. Reverendus Autor in Diſſertatione *prima* Jacobi Patriarchæ verba illa, quæ *Geneſ. XLIX, 13*, exhibentur, novo modo illuſtrat. Ea cum vulgo ita reddantur: *Zebulon latere ſuo ad Sidonem pertinget*; ipſe argumento uſus admodum probabili ſic vertenda cenſet: *& terminus ejus* (hoc eſt, urbs in Sabulonis terminis ſita) *erit ſuper Sidonem*, hoc eſt, præſtantior erit Sidone. Ad evertendam vulgarem verſionem potiſſimum urget voculam עַל, oſtenditque perdocte, ab Hebræis eam ita uſurpari ſolere, ut deſignet gradum, quem Grammatici vocant, comparativum. Hinc pluribus exponit, Sabulonem nulla humanæ felicitatis parte ſuperiorem fuiſſe Sidone, cujus urbis bona ex Geographis præclare repræſentat. Capite igitur ſecundo auguſtius aliquid prædici ſupponens, contendit, innui a Jacobo Propheta felicitatem oppidi Nazareti, in terminis tribus Sabuloniticæ ſiti, illam, qua fuit parentum Chriſti domicilium, in quo angelus Mariæ lætiſſimum de naſcituro ex ipſa Meſſia attulit nuntium; qua fuit urbs illa, in qua Maria Chriſtum geſtavit in utero; in qua Chriſtus fuit educatus; & a qua dictus fuit *Nazarenus*. Suam hanc verborum Jacobi interpretationem eo confirmari putat, quod hoc modo perſpicua reddi poſſit ratio, cur Sabulon ſit præſtantior Sidone, nec aliud hujus præſtantiæ fundamentum queat excogitari. Alia quoque ſolertiſſime affert ad ſtabiliendam ſuam ſententiam, quæ præterimus, etſi conſideratu digniſſima. *Diſſert. II* ejuſdem patriarchæ verba *Geneſ. XLIX, 21*, ita vertit: *Naphthali* eſt vel erit *cerva emiſſa* vel *ablegata, dans* vel *proferens bona verba* vel *verba pulchritudinis*. Ac horum verborum hanc exiſtimat eſſe mentem: *Ex illa regione, quæ olim Naphthali poſterorum portio erit, orituri ſunt Apoſtoli, doctrinam Evangelii annuntiaturi.* Concedi autem ſibi ante omnia poſtulat, 1) p. 58.



Digitized by Google

Jacobum in hocce cantico prædixiſſe res futuras, 2) vaticinatum eſſe de Meſſia, & quidem 3) de rebus proxime attingentibus tempora Meſſiæ, 4) per nomina filiorum ſuorum ſignificare inſignes ipſorum poſteros, 5) hos ſimiles fore animalibus illis, quæ Jacobus filiorum nominibus adjunxit. Jam oſtendit, quid ſimile habeant cum cervis Apoſtoli. Laudatur in cervis celeritas: Apoſtoli quoque in promovendo curſu Evangelii ſumma pernicitate uſi ſunt. Cervi in greſſu ſunt firmi conſtanteſque: Apoſtoli etiam ſtupenda conſtantia inter tot labores & pericula functi ſunt ſuo munere. Cervi canum & venatorum agitationibus ſunt obnoxii: Nec unquam Apoſtolis deſitere ſui perſecutores. Quod vero Jacobus *cervas* dixit, non *cervos*, id judicat Noſter fieri more ſacri codicis, alibi quoque ſub ſchemate ſexus ſequioris Apoſtolos deſcribentis. Addit, ideo quoque hac ſimilitudine uti libuiſſe Jacobo, quod Naphthalitica regio abundaret cervis. Apoſtolos vero, hoc eſt, legatos, innui ipſo verbo *emiſſa* vel *ablegata*, ſatis clare indicari arbitratur. Idque inde confirmat, quod dicantur hoc loco *dicturi verba pulchra*. Pulchrius vero quid eſſe poſſit doctrina Evangelica? Jam Capite ſecundo exhibet implemenſum vaticinii Jacobæi. Ita, ut, rite conſtitutis tribus Naphthaliticæ terminis, doceat, urbes illas, quæ Apoſtolos vel genuerunt vel aluerunt, ſitas fuiſſe in portione Naphthali, Bethſaidam ſcilicet, Capernaum, & Canam, e quibus
p. 135. prodiiſſe docet omnes Apoſtolos. *Diſſert. III* meditationem ſuam convertit ad perilluſtre illud de Meſſiæ adventu vaticinium, quod *Haggai III*, 7, 8, 9 & 10, exhibetur. Quod cum permulti iique clariſſimi viri illuſtrarint & ab Judæorum detorſionibus vindicarint, Noſter non acturus, quod jam actum eſt, illud præterea obſervat, eo loco non ſolum de Meſſiæ in poſteriore templo adventu agi, ſed etiam de conjuncta cum eo apparitione Spiritus S. in eodem templo, quæ *Actor. II*, 2, deſcribitur. Inprimis huc refert promiſſionem *v. 6* factam, qua Deus dicitur templum impleturus *gloria*. *Gloriæ* enim nomine inſigniri docet nubem illam igne ſplendidam, divinæ ſignum præſentiæ, ac præcipue nubem illam igneam, quæ in veteri tabernaculo & æde arcam & propitiatorium obnubens conſpiciebatur, vocata Judæis *Schechina*.

Digitized by Google

*na*. Jam porro docet, *Schechinam* non ſolius Meſſiæ fuiſſe ſymbolum, ſed etiam Spiritus ſancti: idque confirmat aſſenſu ipſorum Rabbinorum: qui cum & conſentiant, Spiritum S. defuiſſe templo poſteriori, novum hinc Noſter putat robur addi ſuæ interpretationi. Ultimo loco id agit, ut perſuadeat nobis, *Actor. II, 2 ſqq.* impletum ad unguem fuiſſe *Haggai* vaticinium. *Diſſ. IV* de ligno *Sittim* diſputat, cujus multa in ſacro codice mentio. p. 170.
Ex eo enim ligno facta eſſe leguntur in Exodo altaria, arca fœderis, menſa propoſitionis, alia. Refutatis igitur aliorum opinionibus, quorum doctiſſimis *Sittim* videtur fuiſſe quoddam cedri genus, ipſe eorum defendit ſententiam, qui *acaciam* ſive *Spinam Arabicam* intelligi ſtatuunt. Hujus profert deſcriptiones e priſcis pariter ac novis ſcriptoribus, imo & natalia loca hujus arboris, flores, fructus, figuram, magnitudinem, uſum curioſiſſime doctiſſimeque deſcribit. Tum, ſe recte conjeciſſe, lignum *Sittim* interpretando de acacia, hoc ſyllogiſmo probat: Cum 241.
*acacia* nomen *Sittim* in hunc usque diem apud Arabes & Ægyptios retinuerit; cum iis ipſis in locis, in quibus olim Iſraelitæ hoc ligno uſi ſunt, illa arbor & copioſiſſime & pœne ſola reperiatur; cum omnia, quæ de arbore *Sittim* referuntur, hic occurrant; cum extruendo tabernaculo ſacrisque vaſis conficiendis ſit idonea; cum nihil obſtet, quo minus lignum Sittim capiamus de acacia; cum denique nullam aliam conveniant in arborem, quæ ſacer codex tradit de ligno Sittim; ſequitur, lignum Sittim eſſe acaciam ſive ſpinam Arabicam. Adjicit & cauſas, cur ſibi quoque corona capiti Chriſti patientis impoſita videatur texta fuiſſe ex hoc ipſo ſpinæ genere. *Diſſertatio V* oppoſita eſt Cl. *Georgii* 254.
*Vereſtoi* Diſputationi, a Noſtro in *Muſei Bremenſis Tomo ſecundo p. 99 ſqq.* recenſitæ, contendentis, non in *rubo ardenti*, ſed in *flagranti palma*, Moſi Deum apparuiſſe *Exodi III, 2, 3, 4.* Ac novam illam ſententiam eruditiſſime evertit Noſter, multas more ſuo inſpergens digreſſiones philologicas, ac ſimul docens, *rubum* illum fuiſſe ſpinam Arabicam ſive acaciam. *Sextam* Diſſer- 314.
tationem, quæ eſt de ſtatua fœminæ illius hæmorrhouſæ, quam fabulam primus narravit *Euſebius*, ſilentio prætermittimus, quippe jam recenſitam in his *Actis A. 1727*, (quo anno ſepa-



Digitized by Google

p. 451. ratim fuerat edita,) *p. 424 ſqq.* *Septimæ* Diſſertationi occaſio-
nem præbuit curioſitas ſciendi, quodnam animal lateat ſub nomi-
ne *Behemoth*. Sunt, qui putant, ſignificari hippopotamum ſive
*morſum*. Noſter vero cauſas affert graves, cur non debeat huic
ſubſcribi ſententiæ. Quam occaſionem nactus, hiſtoriam natu-
ralem iſtius animalis copioſiſſime deſcribit diligentiſſimeque, ac
ſimul oſtendit præclare, animal illud, quod Tartari *Manmuth* &
*Maman* appellant, deque eo fabuloſa multa narrant, eſſe ipſiſſi-
510. mum hippopotamum. *Diſſert. VIII & IX* verum *Behemoth* Cl.
Autor ſibi videtur inveniſſe. Eſt ſcilicet animal quoddam mari-
num, *Manathi* nomine, alias *vacca marina*. Quæ de eo tradide-
runt periegetæ rerumque naturalium ſcriptores, ea exhibet Au-
582. tor in Diſſertatione priore mira diligentia. In poſteriori cauſas
affert, cur credat, apud Iobum non aliud animal deſcribi vocabu-
lo *Behemoth*, oſtendens ſcilicet ſingulatim, quæcunque de *Behe-
moth* dicantur in libro ſacro, ea vere quoque dici de *Manathi*.
Ceterum modeſte reddit, hanc ſe ſententiam non adoptare tan-
quam ſatis certam, nec pro ea tanquam pro aris & focis decerta-
turum eſſe. Subjungit & hancce conjecturam, ſibi videri animal
illud, quod in ſacro Codice תחש vocatur, & cujus pellibus veſti-
ebantur & contegebantur ſacri tabernaculi latera, nihil aliud eſſe,
quam *Manathi* modo deſcriptum: ac hujus ſuæ ſuſpicionis cau-
609. ſas affert admodum veriſimiles. *Diſſert. X* tractat etymon no-
minis *Druidum*. Primo *Plinii* a δρῦς, *quercus*, id derivantis ſen-
tentiam adducit, docetque, ſi vel maxime neges, poſſe originem
illius nominis eſſe Græcam, etiam Britannos *quercum* vocaſſe
*derwen*, adeoque *Druidum* nomen hinc deduci, potuiſſe. Fa-
ctum vero id eſſe, ideo non credit, quod Britanni viris tantæ di-
gnationis tantæque autoritatis non videantur nomen indidiſſe a
re tantuli momenti. Majorem igitur veri ſpeciem habere agno-
ſcit eorum ſententiam, qui vetus illud Germanorum nomen
*Drubtin* ipſum eſſe cenſent nomen Druidum. Cum enim ea vox
ſignet *dominum*, Druidesque fuerint viri gentis ſuæ principes, ac
in Belgio hodieque ſacerdotes appellentur *domini*, (a vulgo enim
ſacerdos vocatur *der Dominé*,) hinc concludit, non eſſe abſurdam
hanc etymologiam. Ipſe tamen tertiam amplectitur, ſuamque fa-

cit,

Digitized by Google

cit, qua nomen illud deducitur a *true* vel *truth, veritas.* Cum enim fuerint habiti *veritatis magiſtri*, & cum in ſacris, tum in civilibus negotiis tulerint ſententiam, ac nunc quoque ſuperſit in Germania vetus nomen prophetarum, *die Wahrſager*, (*veridici*,) prætereaque ſagæ adhuc in Germania ſuperiore inque Helvetia nominari *die Thruten* ſoleant, ſatis cauſæ eſſe putat, cur ſua ſententia præferatur ceteris. *Diſſert. XI*, quæ locum tenet poſtremum, ille *Virgilii* locus *Georg. IV 290*, illuſtratur ac defenditur, in quo *Perſidem* dicit *vicinam Ægypto.* Quod cum videatur a veritate remotiſſimum, Autor fatetur, ſe olim approbaſſe Cl. *Clerici* emendationem, pro *Perſidis* reſcribentis *Pathyridis.* Nunc vero non putat neceſſariam iſtam interpretationem, cum vulgatæ ſcripturæ ſenſus tribui poſſit veriſſimus. Recordatur enim vetuſtæ traditionis, qua e Perſia olim coloni deducti feruntur in Africam, & quidem in Æthiopiæ & Ægypti viciniam. Obſervat præterea, Perſas illos corrupto nomine appellatos poſtea fuiſſe *Perorſos* & *Pharuſios.* Addit, veteres, Nilum ex illis regionibus Æthiopiæ, in quibus conſederunt Perſæ, oriri, crediſſe. Addit denique, incolas illos recte *pharetratos* dici ob frequentiſſimum ſagittarum uſum. Per *Indos coloratos* Noſter intelligi vult Æthiopes, quos *Indorum* nomine a priſcis affectos fuiſſe, & ab ipſo *Virgilio* docet, & quidem ea de cauſa, quod Æthiopes crederentur ex India deveniſſe in ſuas illas ſedes. p. 633.

## *ELOGIUM THEODORI HASÆI.*

NAtalis illi dies Bremæ illuxit prid. Calend. Decembr. cIↄIↄcLXXXII. *Patre* fuit genitus Viro longe Celeberrimo & Perquam Venerando, Dn. *Cornelio Haſæo*, S. S. Theol. Doct. & Profeſſ. Ord. primum quidem parochiæ Martinianæ, dein Marianæ Paſt. Primario, præclaris meritis inclyto. *Matre*, Nobiliſſima & Lectiſſima Matrona, *Sara Woltera*, quamplurimis virtutibus inſigni, nec ab ipſius linguæ ſanctæ cognitione aliena. *Avum* nactus erat *Johannem Danielem Haſæum*, Francofurti propter Mœnum Magna-

rium, & Eccleſiæ Reformatæ Presbyterum Spectatiſſimum. ***Pro-avum, Danielem Haſæum,*** Antwerpiæ Mercatorem, quam cauſa veritatis & Religionis ad Evangelii normam emendatæ cum Hanovia commutavit, Senatoria & Conſulari dignitate in nova Urbe perfunctus. *Abavos, Johannem Haſæum,* Civitatis Antwerpienſis Quæſtorem, & *Johannam Voſſiam.* Quorum memoria, epitaphiis in templo Andreano, ad ſiniſtrum chori latus poſitis, atque ex aurichalco conflatis, Antwerpiæ cohoneſtata extat. Cum ad ingenium, quod illi a natura ſolers contigerat, provida Parentum educatio accederet, Deo favente, omnia ex animi ſententia ceſſerunt. Pædagogii diſciplinæ cIↄ Iↄc LXXXVII traditus, Claſſium curriculo feliciter confecto cIↄ Iↄc XCIX a. d. XIII Cal. Maji Illuſtris Lycei Civis eſſe cœpit. Movit ex eo lacertos, & per omne diſciplinarum ſtudiorumque genus magno ardore animum circumegit, Clariſſimorum Profeſſorum ductum ſecutus, Celeberrimi præſertim Parentis. Nec defuit fructus induſtriæ, ſpecimen non unum in luce Virorum Eruditiſſimorum editum, Oratio *de Theologis per omnia tempora Literatoribus*, publice recitata, &, quam ſuo Marte elaboraverat, Diſſertatio, qua anquirebatur, *num Chriſtus in S. Cœnæ inſtitutione vinum adhibuerit aqua temperatum?* Præſide Venerando Parente, cIↄ IↄccI defenſa. Sequentis anni menſe Junio in Haſſiam profectus, poſtquam trimeſtre Caſſellis eſſet commoratus, Marburgenſem adiit Academiam, ubi contubernio C. *L. Miegii*, Theologi cum maxime Archipalatini, usque ad Paſchales A. cIↄ Iↄcc IV, ferias eſt uſus. Neque hinc movit pedem, niſi prius ingenii doctrinæque collectæ documentis publice innotuiſſet. Tuitus eſt Diſputationem *de Sacra Scriptura*, alteramque ſua opera conſcriptam *de Magno Propheta Devt. XVIII, 15.* Quod oraculum a παρερμηνείαις *Davidis Hugenii* vindicandum ſuſceperat. Tum vero Examine Inclyti Theologorum Ordinis rite defunctus, in numerum S. Miniſterii Candidatorum aggregatus eſt. Deinceps eodem anno Hanoviam, Herbornam, Teutoburgum, Ultrajectum, & Lugdunum Batavorum flexit iter, ibique aliquamdiu commoratus, proximo anno, poſt luſtratum Belgium, illiusque viſis Academiis, & ſalutatis Profeſſoribus, in Patriam eſt reverſus.

Evenit

Evenit autem anno, qui conſequebatur, ut ab *Hermanno Coccejo*, ad B. Virg. Evangelii Præcone Primario, Magni illius Theologi Lugdunenſis ex Fratre digniſſimo Nepote, annis & viribus feſſo, opera ejus vicaria, orationibus ſacris hebdomadatim habendis, expeteretur, quam illi anno integro præſtitit. Ineunte anno cIↃ IↃCC VII, a Senatu Eccleſiaſtico Hanovienſi ad Ordinariam Philologiæ Sacræ & Literarum Humaniorum Profeſſionem evocabatur. Facto itinere per Germaniam ſuperiorem, ſalutatisque Brunopoli, Helmſtadii, Magdeburgi, Berolini, Francofurti cis Viadrum, Lipſiæ, Halæ, Jenæ alibique, Viris doctrinæ & meritorum fama celebribus, Hanoviam eſt delatus. Provinciam ſibi mandatam, oratione *de Felici Literarum Sacrarum & Humaniorum Connubio* dicta, a. d. III Cal. Jul. cIↃ IↃCC VII ſuſcipiebat, ornabatque deinceps præclare. Cum interea *Henricus Alerſius*, Parochiæ Marianæ Eccleſiaſtes & Hebræarum Literarum Profeſſor, ætate ac valetudine fractus, miſſione, quam efflagitaverat, cIↃ IↃCC VIII Septembri menſe, a munere ſuo honorifice ſolveretur, B. Noſter, magno ſuffragantium, quibus eligendi jus eſt, numero & conſenſu, poſtero menſe in Sparta Eccleſiaſtica illi eſt ſuffectus, Optimoque Parenti ſuo, qui e cœtu Martiniano in hunc Marianum paucos ante menſes translatus & ſupra laudato *Coccejo* ſucceſſor datus erat, rariſſimo exemplo Collega contigit. Summis in Theologia honoribus a Facultate Theologica Viadrina cIↃ IↃCC XII abſens decorabatur, edita tamen ejus juſſu Diſſertatione *de Oraculo Lamechi Gen. V, 29.* Cumulabat eam dignitatem, nova ſuperaddita, Brandenburgica Scientiarum Societas, Regiis auſpiciis Berolini florens, cum illum cIↃ IↃCC XVIII Collegii ſui Sodalem renunciaret. At Magnificus atque Ampliſſimus Patriæ Senatus, cIↃ IↃCC XXIII S. S. Theologiæ Profeſſorem Ordin. conſtituit: cui muneri Oratione ſolenni *de Meritis Bremenſium in Rem Chriſtianam*, d. XXIV Junii inauguratus eſt. Ut B. Noſter munere ſacro a. d. XIII Febr. ſe abdicaret, honorifice a cœtu dimiſſus, paralytici ſuaſerunt aſſultus, corporis, antea vegeti ac robuſti, vim omnem dejicientes. Primum impetum ſenſit cIↃ IↃCC XXIX M. Octobri abſolutis ſacris matutinis; alterum cIↃ IↃCC XXX

d. XVIII

Digitized by Google

d. XVIII Apr. cum publicæ inſtitutioni Catechumenorum ſe accingeret; tertium denique pridie Cal. Sept. ejusdem anni. Etſi autem adhibitis, quæ cura Medica ſuppeditat, exquiſitis remediis, vis morbi valde infringi videbatur; inſignis tamen ſpirandi difficultas, quam aſthma vocant, arida tuſſi comitata, denique remanſit. Præterea ineunte hoc anno tumor utriusque pedis, cui tollendo nulla ars par fuit, in manifeſtam abiit hydropiſin, tum pectoris tum inferiorum corporis partium, ut proinde accedentibus cruentis exſcreationibus pectoris, aſthmate etiam indies aucto, tot ſimul irruentibus vitæ hoſtibus a. d. XXV Febr. ſecunda pomeridiana placide obdormiverit, relictis quinque filiis, filia una. Scripta edidit præter ea, quæ jam nominavimus, eruditiſſimi cujusque applauſum nacta, & in his quoque *Actis* noſtris maximam partem recenſita: Diſſertationem *de decreto Tiberii, quo Chriſtum voluit referre in numerum Deorum*, cujus altera eaque auctior editio prodiit A. 1715. Diatriben *de ὀνολατρεία Chriſtianis & Judæis olim objecta*, A. 1716. Diſſert. *de lapide fundamenti, cui olim arca fœderis fuit impoſita*, A. 1718. *Supplementum ad Sagittarii Introd. in Hiſt. Eccleſ. Capp. XIX, XX, XXI & XXII*, A. 1718. *Des Evangeliſch - Reformirten Miniſterii zu Bremen wahrhafte Erzehlung deſſen, was ſich in cauſa P. F. de Try zugetragen*, A. 1719. Librum *de Leviathane Iobi & ceto Jonæ*, A. 1723: cujus libri Belgica verſio a *Wern. Koehnio* confecta Ultrajecti A. 1724 edita eſt: Diſſertationes tres *de tribus ſcitu credituque neceſſariis*, A. 1727 & A. 1728: Diſſert. *de baptismo ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; de aquis Hierichuntinis per Eliſam conditis; de templo Oniæ Heliopolitano; de Jeſchurune ad Deut. XXXII, 15*; *Syllogen Diſſertationum philologicarum*, A. 1731. Edita quoque fuit ipſius auſpiciis octo voluminibus *Bibliotheca Hiſtorico-Philologico-Theologica*, cui & ipſe inſeruit plures ſingularis doctrinæ Diſſertationes: quales & inſertas ante voluit Maſſonianæ *Hiſtoriæ Criticæ Reip. literariæ*, quindecim conſtanti Tomis.

✡ ✡ ✡

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Aprilis Anno MDCCXXXII.*

## *JO. GEORGII AB ECKHART, REV. ET Celſ. Principis & Epiſcopi Wirceburg. Conſiliarii Intimi, Commentarii de Rebus Franciæ Orientalis & Epiſcopatus Wirceburgenſis.*

## *Tomus I.*

Wirceburgi, ſumtibus Almæ Univerſitatis Juliæ, 1729, fol. Alph. 11 cum figuris æn. pluribus textui inſperſis, & Tab. 6.

OPus inſigne Cæſareo privilegio munitum, quod condigne memorandum officii Noſtri duximus, f..is adverſis nimium conflictatur, cum Mæcenas, cujus auſpiciis illud maxime fuerat ſuſceptum, Reverendiſſ. nimirum & Celſiſſ. *Chriſtophorus Franciſcus* Epiſcopus Wirceburgenſis, & cujus memoriæ immortali idem donavit Autor, diem ſupremum obierit, antequam Opus prelo liberaretur, ac ipſe Autor ſcribere & vivere deſineret, cum binis hiſce Tomis, qui ad tempora Henrici Aucupis perducti nunc prodiere, in præfando manu jam tremula eſſet occupatus: unde ſepulchri monumentum, quo Autor Illuſtris poſt fata donatus, hic conſpicitur. In Præfatione ipſa utilitatem ſummam ex Hiſtoria Epiſcopatuum redundantem demonſtrat Autor, quod exteri jam dudum cognoverint, uti *Samarthanorum Gallia Chriſtiana*, & *Ughelli Italia ſacra* teſtantur. Dolet autem, Germaniam tanto Opere adhuc carere, nec multa ſibi de *Hanſitii Germania ſacra* pollicetur;

tur; illos interea, qui ſingulares Commentarios de Hiſtoria Epiſcopatuum Germaniæ, uti de Salisburgenſi, Spirenſi, & qui ſunt alii, compilaverunt, vel præconiis debitis exornat, vel cum cenſura dimittit. Ex his ſeligendi nobis fuerunt, qui in MSCtis adhuc deliteſcunt, ab Autore vero recenſentur, utpote *Chartularium Eccleſiæ Wormatienſis*, tempore Friderici Barbaroſſæ a quodam Canonico *Ercamberto* in membrana conſcriptum, *Hermanni Crombachii* e Societ. Jeſ. *Metropolis Colonienſis*, ut & Cel. *Ægidii Gelenii Metropolis Colonienſis* triginta volumina ſuperans, *Diplomata Eccleſiæ Hamburgenſis & Bremenſis*, quæ Bremæ quondam, poſt Stadæ, nunc Hannoveræ aſſervantur, *Chartularium Eccleſiæ Bremenſis*, fatis nunc volentibus, Petroburgum translatum, *Schatenii Hiſtoria Epiſcopatus Monaſterienſis*, *Bernhardi Malinkrotii Collectanea Hiſtoriæ Monaſterienſi inſervitura*, *Apographa Diplomatum Archi-Epiſcopatus Magdeburgenſis & Eccleſiæ Hildesbemenſis* ſtudio *Jo. Henr. Hoffmanni* collecta, *Henr. Furckii Hiſtoria Hildesbemenſis Epiſcopatus*, *Lubecenſis Præſulatus Privilegia* volumine ſpiſſo Berolini aſſervata. Hinc ſummam deprædicat Autor benignitatem Reverendiſſimorum Epiſcoporum Wirceburgenſium, *Joannis Philippi Franciſci*, & *Chriſtophori Franciſci*, jam defunctorum, ut & *Friderici Caroli*, nunc feliciſſime regentis, quorum cura ſingulari, permiſſu ac juſſu clementiſſimo abſoluti fuerant Tomi, qui jam in lucem prodierunt. Reddit inſimul rationem, cur res Francorum ab ovo, quod ajunt, ſuccincte primum, deinde fuſius perſequeretur. Erat enim oſtendendum, Francos e Cherſoneſo Cimbrica egreſſos in Germania ab amne Boda, inter Albim & Werram & transſylvam, quam Thuringicam dicimus, circa Mœnum conſediſſe, leges ibi condidiſſe, & Reges elegiſſe, quorum ductu Germaniam & Galliam devictis Romanis ſubjugarunt. Hinc demonſtrandum fuit, Thuringos poſt emigrationem Francorum ſedes eorum occupaſſe, Regnumque ſuum usque ad Danubium finesque Norici & Pannoniæ extendiſſe, ſub *Thuringiæ Magnæ* nomine notum. Pannoniæ viciniam fuiſſe Thuringiam, ex decreto Concilii Turonenſis A. 567 ad S. Radegundis Reginæ, filiæ Bertharii Regis Thuringorum, primæ

primæ Franconiæ Sanctæ preces pro cœnobio Virginum Pictavienſi emiſſo probatur, quod ſupplendum hoc loco duxerat Autor. Mox ad mutationes Monarchiæ Francicæ, & incrementa religionis Chriſtianæ apud Francos progreditur quæ ex Opere ipſo dilucidius cognoſcemus; multa in illo usque huc inedita reperiuntur ex Codicibus antiquioribus Herbipoli noviter inventis, quorum Characteres cum punctis & virgulis juxta formam in antiquioribus membranis ſibi depingi & transmitti juſſerat S. P. Clemens XI. Continet Liber I, *Origines Francorum & migrationes in terras Hermundurorum*, ex quo & ſequentibus potiora, & quidem ſecundum Autoris ſententiam ſeligemus. Francorum nomen a *frech*, ferox, deducitur. Flu- P, 4.
men ſale fœcundum, de quo Hermunduris bellum cum Cattis 7.
hiſce exitioſum obortum, apud *Tacit. Annal.* Lib. 13 cap. 57, Salam Franconicam denotat, cum qua tamen non confundi debet Sala Hanovienſis, cujus meminit *Strabo* Lib. 7 & *Dio* Lib. 55. Valli Romanorum, a Pferinga Heilsbronnam usque excurren- 11.
tis, quod Hermunduros Alemannosque rebelles a Galliis arcebat, conditor potius videtur Adrianus Imperator, quam Probus. Lib. II, *de Francorum irruptionibus in Germaniam Galliasque, Regibusque eorum usque ad Chilperici mortem* agit. Sicam- 20.
bri nomen a pago *Sigham* vel *Sigheim*, ſeu provincia ad *Sigam* amnem prope Rhenum ſunt ſortiti. Francis omnibus haud imperavit Pharamundus, dum Ripuarii ſeparatum haberent Regem, ſed Chlodovæus primum univerſæ Franciæ Monarcha fa- 24.
ctus eſt. Ex nominibus quatuor procerum, qui ſub Pharamundo legem Salicam condiderunt, patent termini regionis, quam ſub ditione tenuit Pharamundus. *Wiſogaſt*, ſeu potius *Wirogaſt*, *Bodogaſt*, *Salogaſt* & *Windogaſt* nomina non ſunt propria, ſed denotant incolas ad Wiram, ſeu Werram, Bodam, Sa- 25.
lam Francorum, & Windam hodie Unſtrutum, quam ob rem regnum ipſius a Boda fluvio per Halberſtadienſis Epiſcopatus ac Principatus Anhaltini partem, & per Mansfeldicum Comitatum, Thuringiam, Franconiamque, quæ ad dextram Mœni ripam eſt, usque ad Speſſartum ſylvam ab initio extenſum fuit. Chlodionis ſedes *Diſpargum* conſtitutum erat in Hennebergia 27.

ad Thuringiam olim pertinente; ubi hodienum mons altiſſi-
mus vocatur *die Diesburg*, quem montem caſtello fuiſſe orna-
tum, probat ſitus loci, vicinia, accolentium rumor, & rudera
putei ibi viſenda. Merovæus non filius, ſed privignus fuit
Chlodionis, quem uxor Chlodionis e priori matrimonio cum
Merovæo parente ſuſceperat. Filii Chlodionis, quorum uni no-
men Chlodebaudi, omnia tentabant, ut paterno regno potiren-
tur. Profugit iſte ad Attilam, eumque ut in Galliam irrumpe-
ret, permovit. Chlodebaudum poſtea, Treviris & Colonia oc-
cupatis A. 465 Regnum ſibi in Ripuariis condidiſſe, ſuſpicari li-
cet. Filius Sigismeres ex Eurici Regis Viſi-Gothorum filia ge-
nuit Sigebertum, Regem Coloniæ, qui Chlodovæum adverſus
Alemannos juvit, occiſus eſt A. 509 a filio Chloderico, qui a
Chlodovæo viciſſim interfectus eſt, unde Sigeberti cum Chlo-
dovæo cognatio patet. Junior forte filiorum Chlodionis, quem
Aetius adoptaverat, eodem tempore obiit, quo Attila irruptio-
nem in Gallias decreverat. Cum ſuos in Belgium duceret
p. 30. Chlodio, Thuringi primum auditi, & in Francorum avita ſede
vacuefacta, a Boda ad Werram usque, bona ipſorum venia
32. conſederunt. Merovæus demum mortuus eſt A. 456. Thu-
ringi terras ſuas in tres pagos diviſerunt, *Thuringeve*, *Angle-
geve*, & *Weringeve*; *Anglegeve* dictus fuit, quoniam in angulo
39. Thuringiæ inter Wipperam, Unſtrutam, Harticosque & con-
nexos montes jacebat, cujus memoriam villæ *Kirchengel*, *Feld-
engel*, aliæque conſervant. *Angli* iſti, cum incolis Cherſoneſi
Cimbricæ præter nomen nihil commune habuerunt, quippe
qui ſeculo ſequenti demum cum reliquis Saxonibus in Britan-
niam abierunt. Nec *Werini* pertinent ad Varinos, ſive Varnos,
Wagriam & vicina loca poſſidentes, diu poſt maris Balthici ac-
colas. Noſtri enim *Werini* a *Wera*, amne in Mœnum ſemet
effundente ſunt denominati. Hinc monumenta ex ſepulchro
Chilperici effoſſa Tornaci, ſumma cum cura hic depinguntur.
48. *Lib. III geſtis Chlodovæi R. deſtinatus eſt.* Hic cum Alarico
Viſigothorum Rege in belli aleam deſcendit ob verba quædam
contumelioſa ab utrisque jacta. *Lib. IV de liberis Chlodovæi,
præſertim Theodorico I. R. Auſtraſiorum* agit; ubi Witichindi
erro-

Digitized by Google

errores contra excidium Thuringorum notantur, & *Runibergum*, ſedes forte Regia Thuringorum, prope quam prœlium commiſſum, de *Roneburgo* Altenburgenſis Principatus oppido explicatur. Chlotarium autem Sueſſionum Regem in debellandis Thuringis fratrem Theodoricum tum juvaſſe aſſeritur. p. 56.
Northuringiam accepere Saxones, excepta terra, quam ſylvæ Hartz includunt, & *Louvia*, ſeu Thuringica, cujus diſtrictus inſignis *die Bloſſe Loebe* hodienum dicitur. Herminfredum Thuring. R. Theudebertus filius Theodorici ex muro Tolbiaci deturbavit. Hinc Thuringi annuum 500 porcorum cenſum ad culinam Regis tradere juſſi; *Lib. V. Theodeberti R. Metenſium geſta* ſiſtit. Tunc Galli, quod Romanis paruiſſent, Romani ſunt vocati. Vitiges provinciam, quam Oſtrogothi in Gallia poſſederant, Francis ceſſit, quod Juſtinianus Imperator confirmavit, atque ſua effigie nummos aureos cudere Francorum Regibus permiſit, cum Arelatem & Maſſiliam, officinas monetarias nunc eſſent adepti: unde Chlodovæo M. & Theodorico nummi aurei falſo tribuuntur. Aureum quidem nummum ſuo ſub nomine cudebant alii etiam Barbarorum Reges, ſed illi effigiem Imperatoris Orientis addebant, & ſi quandoque ſuam apponerent, hoc permiſſu Imperatorum non fiebat. Regum filii ab autoribus hujus ævi Gallicis Reges dicuntur. Hinc nummi Regum Francorum recenſentur, emendati plures, aut detecti, quorum nonnulli ære ſunt cælati. *Lib. VI de rebus Theodebaldi* R. agit, & *Libro VII de Chlotario I*, memoratur, Saxonibus Italiam cum Longobardis intrantibus Francos in partibus Diœceſeos Wirceburgenſis & Halberſtadenſis collocaſſe, Haſſos, & Suevos, unde pagi *Haſigau*, & *Suabigau*, & horum lex *Suavey*, a *Suabe*, Suevus, & *e.e* vel *ebe*, lex. Blitildem fuiſſe filiam Chlotarii, aut Anſbertum Arnulfi Epiſc. Metenſis avum probari nequit. *Lib. VIII. de Sigeberto I Auſtraſiæ & reliquis Francorum Regibus* tractat. *Libro IX de Childeberto II* refertur, ipſum tres literas a Longobardis, Gothis & Anglis mutuatas Alphabeto addidiſſe, nempe, Ω, Ψ. & Δ, ſono *æ*, *th*, & *w*, reſpondentes: nummos autem ipſius nomine ſignatos non reperiri, officinis monetarum in ipſius Regno nondum erectis,

Margin: 55. (Northuringiam) 59. (Hartz) 60. (biaci) 64. (tenſium) 65 ſq. (Gallia) 70. (Hinc nummi) 73. (aut detecti) 84. (Haſſos) 90. (filiam) 116 ſq. (tur, ipſum) 140. (periri)

effigies tamen Childeberti & conjugis ex gemmis Moguntiæ
p. 125. viſendis ſiſtitur. Hinc Synodi Regni Francici annectuntur, ubi in Concilio Aurelianenſi V. A. 549 habito, prima vice decretum
129. cernimus, ut Regum Francorum aſſenſus ad electionem Epi-
148. ſcopi requiratur. *Dominicale* fuit velamen ex tenui linteo capiti impoſitum, cujus extremitate mulieres corpus Domini ac-
156. cipere tenebantur. Nummi Betonis monetarii nomine inſigniti, contra Blancum, recte Childeberto II. vindicantur. *Lib. X Theodeberti II* & *Theodorici II*, ac *Chlotarii II geſta* continet.
158. Fredegundis obitus ad A. 597 recte collocatur, aliis fruſtra diſſentientibus. Tempore Brunechildis, Imperatores Rom. ſibi
160. adhuc aliquod jus in Galliam reſervabant, cum Pontifex absque illorum conſenſu ad Epiſcopos Galliæ pallium mittere non
175. auderet. Sigebertus, Theodorici II. filius, juſſu Chlotarii eſt interfectus, ut adeo fallantur, qui a Sigeberto Habſpurgicos deducunt. Brunechildis ſub viro filioque ita vixit, ut laudem mereretur, ſub nepotibus vero vitiis ingentibus virtutes
176. ſuppreſſit; ditatis tamen templis ac cœnobiis, & viis extructis
187. celebris. *Lib. XI de Clotarii II Regis univerſæ Franciæ geſtis* memoratur, ipſum in artibus liberalibus eruditum literas pin-
193. xiſſe, & diplomata ſubſcriptione muniviſſe. Bellum Dagoberti Saxonicum, ſilentibus antiquis, fictitium ab Eckharto exiſtimatur. *Lib. XII de rebus Dagoberti* Bigargium vicum prope
207. Verſalias hodienum ſupereſſe, & Reges non circulo aureo tantum, ſed interdum coronis radiatis quoque in nummis fuiſſe decoratos, contra Valeſium evincitur. Reges tunc non in civitatibus majoribus ſaltem officinas monetarias habuerunt, ſed
205. in Palatio quoque unam, quæ Reges per villas diſcurrentes ſe-
210. quebatur, *moneta Palatina* vocata. Fundationes Epiſcopatus Argentoratenſis, Cœnobii Weiſſenburgenſis, & S. Petri Erfordiæ Dagoberto I incaſſum adſcribuntur. *Lib. XIII de geſtis Sigeberti III & Chlodovæi*, *Lib. XIV Chlotharii III & Theodo-*
274. *rici III*, *Lib. XV atque XVI Dagoberti II & Theodorici III* agunt. Venit illo tempore S. Kilianus *Wirceburgum*, caſtellum, ſeu oppidum tunc Thuringiæ, poſtea Franconiæ. Nomen *Wirceburgi* falſo derivatur a *Virorum caſtello*, aut a *Würz*, herba,

Digitized by Google

herba, cum *Würz* Germanis magis denotet *radicem aromaticam*, quales hic minime reperiuntur, vel a *Wirth*, caupo, ſive a *Würz*, muſtum, unde quaſi *Muſtopolis*, vel a *Wilzis*, Slavis, qui nunquam huc commigrarunt, ſed potius a *Wirzo*, nomine ex *Virodomaro* corrupto, licet quis ille fuerit, haud pateſcat. Friſiam citeriorem, devicto Radbodo, acceperat Pipinus, unde p. 284.
Trajecti & Coloniæ officinas monetarias inſtituit, ex quibus duos notamus nummos: unum, caput regium cum diademate gemmeo exhibentem, hac epigraphe: *Triecto ſit:* hoc eſt, Trajecti; in poſtica, crux & *Adelbertus Ho*, ſive *Monetarius*. In altero comparet viri caput, ſine diademate, myſtace conſpicuum, cum inſcriptione: *Tricirco Fit*, quod ex Triecto corruptum eſt; averſa crucem ſuper gradibus duobus exhibet, cum literis obſcuris, quas aliis exponendas relinquit Autor.
*Mamacca*, ubi Merovingi cuſtodiebantur, hodie dicitur Maumaques, ſeu Mommarques. 285.
Poſt Theodoricum III Nummi 291.
aſpectu horrido ſine Regum nomine cuſi, monetariorum ſaltem nomina præferunt, quos ad illuſtrandam Geographiam mediam æri incidi curavit Autor. *Lib. XVII pandit geſta Chlodovæi III, Lib. XVIII Childeberti III, Lib. XIX Dagoberti III, Lib. XX Chilperici II, Lib. XXI Theodorici IV, Lib. XXII Caroli Martelli, tempore interregni, Lib. XXIII Carolomanni & Pipini*, ac *S. Burcardi* primi *Wirceburgenſis Epiſcopi*, *Lib. XXIV reliqua Pipini*, *filiorumque Caroli & Carolomanni*, *ac Megingaudi Epiſc.*, *Lib. XXV Caroli M. R. & Bernwelfi Epiſc.*, ex quibus nonnulla adhuc erunt addenda. Nomen *Utrecht*, 306.
non a Trajecto veteri, quaſi *Oldtrecht*, ſed a *Wiltis*, Friſiorum populo, non vero Slavorum Wilzis derivatur, quaſi *Wiltrecht*. Carolus Martellus victis Saxonibus, Thuringiam verſus meridiem, Haſſiamque, *Franciæ Novæ*, ſeu *Franconiæ* nomine indigitavit. 377.
Caroli Martelli poſteri, ut a Merovingis ſe diſtinguerent, ſuccisis capillis uſi ſunt, ſi unicum Carolomannum, Caroli M. fratrem excipias. 381.
Detectis S. Kiliani exuviis, S. Bonifacius primum Wirceburgi S. Burcardum A 741, non 750 389.
Epiſcopali dignitate ornavit. Tertiam partem mulctæ ex *heribanno* capiebant Comites, quæ cum S. Burcardo fuerit tri- 393 ſq.
buta,

buta, nullique Comites in ejus diœceſi reperiantur, inde ſtatuit
Autor, hunc Epiſcopum ſtatim accepiſſe Ducatum Franconiæ
cum poteſtate judiciaria, ad ſucceſſores translatum: Præſulem
quoque fuiſſe Electorem veteris ævi: præterea hoc omne ideo
p. 399. factum, quod tyrannicum Ducum imperium his populis exo-
ſum, ſacerdotes autem in maximo habiti eſſent honore, unde
proficuum videbatur, Epiſcopum judicem illis præficere, cui
libentes ſe ſubmitterent; quas opiniones cujusvis judicio per-
405 ſeqq. pendendas relinquimus. Hinc ſingularia de Germanorum
cultu ethnico ab Autore proponuntur. Corpora S. Kiliani &
454. ſociorum A. 743 ſunt levata, & in caſtrum Wirceburgenſe pri-
481. mum, poſtea in locum martyrii eorum, Baſilicam a S. Burcar-
do exſtructam, translata, cujus memoria VIII Idus Julii quot-
annis colitur. Fuldenſe cœnobium primordia cœpit A. 742,
462 ſqq. & Moguntinæ Eccleſiæ fuit ſubjectum in temporalibus, Wir-
ceburgenſi in ſpiritualibus. Carolomannum pœnitentia mo-
tum, quod in bello Alemannico multa hominum millia occi-
474. diſſet, ſeculo valedixiſſe traduut. Filium genuerat Drogonem,
478. cujus tutorem eſſe voluit Pipinum, donec juſtæ ætatis regimi-
ni præeſſe poſſet: non enim nude reſignaverat Carolomannus
fratri imperium, ſed Pipinus poſtea hunc Drogonem cœno-
495 ſq. bio incluſit. S. Bonifacius non videtur, Pipino Regiam digni-
tatem ambienti faviſſe, neque S. Burcardus in cauſa Pipini ad
Zachariam Pont. miſſus eſt, cum Lulli iter, alia longe de cauſa
ablegati, plerique huc referant, & Zachariam Pont. aut Bonifa-
cium & Burcardum Pipini facta probaſſe, haud monſtrari queat.
499. Falſa hinc diplomata Fuldenſium, quæ partim æri inciſa exhi-
553. bentur, pro aſſerenda exemtione a jurisdictione diœceſana, con-
589 ſq. futantur. Donatio Pipini S. Burcardo facta redditur merito
518. ſuſpecta, cum alio jure loca ibi memorata fuerint ad Wirce-
burgenſem Eccleſiam delata. Obiit S. Burcardus A. 753, mi-
522. nime vero A. 701. Numisma Carolomanni Judaicum Mene-
599. ſtrierius quondam vitioſe, ſed Cel. *Hardt* & *Wolfius* accu-
611. rate expoſuerunt. Vinearum prima mentio in Franconia fit
645. circa annum 777, quas ideo S. Burcardus cum ſuis plantaſſe
videtur, ut vinum ſacris adhibendum inde haberent. Ham-
mel-

melburgum diœceſi Wirceburgenſi ſubfuiſſe, nec Fuldenſibus
donatum a Carolo M. adverſus diploma eorundem ſuppoſi-
titium, multis monſtratur. Paderbornenſis Eccleſia victis Sa- p. 622 &
xonibus Wirceburgenſi Epiſcopo ſubjecta, ſed Epiſcopatus a 654 ſq.
Carolo in Saxonia non erecti, cum voto ſaltem ad illos con-
dendos ſemet obſtrinxiſſe videatur. Caroli M. exercitus in 655.
Hiſpaniam feliciſſime irrumpens in reditu partim cæſus eſt.
Limites Wirceburgenſis diœceſeos contra Fuldenſes vindican- 674.
tur. Witichindus Attiniaci A. 785 baptizatus eſt. Megingan- 701.
dus Wirceburg. Epiſc. obiit A. 794, poſteaquam Bernwelfo
A. 785 reſignaſſet Epiſcopatum, & in cœnobium Neoſtadienſe 703.
receſſiſſet, cujus monaſterii diplomata Carolina falſitatis coar-
guuntur. Caroli M. charta pro Trutmanno ex pluribus ar-
gumentis videtur ſuppoſititia. Francofurti ad Mœnum ini- 736.
tia a Carolomannis, Pipini Regis fratre & filio ſunt ducenda, 752.
qui in Alemanniam moventes exercitum hic congregaverant.
Colonia inter annos 794 & 799 demum Metropolis facta. Bern- 756.
welſus Epiſc. Wirceburgenſis ob ſimultates cum anteceſſore,
qui bona plurima cœnobio Neoſtadienſi contulerat, Eccleſiam
S. Kiliani monachis remotis occupavit, & Saxonibus atque
Slavis in diœceſi Wirceburgenſi ad Chriſtum adducendis inſi- 802.
gnem operam navavit. Tomo huic ſubnectuntur Appendices
ex variis Codicibus MSCtis collectæ, res huc usque deſcriptas
egregie illuſtrantes, quas inter 1) comparet *Annotatio tempo-* 803.
*ris vetuſta ex Codice MSC. Homiliarum S Burcardi antiquiſ-*
*ſimo depromta,* 2) *Annales breves ex Codice ſeculi noni,* 3) *An-* 804 & 5.
*nales breves anno 816 conſcripti,* 4) *Chronicon Wirceburgenſe* 806.
*Baluzianum,* 5) *Anonymi Chronicon Wirceburgenſe A. 1340 con-*
*ſcriptum, & usque ad Laurentium de Bibra continuatum*, ex 816.
Codice MSC. monaſterii S. Stephani Wirceb. 6) *Venerabilis* 825.
*Bedæ liber de ratione temporum cum Bibliothecæ Cathedralis*
*Wirceburg. Codice collatus*, adjectis *binis Chronicis vetuſtiſſimis*,
7) *Additamentum ad Bedæ Martyrologium*, ex Codice Wirce- 829.
burg. ſeculo IX exarato, 8) *Necrologium inſertum Bedæ Mar-* 830.
*tyrologio*, ex Codice Wirceb. ſeculi IX. 9) Excerpta *ex Calen-* 834.
*dario Miſſalis Friſingenſis vetuſtiſſimo,* 10) *Burcardi Epiſc. Wir-* 837.



Digitized by Google

*ceb. Codex Homiliarum*, ex Bibliotheca Cathedrali Wirceb. excerptus, cui nonnulla ex MSCto ære cælata inſeruntur, 11)
p. 847. *Gloſſæ veteres lingua Hibernica*, Epiſtolis D. *Pauli* adſcriptæ,
853. ex Cod. Sec. IX Wirceb. 12) *Gloſſarium Romano-Theotiſcum*, ex Codice ſeculi octavi, in Fuldenſi quondam, nunc Bibliotheca Haſſo-Caſſellana aſſervato, cui eruditas ſubjunxit notas Au-
864. tor, 13) *Fragmentum fabulæ Romanticæ, Saxonica Dialecto Sec. octavo conſcriptæ*, ex Codice Haſſo-Caſſellano, cum interpreta-
902. tione Autoris & notis ſucci plenis, 14) *Autoris Commentatiuncula de Anonymo Ravennate, ejuſque ætate*, quippe quem gente Gothorum, ſeculo VII vixiſſe, & jam ante annum 647 ſua con-
912. ſcripſiſſe, evincit. 15) *Vita S. Chrodegangi, Epiſc. Metenſis*, ex
936. Codice ſeculi XII Guelferbytano, 16) *Ottonis, Ducis Brunſuicenſis privilegium*, quo Jus Francorum civitati Mundenſi confirmatur. Index copioſiſſimus Tomo huic I ſubnectitur; ex Tomo II notatu digniora brevi dabimus. Interea dogmatibus fidei Romano-Catholicæ Autorem nimis interdum indul-
473 530 &c. ſiſſe facile liquet. Illud vero ſummis deprædicandum laudibus exiſtimavimus, quod Autor voculas medii ævi obſcuras indefeſſa cum cura ſit interpretatus; ex quibus Gloſſarium Fresnæi Latinum inſigni augmento poſſet donari.

## *DE INITIO METROPOLEOS ECCLESIAſticæ Coloniæ Claudiæ Auguſtæ Agrippinenſium diſquiſitio.*

Coloniæ, ſumptibus Joannis Engelert prope Unaw, 1731, 4.
Plag. 4.

p. 3. AEgidius Gelenius, qui variis ad Hiſtoriam Colonienſem Eccleſiaſticam pertinentibus ſcriptis ſuperiori ſeculo editis, de patria ſua bene mereri ſtuduit, in vita S. Agilolfi p. 31 tuetur, S. Agilolfum primum Archiepiſcopum Colonienſem a Zacharia Papa medio ſeculi octavi creatum eſſe. Eandem propemodum ſententiam haud ita pridem propugnavit Vir doctiſſimus *Ignatius Roderique* in tertia diſceptatione adverſus *Edmundum Martene* O. S. Bened. P. I Cap. III p. 17. Contendit enim a S. Bonifacio

Digitized by Google

facio initium & fundamentum dignitatis Archiepiſcopalis Colonienſis repetendum eſſe. Clariſſimus Autor hujus, quam præ manibus habemus, diſſertationis, cujus nomen ignoramus, & quem Jeſuitam eſſe conjicimus, varia in hiſce *Gelenii* & *Roderici* opinionibus reprehendi debere exiſtimat; neque e dignitate Eccleſ. Colonienſis eſſe ſibi perſuadet; quod demum ſeculo octavo Archiepiſcopalem dignitatem conſecuta ſit. Omnem igitur navat operam, ut non ſolum has ſententias infirmet, verum etiam ut aliam, quam veritati magis conſentaneam eſſe putat, argumentis ſtabiliat. Videlicet, ut ab ultimo ordiamur, Clariſſ. Autor defendit; dignitatem Archiepiſcopalem Eccleſiæ Colonienſis temporibus S. Materni, quem di- P. 4.
ſcipulum *Petri* Apoſtoli fuiſſe perhibet, cœpiſſe. Seculo autem octavo, cum hæc dignitas per varias bellorum clades, quibus afflicta fuit Colonia, obſcurata eſſet, huic Eccleſiæ Archiepiſcopalem dignitatem tantum confirmatam eſſe. Triplici argumento cauſam ſuam agit. Primum argumentum in epiſtola Zachariæ Papæ, quæ Tomo III Concil. p. 1909, edit. *Harduini* deprehenditur, præſidium & adjumentum quærit. Inibi dicitur: *De civitate namque illa, quæ nuper Agrippina* 5-10.
*vocabatur, nunc vero Colonia, juxta petitionem Francorum per noſtræ autoritatis præceptum nomini tuo metropolin confirmavimus* &c. Cum enim h. l. dicatur *confirmamus Metropolin* inde Anonym. concludit; jam antea Colon. Eccleſiam metropoliticam fuiſſe. Argumentum alterum, quare Coloniam longe 11. 12.
ante VIII ſeculum Archiepiſcopalem ſedem fuiſſe dicit; ita ſe habet: *Eſt regula Apoſtolica*, ipſis Anonymi verbis utimur, *ab ipſo Spiritu S. dictata, & Conciliis approbata: dignitatem eccleſiaſticam pari paſſu cum civili incedere, & quæ Imperiorum & provinciarum metropoles, eaſdem Eccleſiarum fuiſſe. Jam vero cum Cæſaris & Taciti ætate Civilis Agrippinenſium autoritas tanta fuerit, ut nulli Germanicarum aut Francicarum urbium ſecunda ſit*; vel ex eo confici poſſe exiſtimat; jam ſeculo primo Coloniam metropolin fuiſſe eccleſiaſticam. Ipſe tamen Vir Doctiſſ. in Addendis, quæ commentationi huic atte- 32.
xuit, agnoſcit; ſuam generalem de metropolibus obſervatio-

 nem

nem numero multis exceptionibus obnoxiam eſſe, & ſæpiſſime eveniſſe, metropolin civilem nullam fuiſſe eccleſiaſticam.
p. 12—22. Tertium argumentum, cui Autor maximum ſtatuit pretium, eſt; Epiſcopos Colonienſes ante ſeculum VIII jura exercuiſſe metropolitica. Quod ut probet, primo commemorat S. Cunibertum anno circiter 660 S. Theodardum Epiſcopum Tungrenſem ordinaſſe. Eundem Cunibertum ab anonymo ſeculi IX ſcriptore vitæ S. Remali Archiepiſcopum totidem verbis
21. appellari, tradit Tum præcipue urget; Biographos S. Severini, Evergisli, Cuniberti teſtari; ab his viris *Tungrenſem Eccleſiam, quæ propio dudum Epiſcopo gloriabatur, paſtorali ſollicitudine viſitatam fuiſſe.* Extra controverſiam autem eſſe tuetur Autor noſter; illum Epiſcopum, qui alios Epiſcopos ordinat, & *Viſitationem ſuffraganeorum* inſtituit; inter Archiepiſcopos numerari debere. Hactenus vidimus, quomodo Anonymus ſuam opinionem de antiquitate Colonienſis Archiepiſcopatus probare conetur; ordo igitur requirit, ut exemplis quibusdam doceamus, quomodo adverſariorum ſuorum objectionibus occurrat. *Gelenius* & *Rodericus* ſecundum Ano-
25. nymi recenſionem, præcipue objiciunt: *Non ſubſcribuntur, non inſcribuntur, non compellantur Archiepiſcopi, qui ante ſeculum VIII Colonienſes Epiſcopi fuere.* Ipſe Papa Zacharias Prædeceſſores Agilolfi tantum Epiſcopos nominat. Sigillatim Maternus Agrippinenſis nullos potuit habere ſuffraganeos Epiſcopos. Ad duas priores objectiones reſpondet; nullam vim ineſſe argumento negativo, quod cœcum merito appelletur. Nullo modo ſequi; quidquid ego oculis non uſurpavi, nullibi extat; neque ex ſilentio ſcriptorum aliquid poſſe colligi. Multis exemplis poſſe probari, quod illi, qui ſine ulla dubitatione fuere Archiepiſcopi, tantum Epiſcopos ſemetipſos nominaverint, & etiam ab aliis nominati ſint. Præterea etiam aliquot ſcriptores adducit, qui Colonienſes Epiſcopos ante ſeculum VIII celebres, Archiepiſcopos appellarint. Ut autem alteri objectioni ſatisfaciat, qua Maternus nullos Epiſcopos ſuffraganeos
16. habuiſſe dicitur, quærit; *Quos Romam veniens Petrus habuit ſuffraganeos, quos in Creta Titus, Epheſi Timotheus reperit?*
*nullos*

Digitized by Google

*nullos opinor. — Quare undequaque verum non eſt, quod Rodericus aſſeverat ; nullum ſine ſuffraganeis eſſe Archiepiſcopum.* Quæ quidem obſervatio, utrum cum veteris Eccleſiæ diſciplina poſſit conciliari, antiquitatis eccleſiaſticæ conſultis judicandum relinquimus; & illud tantum addimus Clar. Autorem *Maternum*, quem *Petri* diſcipulum dicit, cum *Materno*, qui ſeculo IV vixit, & Conſtantino M. charus fuit, procul dubio in hac comment. confundere. Neque etiam plauſum merebitur ejus obſervatio : eſſe regulam ab ipſo Spiritu S. præſcriptam metropolin civilem etiam eccleſiaſticam eſſe debere. p. 3–7. De Colonia atque eccleſiis Francicis, jam Cæſaris ætate, ſecundum Anonymi opinionem, florentibus nihil commemoramus, cum *Rodericus*, cujus diſſertationis mox mentionem faciemus, de iis data opera diſſerat.

## *S. COLONIENSIS ECCLESIÆ DE SUÆ Metropoleos origine traditio vindicata ab impugnationibus diſquiſitoris Anonymi*; *Autore* IGNATIO RODERIQUE.

Coloniæ Agripp. apud Joannem Langenberg, 1731, 4.
Plag. 8.

DOctiſſ. Autor ſuam de origine Metropoleos Colonienſis ſententiam contra objectiones Anonymi, cujus diſquiſitionem modo recenſuimus, hac diſſertatione dedita opera tuetur. Principe loco id præcipue agit, ut invidiam ab opinione ſua removeat, atque demonſtret, ſe nihil quicquam defendiſſe, quod non cum traditione Eccleſiæ Colonienſis exacte conſpiret. Nempe provocat ad Officia S. S. quibus Eccleſia Colonienſis utitur, ante centum annos Ferdinandi Archiepiſcopi juſſu recognita, & Sereniſſ. Clementis Auguſti autoritate ante non ita multos annos iterum recuſa. Cum enim Eccleſia Colonienſis celebret Officium quinque Antiſtitum, qui ante ſeculum octavum vixerunt, Materni, Agilolfi, Severini, Evergisli & Cuniberti, trium vero, qui poſt hoc ſeculum floruerunt; Heriberti, Annonis & Engelberti ; hos tres autem ſemper Ar-



Digitized by Google

chiepiſcopos appellet, priores quinque nunquam; Clariſſ. Au-
tor concludit, non caſu hoc eveniſſe, ſed Eccleſiæ Colonienſis
hanc eſſe traditionem; ante ſeculum octavum medium nul-
lum Colonienſem fuiſſe Archiepiſcopum. Quæ quidem ex
quo expoſuit, ad ipſa Anonymi argumenta ſe convertit. In iis
autem evertendis non eum, quem Anonymus ſecutus eſt, or-
dinem ſervat, ſed ſecundum primo loco, tum tertium, denique
primum aggreditur. Hunc enim ordinem naturæ rei magis
convenire exiſtimat. Secundum Anonymi argumentum erat:
ibi eſſe debere metropoles eccleſiaſticas, ubi ſint metropoles
civiles, & per conſequens Coloniam, ab antiquiſſimis tempori-
bus metropolem civilem, etiam eccleſiaſticam fuiſſe. Clariſſ.
p. 9. *Rodericus* tria in hoc argumento reprehendit. Primo tenet,
propoſitionem Anon. univerſalem non poſſe applicari tribus
primis a Chriſto nato ſeculis. Ex illorum enim ſeculorum hiſto-
ria, ne unicum quidem poſſe in medium proferri teſtimonium,
ex quo conſtet, Coloniam civilem metropolin fuiſſe. Ano-
nymum quidem ad *Tacitum* & *Cæſarem* provocare. Sed *Cæ-
ſarem* hujus rei teſtem eſſe nullo modo poſſe, cum ejus æta-
te nulli Agrippinenſes extiterint, neque etiam de *Cæſare* con-
ſtet, quod fuerit Propheta. *Taciti* ætate Agrippinenſes qui-
dem fuiſſe, ſed apud *Tacitum* nihil deprehendi, ex quo confi-
10. ci queat, Coloniam metropolin civilem fuiſſe. Alterum, quod
Autor noſter in Anonymi ſecundo argumento deſiderat, eſt,
quod regula, cujus Anonymus mentionem facit, non ſit uni-
verſalis, adeoque etiam non idonea, ut concluſiones inde deri-
ventur. Sexcentis enim exemplis conſtare, metropoles civiles
13–15. non eccleſiaſticas metropoles fuiſſe. Tertio monet, quod li-
cet Anonymi regula univerſalis eſſet, reſpectu reliquarum Ec-
cleſiarum, in Colonienſi tamen Eccleſia locum habere nequeat.
Ex Canone enim IV Nicæno manifeſtum eſſe; unamquamque
provinciam eccleſiaſticam conſtare debere pluribus quam tri-
bus Epiſcopis. Cum igitur in Germania ſecunda, cujus metro-
polis civilis poſt ſeculum quartum Colonia erat, ante ſeculum
VIII præter Colonienſem Epiſcopum unicus tantum Tungren-
ſis fuerit Epiſcopus, qui nunc Leodienſis appellatur; inde effici,
ibidem

Digitized by Google

ibidem ante ſeculum octavum provinciam Eccleſiaſticam eſſe non potuiſſe. Cap. II Clar. Autor tertium Anonymi argumentum aggreditur, & propugnat ab Antiſtitibus Colon. ante ſeculum VIII, neque Metropolitæ titulum uſurpatum, neque Metropolitani munia exercita fuiſſe. Ad primum quod attinet, ad Celeberr. Viros *Petrum de Marca*, & *Jo. Mabillonium* provocat. Ex quorum obſervatione conſtat, ante ſeculum octavum Archiepiſcopi nomen de Metropolitanis omnibus non fuiſſe adhibitum, & propterea ſi in monumento aliquo ante ſeculum VIII confecto Archiepiſcopi nomen occurrat, ex eo nihil poſſe probari. Præterea annotat, ſæpe uſu venire, quod nepotum axioma eorum majoribus tribuat poſteritas. Id quod ipſius Anonymi exemplo illuſtrat. Nempe ille Cunibertum Dagoberti Archi-Cancellarium appellarat; cum tamen ſub Merovingicis nulli fuerint Archi-Cancellarii, ſed tantum Referendarii, eadem fere autoritate & officio. Nihil quicquam igitur valere ab Anonymo prolata teſtimonia, in quibus Antiſtites Colonienſes, qui ante VIII ſeculum vixerunt, Archiepiſcopi appellantur. Neminem autem ſcriptorum comparis ætatis Metropolitas Antiſtites Colon. ante ſeculum octavum dixiſſe. Alterum quod concernit, Doctiſſ. Autor ſub examen vocat, utrum ſequatur; Cunibertus Epiſcopus Colonienſis anno circiter 660 Theodardum Epiſcopum Tungrenſem ordinavit, S. Severinus Colon. Antiſtes Eccleſiam Tungrenſem viſitavit; ergo ante ſeculum VIII Colonienſis Antiſtes jura Metropolitica exercuit. Contendit Cl. Autor neque Cunibertum neque Severinum Metropolitica jura ſibi vindicaſſe. Cuniberti ætate receptum fuiſſe Epiſcopos a Palatio, ut veteres loquuntur, approbari, & in ipſo etiam palatio ordinari. Cum igitur ipſe quoque Theodardus Palatii conſenſu electus dicatur, nil mirum, quod Cunibertus, qui inibi commorabatur, eum conſecraverit; licet vel maxime Metropolita non fuerit. Severinum quoque viſitaſſe Tungrenſem Eccleſ. non ut Metropolitæ officia impleret, ſed ut curam gereret Eccleſiæ, quæ nullum tum temporis Epiſcopum habebat, ſingulari induſtria probat. Cap. III Doctiſſ. Autor ex inſtituto defendit poſt S. Cunibertum ad ſeculum VIII medium

p. 17. 18. 23. 25–28.

Digitized by Google

medium usque nullum Colonienſem fuiſſe Metropolitam.
p. 31. 32. Eam in rem adducit ipſius Bonifacii verba; qui A. 741 ad Zachariam Papam ſcripſit; per annos 80 nullum Archiepiſcopum in Auſtraſiæ regno fuiſſe. Ibidem probat, Bonifacium A. 742 in Concilio Germanico primo Auſtraſiæ Archiepiſcopum conſtitutum eſſe, mortuo autem A. 743 Reginfredo Colon. Epiſcopo, Francos Bonifacio, Colonienſem ſedem aſſignaſſe Metropoliticam. Quam quidem ſedem Zacharias Papa Bonifacio
34–38. his verbis confirmarit: *juxta petitionem Francorum per noſtræ autoritatis præceptum nomini tuo metropolin confirmavimus.* Ex quibus quidem verbis cum Anonymus primum ſuum argumentum ducat, & opinetur inde ſequi, quod jam ante Bonifacii tempora Colonia Metropolis Eccleſ. fuerit; Autor noſter reſpondet, Zachariam his verbis nihil aliud dicere, quam ſe confirmare Bonifacio ſedem Metropolitanam a Francis illi deſtinatam. Bonifacium in aliqua epiſtola ad Zachariam data petere; ut Papa confirmet tres Epiſcopatus, Wirtzburgenſem, Eichſtadienſem & Buriburgenſem recens a ſe deſignatos. Ex
40–45. voce igitur confirmare nihil pro Anonymo ſequi. Cap. IV Cl. Autor de Metropolitica dignitate Colonia cum Bonifacio Moguntiam translata, & eodem ſeculo Coloniæ ſub auſpiciis Caro-
47–64. li M. reddita diſſerit. Cap. autem V & ultimo varios errores Anonymo exprobrat, quos commiſiſſe ipſi videtur, & qui tamen ad palmariam controverſiam proxime non ſpectant. Qua quidem occaſione de Eccleſiæ in Auſtraſia per annos 80 ante Bonifacii Archiepiſcopatum ſtatu; de Trajectenſi Epiſcopatu, de Epiſcopatibus Saxoniæ &c. varias obſervationes in medium profert, quæ utique teſtantur, doctiſſimum Autorem in antiquitatis eccleſiaſticæ ſtudio egregie verſatum eſſe. Ceterum ad ipſam præcipuam, quæ inter Clar. Autorem & Anonymum intercedit, controverſiam quod attinet, noſtrum non patitur inſtitutum, ut de eadem noſtrum adjiciamus judicium. Non inutile tamen eſſe opinamur B. L., de hac contentione judicium laturo, in memoriam revocare Celeberr. Regis noſtri Conſil. Aulicum D. *Jo. Jacob. Maſcovium* in Diſſert. de Primatibus, Metropolitanis & reliquis Epiſcopis Eccleſiæ Germanicæ in hac ipſa Lipſi-

Lipſienſi Acad. A. 1729 habita p. 35–40, eandem hanc controverſiam attigiſſe, ubi media incedit via, & propugnat, ſeculo quidem quarto Colonienſem Eccleſiam jam metropolin fuiſſe, ſed cum hæc dignitas per varias bellorum clades fuerit ſequenti ætate obſcurata, ſeculo octavo demum Colonienſi Eccleſiæ jus metropoleos reſtitutum eſſe.

*PHILIPPI FRIDERICI HANE, S.S. THEOL. D. Ejusdemque & Hiſtoriar. in Acad. Kilonienſi P.P. Hiſtoria critica Aug. Conf. cujus ſectio prior, de editionibus germanicis invariatis, variatis ac denique corruptis diſtincte præcipiens, una cum appendice pragmatica argumentorum aliquot theologicorum, quibus Critica A. C. Hiſtoria lucem quandam ſufficit, nunc exhibetur.*

Kilonii, literis Godofr. Bartſchii, Acad. Typogr. 1732, 4.

Plag. 18.

SAcra Auguſtanæ Confeſſionis ſecularia præter alias Academias & Kilonienſis, auſpicio Regii Celſiſſimique Cimbriæ Principis Caroli Friderici maxime ſolenni ritu feſtive egit, atque ſcriptis hac occaſione editis & de ipſa A. C. & de ejus hiſtoria bene meruit. Ex hac enim, quam præ manibus habemus, commentatione, & ex libro, cujus index: *Gedenckmahl der Holſteiniſchen Jubel-Freude*, Kilonii 1731. in 4. edito diſcimus; ſumme Venerab. in Holſatia Theologum Primarium *Henricum Muhlium* anno ſeculari 1730 accuratiſſimam A. C. editionem variantibus lectionibus ſecundum regulas criticas ſtudioſe examinatis, ſumma cum cura additis, in 8 publici juris feciſſe, & omnium, qui ad hoc usque tempus A. C. ediderunt, induſtriam ſuperaſſe. Quam quidem editionem, cum Ven. *Muhlius* adornaret, tantus illi ad manus fuit editionum A. C. numerus; ut dubium ſit; utrum in aliqua Bibliotheca tot editionum A. C. exempla junctim deprehendantur. S. Rev. *Hanius*, quem Ven. *Muhlius* in conferendis inter ſe A. C. editionibus ſocium ſibi

pag. 28. 17–27.

ſibi adſcivit, in rem ſuam & una reipublicæ literariæ magnum hunc editionum A. C. numerum, hac ipſa *Hiſtoria Critica Aug. Confeſſ. ſectione priore*, vertere incipit. Quam quidem ſectionem in Acad. Cimbrica Reſpondente *Bernh. Jo. Franckio*, Kilon. duabus diſſertationibus haud ita pridem tuitus eſt.
p. 58. Quemadmodum vero S. R. Autor omnibus ad hanc materiam perſequendam neceſſariis ſubſidiis fuit inſtructus; ſic B. L. intelliget, illum debita etiam accuratione adhibita hoc argumentum pertractaſſe. Noſtrum erit ſummam hujus commentationis paucis indicare. Ex quo S. R. Autor in prooemio illos ſcriptores ſtudioſe enumeravit; qui de critica A. C. hiſtoria quondam bene meriti ſunt, ipſe de eodem argumento com-
14. mentari incipit. *Autores defenſionis iteratæ pupillæ Evangelicæ* Cap. 24 inter exempla A. C. *invariata*, *variata*, *& corrupta* diſcrimen faciendum eſſe monent. Hanc igitur diſtinctionem Autor noſter retinet, & Cap. I de editionibus Germanicis invariatis, Cap. II de variatis Cap. III de depravatis ſive corruptis diſſerit. Invariata exempla illa dicit, quæ exemplum illud avthenticum in ſolenni Cæſaris ac ſtatuum Imperii panegyri publice prælectum, ac deinde ad publicum Imperii Archivum repoſitum, non tantum quoad ſenſum, ſed etiam quoad verba
17-22. quam exactiſſime referunt. Tribus vicibus collationem A. C. exemplorum cum Archetypo Moguntino inſtitutam eſſe ex teſtimoniis fide dignis probat. Primam enim Joachimum II Electorem Brandenb. anno circ. 1710, alteram Auguſtum Electorem Saxoniæ circa annum 1577, cum de libro Concordiæ condendo ageretur, inſtitui curaſſe. De tertia collatione annotat, quod ex *Theologorum Saxonicorum iterata defenſione Pupillæ Cap. 27*, conſtet Principem quendam Evangelicum ab Electore Moguntino *Jo. Sweigkhardo*, qui ab A. 1604–1626 ſedi Mogunt. præfuit, archetypi A. C. exempli uſum impetraſſe; non autem certum eſſe, quinam ille Princeps fuerit, licet, eum Ludo-
21. vicum V Haſſo-Darmſtadienſem fuiſſe, conjici forſan poſſit.
22–40. Quæ poſtquam Vir S. R. uberius expoſuit; invariatarum A. C. editionum, quæ alicujus momenti ſunt, recenſum inſtituit. De quibus etiam varias obſervationes criticas uſu ſuo non caritu-

tas,

ras, felici ſolertia ſuppeditat. Cap. II S. R. Autor de editionibus A. C. germanicis variatis agit. Variatas enim appellat, quæ a genuina quidem avthentici exempli ſententia neutiquam deflectunt, inverſo tamen, mutato, quin & amplificato nonnunquam rerum ac verborum ordine eandem exhibent. Principe loco Cl. Autor in Autorem atque cauſam hujus variationis inquirit; atque *Philippo Melanchthoni* hanc variationem tribuendam eſſe contendit. Cum enim poſt exhibitam A. C. intellexiſſet, Pontificios Refutatores A. C. ſententiam vel non ſatis aſſecutos fuiſſe, vel in ſuam partem traxiſſe, vel etiam prorſus pervertiſſe, illum eo potiſſimum conſilio aliquot A. C. locutiones immutaſſe, ut retento eodem confeſſionis exhibitæ ſenſu mentem Confeſſorum clarius exponeret. Immutandi autem hoc variandique negotium Auguſtæ, ut videtur, in Comitiis a *Melanchthone* ſuſceptum, mox anno ſequente Wittebergæ confectum abſolutumque eſſe. Anno enim 1531 A. C. una cum Apologia in 4 idiomate vernaculo apud *Georgium Rhawium* prodiiſſe. Quæ quidem editio reliquarum variatarum velut prototypus fuerit. Ad ipſam variationis rationem quod attinet, illam Clar. Autor §. 4 ſingulari induſtria exponit, & præter alia obſervat *Phil. Melanchthonem* in articulo 4 A. C. locutionem: *Gnade erlangen um Chriſtus willen*, quæ in invariata deprehenditur, quater cum alia permutaſſe: *Vor Gott gerecht geſchätzet werden um Chriſtus willen durch den Glauben.* Unde Vir S. R. conjicit, e præcipuis mutationis a *Melanchthone* ſuſceptæ cauſis, fuiſſe, quod juſtificationem, quæ fit per imputationem juſtitiæ Chriſti, clarius deſcribere voluerit. De applauſu, quo hæc variatio tum temporis ſuſcepta eſt, Autor noſter annotat, quod Principes atque Theologi Evangelici prioribus 40 poſt confeſſionem exhibitam annis de A. C. Vitemb. 1531 in 4 edita pro genuina ſuſcipienda nunquam dubitaverint. Eam Theologos A. 1537 in conventu Schmalcaldenſi congregatos ſuo probaſſe calculo, & Principes in Concilio Numburgenſi A. 1561 pro norma genuina ac reliquis tutiori agnoviſſe. Extare eandem in edit. Operum *Lutheri* Jenenſi atque Altenburgenſi, in corporibus doctrinæ Julio, Thuringico, Pruthe-

p. 42. 45. 46. 49–55. 52. 55–67. 68–70.

nico &c. Ceterum ſub finem hujus capitis obſervat, quod licet in Corpore doctrinæ Julio atque Norico, quæ in locis iis, quibus pro norma data ſunt, etiam nunc ſymbolicam obtinent autoritatem, variata deprehendatur A. C. editio, earum tamen Eccleſ. Doctores non propterea hanc A. C. editionem recipere, ut rejiciant invariatam, ſed eos tantum tueri, nullum eſſe inter hanc variatam & invariatam editionem, quoad ſenſum, differentiam. Cap. III & ult. S. R. Autor *de editionibus germanicis, iisque corruptis etiam ac depravatis* commentatur. Quas quidem deſcribit, quod non ſolum verbis, ſententiis atque novis argumentis ab exemplo archetypo recedant, verum etiam genuinum primorum confeſſorum ſenſum hinc inde pervertant. Eorum, quæ de his editionibus Autor noſter tradit & ex inſtituto probat, ſumma eſt; *Philippum Melanchthonem* in editione, quæ Wittemb. 1556 in 8, ab hæredibus Rhawiani typographei in lucem protruſa eſt, demum germanicum A. C. textum, & præcipue articulos IV, V, VI & XIII, XV & XX, eo potiſſimum conſilio, ut Synergiſtis A. C. non contradiceret, corrupiſſe. In gratiam autem *Sacramentariorum Melanchthonem* iteratam hanc editionis Germanicæ variationem neutiquam ſuſcepiſſe, inde intelligi, quod in articulo X, qui de ſacra cœna agit, in hac editione ne litera quidem fuerit mutata. Magnam etiam hanc corruptam A. C. editionem autoritatem conſecutam eſſe. Anno enim 1557 in Opp. *Lutheri* German. Tom. IX Wittemb. eam comparuiſſe, ſequenti ætate corporibus doctrinæ Saxonico-Miſnico, & Pomeranico inſertam & ſæpius deinde editam eſſe. Quæ tamen corruptarum editionum autoritas A. 1568 in Altenburgenſi colloquio cœperit infirmari, A. 1580 autem condita *Concordiæ formula* penitus ceſſarit.

p. 70-84.

Progredimur ad Appendicem, quam S. R. Autor huic Comment. attexuit. Duas diſſertationes theologicas a ſe nuper editas inibi exhibet. Ima agit *de forma Juſtificationis circa ævum A. C. rite aſſerta, & priſtinæ atque Apoſtolicæ ſuæ integritati reſtituta.* Poſtquam Vir S. R. ex Scriptura ſacra, quid de Juſtificatione ſentiendum ſit, expoſuit; in patrum atque

3-32.

que ſcholaſticorum de hac materia doctrinam inquirit, præcipue autem oſtendit, quomodo a *Luthero* & *Melanchthone* articulus de juſtificatione integritati ſuæ fuerit reſtitutus. Altera diſſertatione *de vario ſubinde ob rationes politicas Reformatorum ſic dictorum in Auguſtanam Confeſſionem animo* commentatur. Ex cujus quidem Diſſ. titulo cum jam ſatis de argumento, quod in eadem pertractatur, conſtet, plura verba hanc in rem non addimus. p. 35-56.

De reliquo optamus, ut S. R. Autor, alteram, quam promittit, hiſtoriæ Criticæ Aug. Conf. ſectionem, propediem cum erudito orbe communicet; & telam, quam laudabili conſilio texere cœpit; felici ſucceſſu pertexat.

## *CEREMONIALIA ELECTIONIS ET CORONATIONIS Pontificis Romani, & Ceremoniale Epiſcoporum, &c. Collecta, edita, & Præfatione illuſtrata a JO. GERHARDO MEUSCHEN, Eccleſiarum Ducatus Coburg. Generali Superintendente, &c.*

Francofurti ex officina B. Jo. Max. a Sande, 1732, 4.
Alph. 2 pl. 19 ½.

SUmme Reverendus Editor, poſtquam in Præfatione ex hiſtoria Eccleſiaſtica docuit, quas turbas crebro dederint electiones Paparum, quibusve remediis utendum cenſuerint Pontifices plures, ob ſummam ſuam raritatem hic exhibet potiora huc pertinentia monumenta. Primo igitur loco *p. 1-96* ſiſtitur *Ceremoniale continens ritus electionis Rom. Pontificis*, Gregorii XV juſſu editum Romæ 1621 cum Præfatione Franciſci Ingoli JCti: hinc *p. 97-134 Urbani VIII Confirmatio Bullæ & Ceremonialis Gregorii XV.* Sequuntur *p. 133-192* inaugurationis & coronationis Papalis ritus ex *Ceremoniali Romano* A. 1516 primum edito, & ex *Pontificali Romano*, cujus editio prima A. 1561 facta fuit. Tum ſubjungitur *p. 193-410 Ceremoniale Epiſcoporum*, quod A. 1600 Romæ & A. 1602 Taurini prodiit. Accedit *p. 411-424* ex MSto *Hiſtoria electionis &* *corona-*



Digitized by Google

*coronationis Pii II.* Cumque *Leonhardus Aretinus* in rariſſimo ſuo libello, qui Florentiæ A. 1485 impreſſus eſt, *de temporibus ſuis* varia arcana in Pontificum electionibus, & trium ſuæ ætatis Paparum memoranda vix alibi occurrentia fata candide deſcripſerit, hunc quoque librum hic *p. 425–463* S. R. Editor luci reddidit, & quidem ex MS. *Philippi Beroaldi* correctiorem. Poſtremo *p. 464–477* adjunxit *Auguſtini Oldoini Catalogum autorum, qui ſcripſerunt de Romanis Pontificibus.* Denique, ne quicquam ornamenti deſit, ſubjecit ſatis copioſum *Indicem rerum memorabilium.* Quin rariorum horum operum editione compluribus gratum factum ſit, cum non dubitemus, docemus quoque lectores noſtros e Præfatione, Editorem doctiſſimum proxime editurum eſſe, quod nondum fuit editum, *Chronicon Hermanni*, monachi Ordinis Minorum ſeculo undecimo, quod is inſcripſit *Flores temporum*, una cum aliis monumentis, quæ nec ipſa unquam prelum ſubierunt.

## *JO. CONRADI SCHWARTZ, TH. LIC. ET Eloq. ac Græc. Ling. P. P. Monumenta ingeniorum hujus & ſuperioris ſeculi varii argumenti, Tom. III & IV.*

Coburgi, typis viduæ & hered. B. Mauritii Hagenii, 1732, 8. Alph. 1.

Liber hic etiam Miſcellanea inſcribi potuiſſet : Explicat enim varietatem obſervationum, quibus Autor tempus ſuum impendit. Sunt autem eæ duplicis generis, unum ad res ſacras pertinet, alterum ad ceteram literarum elegantiam. Ad prius referre licet conſiderationem *alimentorum quibus Iſraelitæ, Manna deficiente, uſi ſunt*; deinde Diſſertationem *de origine opinati loci ſtatusque medii animorum a corporibus ſeparatorum, qualis ante judicium extremum quibusdam olim & hodie viſus eſt*; tum perveſtigationem *errorum Elceſai*; poſt inquiſitionem *interitus Sodomæ & Gomorrhæ*, quæ oppida propter autoritates veterum ſcriptorum lacu aſphaltite obruta eſſe negantur; denique *vindicationem multitudinis Iſraelitarum*

ex

Digitized by Google

*ex Ægypto exeuntium.* Eodem pertinet conſideratio nominis רמע, & מלכן *2 Sam. XII, 31*, & חשמל *Ezech. I, 26*, χαλκολιβάνȣ *Apoc. I, 15*, itemque *Matth. XI, 12, 1 Cor. XI, 31, 32*, & *XIII, 12, 2 Cor. XIII, 4, Jo. VI, 64*, & *VII, 21.* Conciliatur etiam dignitas quædam vocabulis quibusdam Novi Teſtamenti, quibus virus aliquod afflare auſa eſt criticorum nonnullorum temeritas & petulantia. Talia ſunt ἀναπίπτειν pro *recumbere* cibi ſumendi cauſa, ἀπέχειν pro *habere*, ἐγκομβώσασθαι, εὐχαριστεῖν pro *gratias agere*, κατηχεῖν pro *inſtituere viva voce*, μεσονύκτιον, ῥαπίζεσθαι. Quibus formulas addere licet ἀποκρινόμενος ἔφη, ἔσχατον τῆς γῆς, καλεῖν τὸ ὄνομα, στόμα μαχαίρας. Ceteræ obſervationes vel corrigunt veteres ſcriptores græcos & romanos, v. g. *Alciphronem*, ubi e. g. Lib. I Epiſt. 21, pro ἐπειδὴ κρίνων αὐτῷ. ὁ γεννήσας ἐγένετο legendum κρείττων αὐτῷ ὁ γεννήσας ἐγένετο, id eſt, *poſtquam pater ejus mortuus eſt*: *Philoſtratum*, ubi lib. III c. 16, ita legendum videtur: εἰ δὲ μηδὲν πλέον ὧν εἶδα παρ' ὑμῖν εὕροιμι· μεμαθηκὼς ἂν εἴην, καὶ τὸ μηκέτι ἔχειν ὅ,τι μάθοιμι, *ſi autem nihil amplius quam quæ novi, apud vos repererim : ſaltem hoc didicero me non amplius habere quod diſcam.* Adhuc ibi legitur καὶ τὸ μὴ κατέχειν ὅ,τι μάθοιμι Sic item *Diogenes Laertius* emendatur, & *Mela*, & inſcriptiones quædam. Ex his una ΑΝΤΩΝ. ΓΟΡΔΙΑΝΙ. ΙC. CΕΒ. CΥΝΟΔΟC. ΙΕΡΕΥCΤΙΚ. Legitur ita: Αντωνίνου Γορδιανȣ̃ ἰσοθέου σεβαστοῦ σύνοδος ἱερευστική, *Antonini Gordiani divi Auguſti conventus ſacris faciundis.* Altera

I. O. M.
CL. ALBINO. C. FV. C.
P. GAL. AVG. ET LVG
LIBERTATIS. ADVERS
SEVERVM. ACERRIMO
VINDICI

legitur *Jovi Optimo maximo. Clodio Albino Caſari, fugatis copiis praſidiariis Galliæ, Auguſtodunenſium & Lugdunenſium libertatis adverſus Severum acerrimo vindici.* *Phœnicibus* arithmeticæ inventoribus India aſſignatur patria contra *Bochartum.*

Digitized by Google

*tum.* Explanantur quædam *Epicuri* præcepta aliter ac *Caſaubonus* fecit. Græcæ linguæ vocabula quædam ex hebræorum ſcriptis redduntur lexicis inſerenda. Origo quoque vocabulorum quorundam germanicorum perveſtigatur. Epiſtolæ denique hic comparent quædam *Allatii* ad *Meibomium, Caſp. Hoffmanni* & *Virdungii.*

## *JO. CONRADI SCHWARTZ, P.P. GRAMmatica Latina ex perluſtratione veterum ſcriptorum concinnata, autoritatibus idoneis firmata, & veris cujusque rei cauſis comprobata, in uſum Gymnaſii Caſimiriani & Scholæ Senatoriæ Coburgenſis.*

Coburgi, impenſa viduæ & heredis B. Mauritii Hagenii, 1732, 8.
Plag. 18.

IN hac Grammatica multa inſunt nova, quæ alibi deſiderantur. Nullum pene caput eſt, quod non copioſius ſit, quam adhuc pleraque fuerunt. V. g. nominibus quibusdam *actio* & *paſſio* ita tribuuntur, uti verbis competere dicuntur. Genera nominibus multis plura aſſignantur, quam adhuc factum eſt. *Natalis* quidem, *cinis, obſes, ſatelles, cytiſus,* cetera, communis eſſe docentur generis. Præſertim nominibus fluminum Latinis in *is* deſinentibus, accuſativus *im* vel *in* vindicatur. *Balnea* plurale e numero poeticorum nominum eximitur. Latinis vocabulis plerisque pluralis numerus uſitatus eſſe oſtenditur, cujus apud germanos quædam quaſi egeſtas eſt. Defectivis nominibus plures caſus dantur, quam antea dabantur. Nec nomina materialiter poſita ſemper indeclinabilia eſſe, exemplis demonſtratur. Plura item præterita participia deponentium paſſive poſita hic reperias, quam ullis fortaſſe in grammaticis. Sic in ſyntaxi *appoſitionem* non ſemper eundem caſum poſtulare, gerundia in *dum* etiam cum *a* jungi, & alia multa varie conſtrui, ex veteribus probatur. Ellipſis etiam uberior hic comparet: ut eccleſiaſticorum quoque ſcriptorum latinitas magis jam defendi poſſit. *Infernus* enim v. g. *carcerem* ſubintelligit. Rationes adjiciuntur non ſyntacticis modo

præ-

præceptis, ſed etymologicis etiam. Ita *heterogenea* penitus exterminantur: *ſum*, *es*, *eſt* cet. e græca lingua repetuntur. In ſyntaxi quacunque ea regula primum occupat locum, unde reliquæ tanquam conſectaria emanant, quæ etiam *conſectariorum* nomine inſigniuntur. Si quando autem in regula aliqua ineſt aliquid quod propriam annotationem mereatur, per nomen *Animadverſionis* a regula ſecernitur. Quo judicium fortaſſe acui & memoriam ſublevari poſſe ſperat Autor. Regulæ ipſæ majoribus literis exſcriptæ ſunt: exceptiones & ceteræ conſtruendi varietates ad marginem, aut inferiorem locum cujusque paginæ rejiciuntur, ut confuſio utrarumque facilius evitari poſſit. Nonnulla etiam in aptiorem locum concluſa videntur. *Dis* v. g. *re*, *ſus* ad inſeparabilia adverbia referuntur. *Tmeſis* & *Craſis* annumerantur ſyntacticis figuris. *Antiſtoecho* ſubjiciuntur ea, quæ a quibusdam alieniſſimo loco docebantur. Præſertim in unum & proprium caput vel *archaismi* vel *Hellenismi*, vel *neoterismi* cet. collecta ſunt, quæ olim fere ſparſim proponebantur. Rarius etiam impugnantur aliqua: etſi veritas plerumque ſimpliciter modo tradatur. Sic refelluntur ii, qui adverbia quædam comparari dixerant a nominibus non derivata. Contra numeralium ſyntaxis §. 1112 etſi diſſentiat a plerorumque regulis, tamen diſſenſionis nulla fit mentio. Idem fit in nota + paginæ 389 & alibi ſæpe. Exempla autem frequentiora hic comparent, quam in aliorum grammaticis, quia vel regulas aliorum ſignare debent, vel novas obſervationes conſtabilire, vel errores & falſitates antiquas refellere. Ea item quæ verborum modo propria olim credebantur, cum nominibus & adverbiis communicata ſunt, & quæ v. g. de verbis æſtimandi ſolis aſſeverabantur, ea cum aliis pretium obſcurius innuentibus communia eſſe demonſtrantur. Id quod citra exemplorum multitudinem aliquam vix fieri poterat. Veterum grammaticorum vocabula technica etiam memorantur, ubi a recentioribus diſcrepant. Quæ res itidem uſum ſuum habet. Nihil autem usquam docetur, quod autoritate non firmetur veterum. Libri, capita, verſus etiam vel paragraphi, aut pagina commemoratur veterum ſcriptorum



Digitized by Google

rum unde quodque ſumtum eſt vel exemplum vel præceptum.

## Vernunfft und Schrifft in ihrer Ordnung ꝛc.

hoc eſt,

*RATIO ET SCRIPTURA IN SUO ORDINE, in præſtantiſſimis Fidei noſtræ ſanctiſſimæ dogmatibus de Exiſtentia Dei, Creatione, Providentia, Officio hominis, Statu peccati, Sacra Scriptura, Divinitate Chriſti, & Reconciliatione per Chriſtum præſtita, inter ſe invicem comparatæ; ubi, quo modo ſana ratio ad Sacram Scripturam ducat, & doctrinæ Fidei noſtræ ſanæ rationi haud repugnent, oſtenditura M. BENED. GOTTLOB CLAUSWITZ, SS. Theol. Baccalaur. & Paſtore Eccleſiar. Wiedritzſch & Seehauſſen. Accedit Præfatio Dn. D. JOH. GOTTLOB. PFEIFFERI, Prof. Publ. Lipſ. & Facult. Theol. h. t. Decani.*

Dresdæ & Lipſiæ, apud Chriſtoph. Hekelii B. Filium, 1732, 8.
Alph. 2 pl. 19.

Sunt homines, qui, ipſa ſanctioris Chriſti diſciplinæ fundamenta hodie commoturi, nihil prius, nihilque antiquius habent, quam ut eandem rectæ rationi omnem adverſari, ſibi aliisque perſuadeant, & idcirco in præſtantiores illius doctrinas fulmina & contumelias vibrent. Faciunt hoc, idque ſine pudore, Athei maxime, & Socino, quin etiam naturæ ſibi relictæ, nimis amici. Haud abnuimus, eos cauſa non caſuros, ſi modo firmiora ſuæ ſententiæ haberent præſidia. Aliter hinc ſentirent, ſi rem ipſam accuratius putarent, atque ſcirent, quid diſtent aera lupinis. Id nobis volumus, ſi magnum diſcrimen ſanam inter & corruptam ac depravatam rationem cognitum haberent atque perſpectum. Huic quidem divina non poteſt non repugnare Scriptura: cum illa vero, tantum abeſt, ut pugnet, ut potius accuratiſſimam habeat conſenſionem. Atque hoc

Digitized by Google

hoc illud eſt, quod cum cura demonſtrandum ſibi ſumſit plurimum Reverendus excitati libri Autor, in quo nunc breviter ſummatimque recenſendo, more noſtro, verſabimur. Præmiſſa S. R. Decani Præfatio de ſobrio ſanioris Philoſophiæ, quem in Theologia præſtat, uſu agit: tum vero Pl. Rev. Autoris prælocutio ipſam argumenti naturam ac indolem paucis explanat verbis. Conſiderat ſanam rationem, tanquam medium pædagogicum, eamque non *concretive*, ita ut hujus vel illius hominis deſignet habitum, ſed *objective*, pro principiis rationis materialibus, a nemine mortalium in dubium jure vocandis, accipit. Eandem *ſubjective* interdum etiam ſumit, hanc nimirum indicaturus humani intellectus diſpoſitionem, qua is *in abſtracto*, ad ductum *principiorum* ſuorum & *materialium* & *formalium*, recte judicat. Cum his igitur *Articulos* Fidei Chriſtianæ & *mixtos* & *puros* non ſolum non pugnare, ſed etiam ſuavi convenire concentu, docet; quanquam id velit fixum manere, myſteria ſacroſancta, quæ contra rationem non eſſe ſibi unice poſcit dari, ſupra eandem eſſe. Jam ipſa, quæ ſequitur, tractatio IV conſtat Sectionibus, iisque certa quædam Capita in ſe continentibus.

Sectio I, quæ quatuor complectitur Capita, hunc in modum inſcribitur: *Hominem a Deo pendere, & ad illius obſtrictum eſſe obſequium.* Cap. I oſtendit, *hominem totumque mundum a Deo creatum.* Cap. II argumentum eſt, *hominem ac totum univerſum a Deo conſervari, & ab ejus pendere Providentia.* Cap. III *mundum, & ſigillatim quidem hominem a Deo gubernari*, commonſtrat. Cap. IV declarat, *quo pacto Dei omnipotentia, bonitas ac ſapientia ex creatione, conſervatione & gubernatione exſplendeſcat.* Sectio II, duobus conſtans capitibus, planum facit, *Deum obligaſſe hominem ad certa officia.* In Cap. I monſtratur, *Deum reſpectu hominis certum ſibi propoſuiſſe ſcopum.* Cap. II manifeſtum reddit, *hominem obligatum eſſe ad ea, quæ cum ſcopo Dei conveniunt, facienda, &, quæ cum illo pugnant, omittenda.* In III Sectione docetur, *hominem, qualis nunc a natura eſt, ſuo haud ſatisfacere officio, atque idcirco culpa pœnaque dignum eſſe.* Cap. I urget,



Digitized by Google

*hominem, qualis jam a naturâ eſt, a Dei ſcopo abhorrentem in ſe habere indolem, eidem oppoſitas edere actiones, atque, id ipſum unde eveniat, inquirit.* Cap. II ſumma hæc eſt, *hominem a natura ſub reatu culpæ & pœna peccati eſſe.* Sectio IV, eaque ultima, undecim comprehendens Capita, hanc præ ſe fert inſcriptionem: *Deum velle homines in gratiam recipere, & per Chriſti reconciliationem inveniſſe medium a culpa & peccati pœna ipſos liberandi.* Cap. I vult, *hominem peccatorem habere, cur a Deo gratiam ſperet.* In Cap. II oſtenditur, *S. Scripturam hominem de reconciliatione cum Deo reddere certiorem.* Cap. III docet, *Deum nos ſibi conciliaturum proprium in hunc orbem ablegaſſe Filium.* Cap. IV monſtrat, *mediatorem noſtrum æternum Dei eſſe Filium, quo loco ſimul dogma de ſacroſancta Trinitate ac Divinitate Spiritus S. pertractatur.* Cap. V indicat, *Filium Dei humanam induiſſe naturam.* Cap. VI inſcribitur, *Dominum Jeſum noſtri loco divinam expleviſſe Legem.* Cap. VII, *ex S. probat Scriptura, Dominum Jeſum in ſua paſſione ac morte, pœnas noſtrorum peccatorum, noſtræ expiationis ergo, pertuliſſe.* Cap. VIII *doctrina de Expiatione a Chriſto præſtita ab objectionibus rationis vindicatur.* Cap. IX agit *de Reſurrectione Chriſti, & magno illo gratiæ theſauro, quem per ſuam perpeſſionem ac mortem nobis acquiſivit.* Cap. X *Chriſtum ſalutis & gratiæ munera toti orbi acquiſiviſſe,* & enucleatur, & contra dubia munitur. Cap. XI declarat, *expiationem a Chriſto præſtitam in corde pœnitenti per fidem recipiendam eſſe; unde vera, qua Deus colendus eſt, pietas emanet.* Duo præterea Indices ſubnectuntur, quorum alter loca Scripturæ illuſtrata, alter vero res expoſitas potiores exhibet.

Atque ſic eo, quem nobis imperavimus, labore ſumus defuncti. Ipſa vero hæc recenſio neminem non edocebit, librum non ſine meditatione elucubratum, atque lectorem & huic adſuetum, & debitis emendatioris Philoſophiæ pariter, ac Theologiæ præſidiis inſtructum, ſibi omnino expoſcere. Quod reliquum eſt, in votis haberemus, ut Pl. Rev. Autor iis doctrinis, quas in ſua præfatione nominatim excitatas, hic omiſit, ut

de

Digitized by Google


*de Sanctificatione Spiritus S. de Mediis gratiæ, de Illuminatione atque Converſione, de Pœnitentia, Fide, Juſtificatione & fructibus fidei in pietate conſpicuis,* novam deſtinaret commentationem. Nec enim dubitamus, quin de re ſacra præclare, hunc ſi, qua cœpit via, continuaret laborem, ſit meriturus.

*SUPPLEMENTUM TRACTATIONIS DE Articulis, ligamentis, & muſculis inceſſu dirigendis, Menſ. Febr. A. 1729 his Actis recenſitæ, tradit, ſimul tabulam novam plantæ humani pedis, arte anatomica præparati, & ſicci exhibet AUGUSTINUS FRIDERICUS WALTHERUS, S. M. Poloniarum Regis & Elect. Saxon. Archiater & Profeſſor Publicus Lipſienſis.*

ALiquot ſunt anni, cum vincula humani pedis curioſius rimari cœpimus, & pleraque Tractatione citata delineanda poſt hæc curavimus, atque deſcripſimus. Verum, inter alia impedimenta, etiam ob tabularum anguſtiam nonnulla omiſſa fuerunt; &, ubi jam pleraque, in planta quidem pedis viſa ſupplere, aliaque explanare, aut emendare ſuſcipimus, tum ſicci, arteque anatomica elaborati totius pedis plantæ tabulam novam, tanto utiliorem & luculentiorem fore confiſi, quanto iſtam eſſe commodiorem, ut pingeretur, arbitrati ſumus. Ordiamur autem hoc qualecunque Supplementum ab muſculorum interoſſeorum recens ſectorum doctrina.

Eminent ſub metetarſo interoſſei ſeptem muſculi, & omnes, hoc inferiori plantæ pedis loco, vix minori diſcernuntur labore, quam quidem in manibus ac metacarpo ejusdem cognominis ſex alii cognoſcuntur, & accurate diſtingui ſolent. In eo autem intervallo, quod eſt inter os metatarſi, quod pollicem ſuſtentat, & inter id, quod primum digitum fundat, tantum interoſſeus primus habetur; & hic craſſior præ reliquis muſculus eſt, atque originem tendinoſam ab cuneiformi oſſe primo, & ejus perinde, ac ſecundi oſſis metatarſi capitis inferioris commiſſuræ loco, denique ab peronæi longi tendinis

TAB. II. muſculi fibra α accepit, deinde, ubi ipſe progreditur, tunc ad latus internum ſecundi metatarſi oſſis, in pede devexo, tanquam ad propriam ſedem, adnaſcitur, longeque minus ita ad primi oſſis, quod opponitur, latus adhæret; ac tandem is, ante caput metatarſi oſſis, quod ad indicem pertinet, ampliorem tendinem, validioremque mittit. Atque hic tendo, latiore aponeuroſi, cum orbiculari indicis articuli primi ligamento, pariter cum obductione illa transverſa ac membranoſa, quæ his locis veluti luxuriare in ſerie articulorum ſolet, confunditur, & modo in primum indicis os, ab latere quidem interno, deſinit. Deinde in numero, tam internorum, quam externorum, ſed alterne ita conſerendorum muſculorum, alter & externus, jam commemorari debet. Et quemadmodum, prior ille muſculus primum digitum verſus pollicem in vivis convertit; ita alter, &, quo de nunc dicemus, ab latere externo ejusdem digiti, latiore quoque tendine inſeritur; quem quippe digitum ipſe ab pollice in vivis abducit; ſed niſi nos omnia fallunt, tam erit in horum duorum, quam reliquorum omnium officio muſculorum, quod præſtant, ſimul animadvertendus quidam digitos, etiam magis directe, flectendi modus. Igitur ſecundum oſſium in metapedio intervallum, ſuperne ſecundus implet interoſſeus muſculus. Qui, vix altera ſui parte, inter os metatarſi ſecundum tertiumque demittitur, ac prominet; e quorum etiam oſſium commiſſura capitum, tendinoſus, & ita porro carnoſus, inprimis vero ex latere oſſis metatarſi ſecundi externo, ipſe prodire videtur. Id ita fieri animadvertitur, ſicut in pluribus manuum fingendis interoſſeis quoque res accidit; ſcilicet, ut ex duobus fere locis, oppoſitisque oſſium lateribus, carnoſæ fibræ, & ſingulari flexu oriantur, ac confluant; unde in ſuperiori pede ſic pronaſci hic quoque muſculus obſervetur. In oſſium metatarſi ſecundo intervallo, perinde ac tertio, & quidem ſuperne in pede devexo, ſingulare, ac tendinoſum velum, ab ſecundo, & tertio cuneiformi oſſe prodit; & idem fila intexta ſibi utrinque profert, muſculumque ſecundum, & quartum contegit, ac firmat. At interoſſeus modo tertius muſculus, partem ſui præcipuam demittit; & hæc ejus pars, ita



Digitized by Google

Digitized by Google

ita quidem ſub tertio metatarſi oſſe, & ab latere ejus interno viſa, etiam cum muſculo vicino, ſeu quarto, commmem ex parte originem, inferius habet. Nam, paullo poſteriori in pedis planta loco, ubi eſt ligamentum transverſum $\varepsilon$, deinde obliquum $\omega$, & $\zeta$, ſedes prior muſculi, antithenar dicti, tum uterque muſculus, tertia circiter longitudinis parte, intermedia linea tendinoſa, atque communi conjungitur: reliqua autem parte, tertius ipſe muſculus, ſcilicet ſub priore, ut modo diximus, & ab latere interno, perinde atque ab concava parte tertii oſſis metataſſi natus, procurrit, ac demum anguſtiorem tendinem anterius fecit, qui involvitur membranoſo articuli vinculo digiti ſecundi, ſive medii, & ejusdem ab digiti latere interno, & in primo oſſe inſeritur. In tertio oſſium metatarſi intervallo, prope ſimilis ac ſecundi, eſt quarti poſitus interoſſei, externique; ſed pars ejus, quæ in planta viſitur, ea longior apparet, &, præterquam quod hæc cum tertio coit, ſicut ante notavimus, etiam ſuperne, ab latere oſſis metatarſi tertii & quarti, atque ita ſupra quintum interoſſeum, is porro muſculus prodit. Jam quintus & ſextus muſculus, ſicut de tertio & quarto monuimus, ope intermediæ, tendinoſæque lineæ, admodum in exemplo cohærent; qua etiam parte, ab vagina tendinis peronæi muſculi uterque provenit. Itaque ſecundum digitum quartus muſculus extrorſum dirigit: verum quintus, cum ab parte inferiori, latereque interno oſſis quarti metatarſi, ſed infra præcedentem oritur, tum introrſum is tertium digitum movet. Atque hi quinque muſculi paulo altiores in metatarſo ſedes, præ interoſſeis duobus reliquis habent; nec niſi quintus, ad majorem longitudinem eorum muſculorum, qui ſequuntur, propius accedit. Proinde, ſextus jam demo vocandus externus erit, &, poſt primum muſculum, ipſe craſſior præ ceteris habetur; ſed tantum is ab externo latere oſſis quinti metatarſi ſuam originem habet; ſiquidem, ſine fibrarum laceratione, idem ab latere oppoſito quarti oſſis externo, ſeparatur; neque ita fibris, ex utriusque latere oſſis confluentibus componitur. Sed præter ea, peculiarem quoque tendinoſamque originem, inferius hic muſculus, ab peronæi tendine muſculi, in exemplo,

ſed

ſed ceteroquin potius ab vagina ipſius eduxit: atque de reliquo etiam in progreſſu noſter ſpatium ſuperne, inter duo oſſa viſum, pro more quarti, & ſecundi, externorum muſculorum implet; ſcilicet illud, quod inter os metatarſi quartum, & quintum eſt; denique vero juxta articulum ipſe in tendinem teretem & robuſtum abit, digitumque tertium ita extrorſum movet. De ſeptimo autem interoſſeo patet: eum ſub priori, & oſſe quinto conſitum eſſe, & fere oriri, quemadmodum de quinto, & tertio muſculo nos ante retulimus. Verum, præ his ſaltem craſſior ipſe ſeptimus, partem ſui principii tendinoſam, inferius, & juxta ſextum muſculum, ab vagina peronæi tendinis adquirit, de reliquo is pergit, & conformatum tendinem, ſicut alii interni agunt, etiam ab latere minimi digiti promittit, eundemque ultra primum articulum plantat. Atque in vagina laudati peronæi tendinis, etiam ventrem quem alii vocant, priorem muſculi illius, ex parte finem ſui tendinis conſequi, qui minimum abducere digitum vulgo dicitur, ita quidem eſt viſum. Verum de toto hoc muſculo abductore magis diſcrete ſentimus, & poſteriorem partem, ſub oſſe metatarſi, ad ingens plantare ligamentum adnaſci, & hoc ſenſu, ejus carnis portionem tendinis cum iſto coaleſcere, utraque vero explicari porro animadvertimus; quippe, quæ lata & naci obductione majorem partem, prioris vulgo ventris dicti, ita tegunt. At vero, ſi anatome, & cum cura hæc obductio auferatur, tum carnem ſubjectam in duas diſtingui partes $\pi$ & $\rho$ manifeſto apparebit: quarum una inferius, in vagina illa peronæi tendinis, exigueque in oſſe externo radicatur, inde vero procedit, & proximo minimi digiti oſſe, & quidem medio loco, ac ſupra articulum inſeritur, illumque flectere digitum putatur; ſicut Cl. *Heiſterus* obſervavit. Ab externo autem pedis loco continuatur altera pars; quæ neque magis muſculum abductorem ita digaſtricum facit, quin potius integrum, & carne ſua ad priora prolatum loca, neque vero tendine medio interſtinctum, videndum præbet. Supereſt, hac neque tractatione negligendus, transverſus *Caſſerii* muſculus. Et hic, propter peculiarem poſitum ſuum ita nuncupatur, tendinemque unum accipit

accipit ab externo oſſe ſeſamoideo articuli pollicis, arcteque tum ad tendinem adductoris, & ad orbiculare vinculum adhæret; hinc vero carnoſus recedit, & ventre rotundo & oblongo, ſub capitibus oſſium metatarſi transverſim progreditur, deinde tendinoſus denuo in orbiculare quarti digiti ligamentum deſinit; nihilominus quædam tendinis pars, in hac ſerie ad quintum uſque articulum, ejuſque orbiculare ligamentum in hoc noſtro exemplo producitur: quod vero aliter, & quidem de carnoſis fibris, quippe eo pariter porrectis, *Douglaſſus* annotavit.

Atque in planta pedis auferantur anatome, quæcunque proſpectum rerum, modo declarandarum, prohibent; inter quæ, poſt externa communiaque ligamenta, etiam muſculi pollicem flectentis tendo longior eſt. Is ſub naviculari oſſe, in exemplo, propaginem notabilem ad propinquam perforantis muſculi tendinis partem ablegavit; & hæc utraque pars, ſub lumbricali primo muſculo juncta, ſingularem ita compoſuit tendinem, qui ad indicem proceſſit. Tales propemodum acceſſiones, ſed tenuiores tendines, etiam exteriores reliquæ perforantis partes tendinis, & quidem ab propria aponeuroſi maſſæ carneæ quadratæ ſubinde accipiunt; atque nos ab hac aponeuroſi, quæ perforantem tendinem, cum ſuis quaſi ramis irretit, primam, licet haud omnem originem muſculorum iſti adhæreſcentium lumbricalium ita deducendam eſſe nulli dubitamus: ut etiam maſſam illam cum lumbricalibus muſculis ita connexam, quodammodo ad digaſtricorum accedere uſum muſculorum exiſtimemus. Jam pollicem flectentis tendinis vagina *Tract. de articulis & ligamentis Tab. II*, π inferius, ſed ſub capite tali oſſis P, ligamentis R & r *Tab. nova*, ab oſſe quidem naviculari, ad calcis os & cubiforme directis, fundatur. Verum his locis illa vagina de reliquo ab transeunte ligamento H paratur, cum hoc ab calcanei oſſis poſteriore & excavata parte, ubi calx educitur, oblique provenit; quandoquidem idem vinculum, extuberanti poſteriori tali oſſis faciei prætenditur, anterius vero tuberi calcanei interno late adhæreſcit: ſimul poſt vaginam pollicis tendinis, illam tibialis muſculi poſtici, pariter alius vicini, ſeptoque intermedio inde diſtincti & perforantis dicti,



Digitized by Google

ex parte ſtruit, atque in eam deſinit. At poſteriori tali oſſis loco, & ubi id ſurgit & nectitur cum latere poſtico interni malleoli, tum idem magis tenax ſit & firmum. Supra vaginam, quam modo diximus, locoque proximo, ad tali oſſis latus, calcisque tuber, ſcilicet ab inferiore interni malleoli prioreque parte, aliud ligamentum I demittitur. Quod æque cartilaginoſum & tenax eſt, ac H propter malleoli quidem poſteriorem partem eſſe cenſetur. Atque tendo tibialis poſtici muſculi, ejusdemque vagina, hoc ligamentum I ab H ſatis diſtinguit, & præter ea, robore quoque ſuo, idem I ab priori K ligamento diſcernitur; etiamſi hoc ultimum, de reliquo quidem, nonniſi tenuior iſtius continuatio, ſed amplior, etiam ideo potiſſimum facta eſſe videatur, ut ab omni priori parte malleoli, exigueque ab oſſe ipſo tibiæ, K vinculum promitteretur, & articulum defenderet. Igitur vinculum K cartilaginem illam fibroſam, quæ latius ſuper tali oſſis cervice, deinde calcis tubere, & denique naviculari oſſe, hac parte funditur, tum obducit, & caute in anatome inde diſtinguitur; quippe eandem cartilaginem hoc vinculum K verſus malleolum A adſtringit: licet de reliquo, & ſuperius, ad usque annulare verum *Tract. cit.* Tab. III. L. quod quippe involuit, idem continuetur. Quare *loc. cit.* L, ab I, & K vinculis, ſua inſigniore longitudine, & tereti magis forma, aliterque differt; & ideo nos tres quoque has partes, in unum licet malleolum deſinentes, diſtinximus. Atque hæc preſſe diſcernuntur vincula, ab parte tibiæ articuli, & tali oſſis, calcisque interna: verum, a parte poſteriori, ſingularis eſt H ligamenti continuatio, & nexus. Nam idem, tenuius viſum, ab parte articuli pedis poſteriore, *l.c. Tab.IV* deeſt; ſed vere poſt talum, ad usque latus extenditur oppoſitum, & in ligamentum, quale *num.* VI indicatur, deſinit; verum ita quodammodo id ſecu ducitur, atque res l. c. delineari icone commode potuit. Igitur H, tam faciem oſſis tali poſteriorem, quam craſſiora vincula VIII, atque IX, poſt Achillis chordam, ſcilicet tanquam tenuior obductio occultat; cui & diſtinctas fibras tenaciores quasdam eſſe intextas, & partim per decuſſim, partim vero aliter ferri, & ad oppoſitos eas tendere malleolos obſervavimus. Ex quo jam

Digitized by Google

jam ratio patet, quamobrem V, & VI, ligamenta, licet ad H quodam jure pertineant, & cum hoc, aliisque ligamentis prioribus, orbicularis vinculi, & ab perioſteo nati, ſaltem fibroſa cartilagine, craſſitieque varie aucti vices gerere videantur, nec tamen penitus easdem expleant, nos *tractatione citata* diſcernenda ſtatuerimus. Nam ad illorum numerum teres & craſſum accedere poſſet, quod n. V. l. c. indicatur, ligamentum; ſed, hoc origine & craſſitie ſua ab omni H, hinc ab VI vicino differt; ſicut evidenti etiam modò ab n. IV deviat, neque adeo cum alterutro anatome confundi debet. De vinculis communibus articuli pedis ſi diſpiciatur, tum jam omnino aliter ſentiendum erit. Nam articulum laxe magis tenet, quam ut ad munus ligamenti orbicularis, licet e pluribus & ita diſtinctis vinculis fingendum id eſſet, commode accedat, quale quidem n. XV videndum ſiſtitur, neque vero id ab membrana muſculorum communi, ſaltem hac parte oſſi magis adhæreſcente, & pingui differt. Sigillatim aliud n. IV, tali articulum tibiæque oſſis, non niſi ſecundum alia vincula roborat: ſicut pars ligamenti quodammodo fibroſi XIV, deinde aliud III poſt propria magis vincula, malleolum utrinque confirmare videntur. Itaque ante ligamentum l. c. Tab. IV, num. V, ſeu ante g, Tab. III, quod quidem ab K melius, atque icone tum umbraque factum eſt, diſcerni debet, hinc loco articuli priori, & tertia propemodum totius ambitus parte, jam modus ille conſuetus plurium articulorum deficit; ſcilicet quo concludi orbicularibus vinculis oſſa ſolent. Neque vero aliud ligamentum hoc intervallo habetur, quam anguſtum, ſed longius illud L, de quo plura l. c. locuti ſumus. Omnia vero, ſi attentis ita cernantur oculis, tum ligamentoſas tot productiones, atque tam diverſa oſſium connexorum frena, vinculi in locum ſimplicis, & omnem articulum tibiæ, & tali, deinde calcis oſſis, exquiſitius inveſtientis, vel ideo eſſe conceſſa, ac mutuam cuncta ſibi denique ferre operam, ſcilicet in greſſu hominis intelligitur, ut tali quidem oſſis caput, in navicularis ſinu oſſis, facile & quantum expedit, ſed tuto convertatur. Qua porro occaſione monemus: proprium tali calcisque oſſis ligamentum, quod l. c. Tab. III cum L m.

nectitur, & in altiore ſinu adumbratur, ad oſſis tali cervicis originem, poſteriori magis loco, erigi & abſcondi; tanquam conditum ceteroquin pinguedine, ſed valens robuſtumque vinculum. Denique ad hanc doctrinam addimus: ligamenta n, & o, ſæpius ita minus diviſa obſervari, atque ea l. c. viſuntur.

Jam de ligamentis, in paullo prioribus plantæ locis viſis, ſcilicet ubi tendo tibialis muſculi poſtici magis in naturali ſitu reperitur, ſermo erit. Nam paſſim nos aliter quodammodo de his rebus acturi ſumus, atque *Tract. de ligamentis* olim fecimus, quod inter alia ibi, Tab. II, tam tibialis poſtici, quam peronæi reclinatus tendo muſculi appareat: nihilominus efficiemus, ut porro cum illis, quæcunque modo dicturi ſumus, facile admodum conciliari cuncta poſſint. Quare in ligamenta dividendus tendo Q, ante locum ubi is dividitur in partes, tum *Tab. nov.* ad ſe convenientem poſteriorem pollicis partem tendinis flexoris muſculi brevis P jungit; quippe hic tendo poſt os cuneiforme tertium, cum parte U vere coit, & ita pergit ad os naviculare, tendiniſve tibialis poſtici veluti truncum; ſed neque prorſus ita ad calcis usque tuber iſte tendo procedit, ſicut plures de hujus flexoris origine brevis muſculi ſcriptores arguerunt. Nam poſt conjunctionem cum parte U, tendo ſinum plantæ tranſit, viaque obliquiore, ſed ita altiore loco ad naviculare fertur, quam quidem aliud ducitur, quod potius eundem in via decuſſat ligamentum W; quo de monemus obiter; paulo etiam id eſſe tenuius, quam *Tab. II l. c.* id pingitur, imo aliquando idem deficere ſolere. Ab illo autem loco, ubi tendo brevis flexoris muſculi pollicis cum U parte primum convenit, porro digitum circiter iſte profertur; ac demum in carnem priori loco abit. Quanquam vero hic tendo præcipue in oſſe cuneiformi tertio fundatur: tamen, præter ſui ipſius conjunctionem cum U, etiam fibris tenacibus & anguſtis cum tranſverſo *e*, atque cum *δ*, *Tab. II l. c.* deinde a latere cum longo, ſed magis poſteriore cum lato, calcis plantæque ligamentis, quippe eo pariter ex parte productis, & ad tertium cuneiforme os confluentibus, cohæret. Tales lati nexus ampliores, vinculis fiunt *Tabula nova μ. μ.* Nam, qui ſuperſunt

ſunt tendinis nexus, illi delineari commode non potuerunt. Verum tendinis tibialis poſtici muſculi ligamentoſæ partes, in præſenti quidem exemplo, S. T, *, & U cognitæ fuerunt. Atque aliud vinculum X, obſcuriore loco oritur, ac juxta cuneiforme tertium os procedit, & ad ſecundum cuneiforme, perinde ac caput oſſis metatarſi ſecundi inde divertit, & hæc oſſa ab latere interno nectit; qualem uſum quoque pars T. ab latere externo oſſis metatarſi & cuneiformis ſecundi, ſed interno tertii præſtat. Etiam *Tract cit.* δ eſt ligamentum, quod tendo peronæi muſculi, ipſumque os, quo minus videatur nova tabula noſtra, prohibent; tale nihilominus, & quidem in ſinu reconditum, ac bipartitum erat in exemplo vinculum; quo quidem utrumque, tam ſecundum cuneiforme, quam metatarſi ſecundum os, ad primum cuneiforme, ſcilicet juxta, & partim ante X adſtringebantur. Atque longum calcis ligamentum λ, tam eminentem vaginæ partem peronæi tendinis circum cubiforme os efficit, quam productione ſui, veluti lamina, inprimis tendinoſæ inferius viſæ antithenar muſculi ſuperficiei, late adhæret, & in eam deſinit; fere ſicut de ζ vinculo *l. c. cit.* diximus. Deinde peronæi tendinis ligamentoſæ inferior vaginæ pars, quæ de longi calcis ligamenti inferiori lamina pariter participat, eadem juxta, & poſt ligamentum ε, perinde cubiforme, ac tertium os cuneiforme, denique oſſa metatarſi jungit. Quo ſpectare propemodum videtur ligamentum, quale *v l. c.* eſt; triumque circiter linearum inde intervallo, ac poſteriori adeo loco, pariter aliud ligamentum diſcernitur, quod ab oſſe cubiformi tranſit ad cuneiformis tertii latus, & acceſſione alia lati calcis ligamenti μ *Tab. nova* augetur; ſicut ante diximus. De transverſo ligamento ε addimus: ejus anguſtiorem quodammodo dimenſionem communiter videri; & paulo priori loco, ab tubere oſſis metatarſi extimi id provenire, quam quidem *l. c.* Tab. II ipſum educi, ac finiri viſitur; quandoquidem, ſuper commiſſuris trium metatarſi exteriorum oſſium, e quibus quartum & quintum oſſi cubiformi inſiſtunt, idem tranſire, ſed ſub muſculo interoſſeo ſexto & ſeptimo, atque ſub duobus minimi digiti reliquis muſculis proferri animadvertitur. Denique ſub eo,



Digitized by Google

& aliud procedens obliquum, vicinumque ω, vinculum metatarſi capitum, & firmum viſitur. Atque hæc omnia, ſub tendine muſculi peronæi, imo ſublatis muſculis exterioribus interoſſeis, ac poſtquam aperta pars vaginæ tendinis ſuperior fuit, clarius pernoſcere anatome licet. Duplicem quoque partem, poſterius antithenar muſculus habet; & quidem major una, ante ligamentum obliquum perinde ac transverſum, in tendinem ſuum, ac ſedem ſingularem, pariter ligamentoſam *Tab. nova* ζ deſinit: contra ad vaginam tendinis peronæi altera anguſtiorve pars pergit; ab cujus poſteriori vaginæ latere, factus illius alter ac diſtinctus tendo, locis circiter, μ, ν, radicatur. Sub longo calcis ligamento, & juxta idem, oritur, atque procedit, latum aliud κ, calcis, plantæque ligamentum. Quod hoc magis panditur, quo brevius idem, quam λ eſt; quippe cubiformi cum latere calcis oſſis connectendo, capiendoque iſti ab parte interna deſtinatur; inde vero quodammodo etiam ad loca vicina, e. g. ad os cuneiforme tertium pergit, imo nonnullis vicinorum inſinuatur oſſium commiſſuris, & ad eorum angulos ac latera cedit, quæ magis viſui ſe ſubduxerunt. Partitiones tendinis peronæi fere in exemplo fiunt, ſicut *Tab. II, l. c.* ex cognoſcuntur; & pars α interoſſeo primo innectitur muſculo, & qualecunque ejus principium tendinoſum præbet. Tandem ligamentum ω, quod rectius obliquum, quam transverſum dicitur, id ipſum declive capita metatarſi oſſium digitorum firmat; ac juxta ſedem ligamentoſam & priorem antithenar muſculi, vel aliter jam confirmatorum oſſium nexum, id vinculum, ſub pinguiori quidem obductione deliteſcens, augere exiſtimatur.

Tabulæ plantæ pedis humani interoſſeorum muſculorum, pluriumque ligamentorum, arte anatomica diſtinctorum, & ſiccorum, brevis expoſitio.

A. Malleolus tibiæ internus.
B. Fibulæ os.
C. Facies oſſis tibiæ poſterior,
D. Protuberantia tibiæ oſſis.
** Tuber tali oſſis.

E. Chorda

E. Chorda Achillis.

F. Ligamentum plantare ſubcutaneum, ſive tendo plantaris.

G. Vaginæ, tibialis muſculi poſtici & perforantis tendinum pars, ceteroquin tanquam continuatio ligamenti H viſa, & quæ ad tali oſſis tuber adhæret.

H. Ligamentum tali oſſis calcisque internum; ſub eodem tendo flexoris longi pollicis muſculi, per propriam viam L progreditur.

I. Tibiæ malleoli, & tali oſſis, ſeu pedis articuli ligamentum rectum internum.

K. Pedis articuli ligamentum obliquum internum, quod ſuper N extenditur.

L. Vaginæ ſpecies, per quam ducitur tendo flexoris pollicis longi muſculi.

M. Tuber calcanei oſſis internum.

N. Cartilago fibroſa, quæ tali oſſis cervicem, & calcanei internum tuber, perinde ac navicularis oſſis ſuperficiem connectit, obiter notatur.

O. Via aperta tendinis tibialis muſculi poſtici Q e naturali ſitu reclinati.

P. Tendinis pars flexoris pollicis brevioris, anterius hac litera notatur: deinde etiam poſterius, eadem litera progreſſus ſignificatur partis minoris tendinis, ubi cum U, ligamentoſa productione prima tendinis Q, in exemplo conjuncta fuit; unde componitur ligamentum oſſis navicularis & cuneiformis tertii oſſis poſterius.

Q. Tendo tibialis muſculi poſtici.

R & r, In fundo vaginæ tibialis muſculi poſtici tendinis ligamentoſæ viſa duo valida ligamenta, quæ ſub capite oſſis tali extenduntur, & altiori plantæ loco, calcis & cubiforme os, atque naviculare nectunt.

S. Portio maxima tendinis tibialis poſtici, ſive ligamentum oſſis navicularis & cuneiformis, ac metatarſi oſſis primi inferius.

T & * Portiones duæ ligamentoſæ ejusdem tendinis, anterius quidem lateſcentes; e quibus hæc, partim in tertio cuneiformi oſſe ſubſiſtit, partim verſus os metatarſi tertium & quar-

Digitized by Google

quartum excurrit; iſta vero paulo minor eſt,& altiori loco, ſcilicet ab latere tertii oſſis, ad ſecundum tam cuneiforme, quam metatarſi os pergit; etiamſi non ſemper hæ duæ partes ita diviſæ inveniantur.

U. Portio illius tendinis alia, quæ cum tendine flexoris pollicis brevioris convenit.

W. Oſſis navicularis & cubiformis ligamentum.

X. Oſſis navicularis, deinde cuneiformis ſecundi, ac capitis metatarſi oſſis ſecundi ligamentum, quod admodum conditur in ſinu, neque latitudine parti T cedit; & id hoc loco extra ſitum nonnihil dimotum apparet.

Y. Oſſis navicularis, & cuneiformis primi laterale ligamentum internum.

Z. Tendo muſculi peronæi longi, tortus quodammodo & ſublatus; hic cartilaginem oblongam in progreſſu ſiſtit videndam, quæ in via propria η ad cubiforme, extuberans hoc loco, os applicatur.

α. Ejusdem tendinis pars, quæ oblique ſurgit ex humiliori loco, & interoſſeo primo muſculo innectitur.

β. Ejus pars media & major, inferiori loco in os metatarſi deſinens.

γ. Ejus pars poſterior in cuneiforme os deſinens.

δ. Os cuneiforme tertium.

ε. Ligamentum transverſum, ab oſſe cubiformi, ſub interoſſeis muſculis prolatum.

ζ. Muſculi antithenar tendinis pars prior præciſi.

η. Via tendinis muſculi peronæi poſtici, ſeu longi.

θ. Tuber oſſis metatarſi exterioris.

ι. Pars ligamenti calcis longi λ præciſa, ſeu lamina exterior, quæ condit tendinem peronæi, & ultra vaginam ad muſculum antithenar pergit, & utcunque notatur.

κ. Ligamentum oſſis calcis, & locorum plantæ plurium, latumque.

λ. Ligamentum calcis plantæque longum.

μ μ. Productio ligamentoſa, lati calcis plantæque vinculi, duplex.

ν. Oſſis

Digitized by Google

ν. Oſſis cubiformis, & cuneiformis tertii ligamentum, ab vaginæ peronæi tendinis fundo natum.

ξ. Muſculus transverſus Caſſerii.

ο. Muſculus adductor pollicis.

π. Muſculus flexor minimi digiti.

ρ. Tendo flexoris pollicis in vagina.

σσ. Oſſa duo ſeſamoidea pollicis.

ττ. Ligamenta articulorum lateralia.

υ. Tendo flexoris pollicis muſculi latior in extremo pollice viſus.

χ.χ. Tendines digitorum flexores in vaginis ligamentoſis.

ω. Ligamentum anterius oſſium metatarſi capitum, & obliquum.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Muſculi interoſſei: & ex his quatuor priores, melioris habendæ diſtinctionis cauſa, præ ceteris ex naturali ſitu ſuo videntur moti.

## FOUR DISSERTATIONS &c. BY ROBERT D'OYLY &c.

h. e.

## *DISSERTATIONES QUATUOR, AUTORE ROBERTO D'OYLY, &c.* (*Vide Act. Erud. hujus Anni M. Mart. p. 130 ſq.*)

Londini, ſumtibus Rob. Gosling, 1728, 8 maj.

Alph. 1 pl. 2.

DIſſertatione ſecunda, de auxilio Dei extraordinario primis Evangelii præconibus aliisque primæ Eccleſiæ membris præſtito, agit Cl. Autor. Hoc ipſum Chriſtus ſuis promiſit, dum in cœlos aſcenſurus *Matth. XXVIII, 20*, ſpe præſentiæ ſuæ diſcipulos, homines a natura viribus idoneis ad exequendas res tanti momenti haud inſtructos, ſolabatur ac confirmabat. Duobus igitur modis Chriſtum Apoſtolis ſuis aſtitiſſe, atque demandato muneri ipſos præparaſſe oſtendit, primo, ut eo ſucceſſu Evangelium per orbem univerſum prædicare poſſent, ut proſelytos paſſim per omnes gentes Chriſtianæ

 fidei

ſidei compararent, deinde ut plantare ac conſervare collectos cœtus, autoritatem rectorum a ſe inſtitutorum ſtabilire, atque ſingulorum membrorum ſaluti conſulere poſſent. Docent profecto rerum geſtarum monumenta, Chriſtum præſentem opem per Spiritum S. ſuis pollicitum, nunquam ipſis defuiſſe, & non Apoſtolis tantum, ſed ipſorum quoque ſucceſſoribus, vim perſuadendi, ſingularemque prudentiam tum plantandi tum propagandi Eccleſiam largitum eſſe, atque facultatem doctrinam miraculis confirmandi addidiſſe. Hæc luculenter, inſperſis ſubinde doctis animadverſionibus ex veterum patrum inprimis monumentis, & uberius Autor demonſtrat, cujus ſingula quidem argumenta perſequi haud vacat. Tandem, quo tempore virtus illa miracula patrandi, atque ſingularia dona primis Chriſtianis conceſſa defecerint, ex antiquis hiſtoriarum monumentis oſtendit, indicans ſimul rationem, cur Deus, nec deſerens unquam Eccleſiam ſuam, nec prodigus tamen miraculorum, illa, ſancto Chriſti cultu jam fundato ac confirmato, ceſſare voluerit; atque fabulas, quas Eccleſia Romana hodie paſſim oſtentat, examinat & proſcribit. Tertia denique diſſertatione, de revelatione Prophetarum, quam Deo acceptam habebant, agit, & primum, qui nomine Prophetarum in Vet. Teſt. inſigniti fuerint, inquirit, ac varios modos, quibus Deus res abditas cum ipſis communicaverit, explicat; quibus conditionibus divino illo commercio digni habiti fuerint, rimatur, atque diverſa revelationis illius argumenta, & notas veræ prophetiæ, quibus partim ab Enthuſiasmo diabolico, partim a ſimulato quodam cum numine commercio diſtinguitur, oſtendit. Inter modos revelationis diverſos recenſet viſiones, ſomnia, & vocem divinam, quam illud genus revelationis quoque ſub ſe complecti contendit, quo reſponſa divina per Urim & Thummim edebantur, multa erudite adverſus eos diſputans, qui ſplendore duntaxat lapidum pretioſorum, quibus hoc Summi Pontificis ornamentum diſtinguebatur, voluntatem Dei ſignificatam fuiſſe tradiderunt. Aliud genus revelationis erat interna mentis inſpiratio, a Spiritu S. facta, ubi characteres rerum reconditarum imaginationi ac intellectui Prophe-

Digitized by Google

phetarum a Deo inſcribebantur, qua ratione, ut non incongrue aſſerit Maimonides, Pſalmi Davidis, Proverbia Salomonis, Eccleſiaſticus, liber Jobi, aliique libri qui inter hagiographa vulgo referuntur, ab autoribus afflatu Spiritus S. animatis compoſiti fuerunt. Quartus denique modus erat, quando menti Prophetarum ſive intellectui ſoli Spiritus divinus res abditas dictabat, inferiores, quas vulgo vocant, animi facultates plane non commovens, de quo inſpirationis genere in S. Scriptura dicitur, quod Deus Prophetam a facie ad faciem cognoſcat, quod coram cum ipſo loquatur &c &c. quod alia ratione accipi nequit, quam quod mens pura cum humana mente tantum commercium habuerit. Hoc Prophetiæ donum ſacerdotibus ac Levitis primum a Deo indultum fuiſſe videtur, quorum corruptis moribus cum fieret, ut Summum Numen commercia ipſorum detrectaretur, ipſeque populus propterea rarius ſacrificia offerret, ſcholæ paſſim inſtituebantur, in quibus vocati vulgo Prophetarum filii educabantur, atque a rectoribus harum ſcholarum, ut converſatione cum numine eo digniores eſſent, præparabantur. Multa erudite circa hoc argumentum evolvit, quæ pluribus S. Scripturæ locis egregiam lucem fœnerari poſſunt, quibus vero immorari nobis jam non licet. Illud duntaxat notamus, quod hac quoque diſſertatione, libri, quem ut monuimus paſſim deteſtatus eſt, loca nonnulla ſub examen revocet, quibus ſcriptor illius, ut ſchismati, atque deplorandæ inter Chriſtianos diſcordiæ patrocinaretur, non modo Eliam atque Eliſam, aliosque Iſraelitarum Prophetas, qui Deum adoratum ſtato tempore Hieroſolymam commigraſſe ipſi haud videntur, ſchismaticorum & ab Eccleſia Judaica alienorum numero adſcribit, ſed ipſi quoque Joſepho, quaſi ad gentilium Ægyptiorum caſtra tranſiiſſet, exprobrat. Sed nobis brevitati ſtudentibus nec variis rationibus ſuffulta Cl. Autoris argumenta excerpere, nec notas, quibus ultimo capite virtutem propheticam ab Enthuſiasmo vel plane diabolico vel ſimulato diſtinguit, cum lectore communicare licet. Supereſt nimirum & quarta diſſertatio, qua corpus idem poſt mortem reſurrecturum eſſe,

adverſus objectiones nonnullorum civium ſuorum evincere ſuſcepit. Colligi inde poteſt, quam momentoſa videantur nonnullis Anglorum liberius cogitantium *Lockii* argumenta, quibus ejusdem corporis reſurrectionem impugnavit, ſiquidem eisdem nuper admodum Summe Reverend. *Vinc. Holdsworth* peculiari libello, cujus compendium *A. 1728 p. 395* in his *Actis* exhibuimus, occurrere ſtatuit. Cum vero huic, omnem *Lockii* Theologiam excutere, animus fuiſſe videatur, Noſter in ipſius de corporis reſurrectione ſententiam tantum inquirere ſuſcepit. Poſtquam itaque ſuccincte enarravit, tum gentilium, tum quorundam ex Judæis & hæreticis primorum ſeculorum adverſus doctrinam hanc murmura, qui rationi repugnare corporis reſurrectionem autumantes, illam ridebant, *Lockium* arguit, quod conceptu metaphyſico, de identitate & diverſitate rerum, quem ſibi effinxerat, innixus, verbis potius, quam re ipſa reſurrectionem carnis conceſſerit. Perſuadere enim aliis ſe poſſe putabat, eundem hominem reſurgere dici poſſe, licet non ex iisdem particulis corpus ejus compoſitum ſit, quæ in ſepulchro conditæ computruerunt, modo eadem homini ſuperſit ſui ipſius conſcientia. Contendit vero Noſter, Philoſophorum conceptus, licet momento ſuo in humanis ſcientiis non deſtituantur, confeſtim tamen reſpuendos eſſe, ſi planæ atque cuivis obviæ S. literarum doctrinæ repugnent. Cum itaque Spiritus S. diſertis verbis *Matth. V, 29, Phil. III, 21, 1 Cor. XV, 53* &c. teſtetur, idem quod in tumulo conditum fuit corpus, reſurrecturum eſſe, neque ea in re quicquam, quod ſecum pugnaret, deprehendatur, vanum eſſe *Lockii* conceptus adoptare, quibus S. Scripturæ vis inferatur. Illud igitur argumentum maxime urget, quod conceptus reſurrectionis corporis ejusdem nihil quod ſibi ipſi contradicat involvat, cum difficilius non ſit Deo, reſtaurare idem corpus, quod morte ab anima ſeparatum fuit, quam aliud corpus ex nova materia compoſitum animæ concedere. Miſſis igitur, quæ ad rem propius haud ſpectant, rebus, ut adverſarium Socini aſſeclis ſtipatum, quos tamen omnes hac in re non prorſus conſentire obſervat, eo expedi-

peditius proſternat, argumenta, quibus maxime innifus eſt, aggreditur. Palmarium fere ex illis erat, quod *Paulus 1 Cor. XV, 35—45* diſerte, non σώματα, ſed πάντες οἱ νεκρόι &c. ἐγείρονται, ζωοποιηθήσονται &c. aſſerat, nec dubitandum ſit, divum Apoſtolum diſtinctius de corpore locutum fuiſſe, ſi tanquam fidei articulum doctrinam hanc proponere ipſi animus fuiſſet. Noſter vero non modo criticam hanc *Lockii* obſervationem aperte falſam eſſe contendit, cum *1 Cor. XV, 44*, ἐγείρεται σῶμα πνευματικόν *v. 42, 43*, rurſus σῶμα clare exprimatur & *Rom. VIII, 11*, vitæ reddet mortalia corpora noſtra, expreſſis verbis aſſeratur; ſed inculcat quoque, quam male *Lockius* parabolis S. Scripturæ, quibus *Paulus 1 Cor. XV*, utitur, ſententiam ſuam adſtruere moliatur, cum alia clariſſima paſſim obvia ſint loca. Ut tamen abunde Adverſario ſatisfaciat, quomodo locus hic ad Corinthios recte explicandus ſit copioſius exponit, contendens Apoſtolum de immutatione qualitatum, non vero ipſius ſubſtantiæ integræ materiæ mortuæ loqui. Inde ad philoſophica *Lockii* argumenta accedit, atque conceptum identitatis, quem ſibi *Lockius* effinxerat, quaſi homo idem dici debeat, qui prioris ſtatus recordatus, ſui ipſius ſibi conſcius eſt, carpit. Animæ identitatem eo forte abſolvi largitur, ſed hominem integrum ex anima & corpore conſtantem eundem dici non poſſe, niſi & anima & corpus idem reſtituatur, urget. Et cum *Lockius* conceſſerit, corpus Chriſti ex morte reſuſcitatum nova materia opus non habuiſſe, quia in tumulo haud computruerit, Doctiſſ. Autor demonſtrare ſuſcipit, ob eandem rationem nec novis illis materiæ particulis corpori humano olim reſuſcitando opus eſſe. Poſtquam illam de reſurrectione ejusdem corporis ſententiam, Orthodoxæ primorum Chriſtianorum, & receptæ olim inter Judæos doctrinæ conſentire, neque deeſſe in paganorum ſcriptis veſtigia ejusdem doctrinæ, ſuccincte ac erudite oſtendit; ſigillatim denique diluit objectiones inde petitas, quod particulæ quædam mortui corporis humani annihilentur, vel quod nonnullæ illarum per infinitas materiæ partes diſpergantur, iisque permiſceantur, ut colligi atque priori corpori reſti-



Digitized by Google

tui nequeant, atque uſus theologicos, quos doctrina hæc de ejusdem corporis reſurrectione præbet, ad confirmandam pietatem atque conſolandos de futura conditione ſua anxios, evolvit.

## *JO. CHRISTOPHORI KRUSIKE, V.D.M. Vindemiarum literariarum Specimen I.*

Hamburgi, impenſis J. W. Fickweileri & C.W. Brandii, 1727, 4. Pl. 5.

*Specimen II.*

Ibidem ſumptibus Chr. Wilh. Brandii, 1731, 4. Plag. 9.

B. Autoris Parentis *Pauli Georgii*, Con-Rectoris quondam lycæi Joannei, quod Hamburgi floret, celeberrimi Bibliotheca haſtam ſubitura partim anno 1727, partim A. 1731, anſam aliqua præfandi Pl. Rev. Autori pro amore, quo in elegantiores literas fertur, præbuit. Collegerat olim *Joach. Jo. Maderus*, Helmſtadienſis, Volumen, quod *de Bibliothecis atque Archivis clariſſimorum libellos & commentationes* complectitur, huic acceſſerunt ab *Jo. Andr. Schmidio*, duo Tomi ejusdem argumenti; plures fuerunt promiſſi, quos eo defuncto fruſtra ſperamus. Ne tamen opus imperfectum maneat, ſe ſubituros hoc onus fidem ſuam publico adſtrinxerunt V. C. *Jac. Frid. Reimmannus* & *Jo. Chriſtoph. Colerus*. Quæ dum exſpectamus, Pl. Rev. Vir ſibi viſus eſt in commune conſulere, ſi illa quæ reliquis Tomis inſerenda, indicaret. Tomo ergo IV tribuit *libros atque tractatus integros;* Tomo V quem in quinque ſectiones dividit, 1) *Diſſertationes*, 2) *Orationes*, 3) *Epiſtolas*, 4) *Programmata*, & 5) *Poemata;* Tomo VI *Excerpta* ex alius generis libris; Tomo VII *Scriptores Exoticos*, qui ſunt 1) *Galli*, 2) *Itali*, 3) *Angli*, 4) *Germani*. Subjecit etiam duplicem Indicem omnium ſeptem Tomorum, alterum Autorum, alterum Argumentorum. Finem demum facit Speciminis primi *Appendix Affectorum ſeu Promiſſorum & Ineditorum*. Ejusdem cenſus eſt alterum Specimen, niſi quod rei librariæ ſcriptores ſpecialiores in ſcenam producat. Deſcriptum eſt in VI capita, quorum 1) de

*libris*

*libris univerſe*, idque exhibet α) *Antiquaria*, β) *Critico-literaria*; 2) de *Scriptione Librorum*, α) *generatim*, β) de *titulis*, γ) *Dedicationibus*, δ) *Præfatione*, ε) *Exorciſmis*, ζ) *Verſionibus*, η) *Indicibus*, θ) *mendis*; 3) de *Lectione Librorum*, α) *Generatim*, β) *Gentilium*; 4) de *Cenſione librorum*, α) *Critico-literaria*, β) *Ethico-Politica*, γ) *Theologica*. 5) de *Abuſu librorum*; 6) de *memorabilibus librorum*, *fatisque variis*; 7) de *pœnis librorum*, *inprimis combuſtione*. Adjectus eſt hic quoque *Appendix Affectorum ſeu Promiſſorum & Ineditorum*. Agmen claudit *Index Autorum*, qui in hoc ſecundo Specimine fuerunt propoſiti. Nomenclaturam igitur facere voluit ſcriptorum ad librariam rem ſpectantium; vel hoc ſatis mereri potuiſſet de eruditione, cum paucis contingat, tot, quot hic ſiſtuntur, una vice videre, in quo tamen non acquievit Noſter, ſed cum cura indicavit de quovis ſcripto doctorum judicia, & ſi qua alia ex hiſtoria literaria ſcitu neceſſaria videbantur. Ea vero non poſſunt non harum rerum amatoribus eſſe jucundiſſima, ſimulque documento ſunt, quam bene in una ſede morantur rerum divinarum notitia cum elegantioribus ſtudiis, quod hoc non ſolum, ſed multa alia Pl. Rev. Viri literarum monumenta abunde teſtantur. Gratulamur hoc bono publico, precamurque Pl. Rev. Viro optima quæque, ut cœptam telam feliciter abſolvat: ſequentur enim Specimen III, de *Eruditione*; Specimen IV & V de *Eruditis*: atque *Supplementa*, ad quæ nos, quantum ad manus eſt, conferamus: ad Spec. I Tomum IV JO. DAV. KOELERI *Syllogen aliquot Scriptorum de bene ordinata & ordinanda Bibliotheca*, de qua vide *Acta noſtra A. 1729 M. Maj. p. 238 ſeqq.*; ad Tom. V Sect. I JO. GEORGII ZIHN Diſputat. *de Bibliothecis* Lipſ. A. 1678, 4to; ad Sect. III ejusdem Tomi MAVRITII HVSELITT, *Cogitata de Bibliotheca Materiarum ac Autorum moderno ſeculo conficienda ac uſurpanda per Epiſtolam communicata*, Jen. 1710, 4to; ad Spec. II Cap. II Sect. I, FLORIANI KLEPPERBEIN, *Hiſtoria Artis Scriptoriæ*, Witteb. 1683, 4to; ad Cap. VII, FRID. WILHELMI SCHÜTZ, Diſputat. II, *de Combuſtione Librorum Hæreticorum*.

COLLE-

Digitized by Google

## *COLLECTIO ELEGIDIORUM ATQUE EPIgrammatum JO. CHRISTOPH. KRUSIKE, V. D. M. tum editorum tum ineditorum per JO. GEORG. HAMANN.*

Hamburgi, apud Chriſt. Wilh. Brand, 1730, 8.

Plag. 3.

PArvæ molis opus, quod tamen poeſeos amatoribus non poterit non eſſe gratiſſimum, iis præſertim, quibus ſalivam moverint, quæ idem divini ingenii Vates alio tempore cecinerit, ut *Thetis Balthica*; *Næniæ ferales*; *Calendæ Auguſtæ*; *Carmen Seculare A. 1717*; *Athenæ Florentes*; *Elegiæ in J. B. Majum*, *Sebaſtianum Kortholt*, *Conr. Sam. Schurzfleiſch*, *Jo. Conr. Langium*, qua Specimen II Vindemiarum Litterar. ei inſcripſit; & alia. Nec cedunt venuſtate, quæ in Ampliſſ. *Weichmanni*, nunc Conſiliarii Aulæ Sereniſſimi Ducis Brunſvico-Luneburgenſis, *Poeſien der Niederſachſen*. P. II. p. 209. 229. 239. *Kruſikianum* nomen præ ſe ferunt, & vernacula ſunt compoſita. Omnibus tanta ſuavitas pariter ac doctrina ineſt, ut mererentur, quo aliquando iſtæ palantes ſchedæ in unum corpus colligantur. Speramus, Pl. Rev. Autorem orbi erudito non inviſurum hoc bonum; nos interim contenti ſumus hoc Centone, quod aliquibus eorum, quæ ob brevitatem facilius interire poterant, in hac Collectione nunc frui liceat. Agmen ducunt Epigrammata XII, quæ Ephemeridibus Hamburgi nomine *Auszüge von gelehrten Sachen* prodeuntibus præfixa ſunt. Hæc excipiunt XIV alia, quæ etiam olim typis fuerunt exſcripta, quibus addiderunt Decadem adhuc non editorum. En! accipe unum, ex quo diſcas, quid de ceteris ſentiendum, pag. 12.

*In obitum Sereniſſ. Ducis de Marlborough.*

*Ad Marlboroughi venientes Saxa Camœnæ*
*Tentabant digno ſcribere verba metro.*
*Scribite Pierides, divinæ ſcribite turbæ,*
*Poſt tantas laudes ſufficit: Anglus erat.*

* * *

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Maji Anno MDCCXXXII.*

*SACROSANCTA CONCILIA AD REGIAM Editionem exacta, quæ olim quarta parte prodiit auctior ſtudio PHILIP. LABBEI & GABR. COSSARTII, S. J. Presbyterorum; nunc vero integre inſertis STEPH. BALUZII & JO. HARDUINI additamentis, plurimis præterea undecunque conquiſitis monumentis, Notis inſuper ac Obſervationibus, firmiori fundamento Conciliorum epochas fulcientibus, longe locupletior & emendatior exhibetur, curante NICOLAO COLETI, Eccl. S. Moyſis Venet. Sacerdote alumno.*

Tom. VI ab A. DLIII ad A. DCXLVIII. Alph. 8 plag. 20.

Tom. VII ab A. DCXLIX ad A. DCLXXXVII. Alph. 8 pl. 6.

Tom. VIII ab A. DCLXXXVII ad A. DCCLXXXVII. Alph. 8 pl. 18.

Tom. IX ab A. DCCLXXXVII ad A. DCCCLVIII. Alph. 8 pl. 18.

Venetiis, apud Jo. Baptiſt. Albrizzi, Hieron. F. & Sebaſt. Coleti, 1729, fol.

QUinque Tomos præſtantiſſimi hujus Operis recenſu huc usque noſtro exhibuimus: nunc allatos ad manus noſtras ſequentes Tomos *quatuor*, a VI ad IX, eosdem-



Digitized by Google

demque omnes eodem anno 1729 Venetiis excuſos, recenſere pergimus, novarum duntaxat acceſſionum & auctariorum, quibus hæc nova Conciliorum Collectio generalis priores omnes, hoc nomine vulgatas, antecellit, mentionem illaturi, aut eorum etiam habituri rationem, quæ ad temporis locique ordinem curatius exacta ſunt: prout hujus noſtri inſtituti ex ſuperioribus adhuc meminiſſe Lectorem benevolum nulli dubitamus.

*Tomus VI* a Concilio Conſtantinopolitano, A. 553 celebrato, quod Oecumenicum quintum venditat Eccleſia Græca, incipit. Hujus acta inſigniter aucta & emendata eſſe a *Baluzio* in Collectione, quam dedit, nova, aliunde conſtat. *Baluzii* porro opera ipſe uſus eſt *Harduinus* in Editione ſua, ita, ut novo ac meliori longe ordine nunc integra Concilii acta collocaret. Ex horum igitur allatis præſidiis nihil omittendum ſibi rati ſunt
p. 5 ſqq. noſtri Veneti, qui & *Baluzii* Præfationem, ac *Petri de Marca* Diſ-
245 ſqq. ſertationem de Decreto Vigilii Papæ pro confirmatione Synodi V, utramque ab *Harduino* omiſſam, denuo exhibuerunt.
419 ſqq. Ad A. eundem Liberati itidem Breviarium, quod *Harduinus* prætermiſerat, prout a *Labbeo* & aliis Editoribus, abſque appendice
475. tamen, exhibitum eſt, reſtituitur. A. 556 ad Epiſtolam X Pelagii, quæ ſcripta eſt Childeberto, Galliarum Regi, peculia-
498. ris *Ant. Pagi* obſervatio infertur. A. 558 Concilii Aquilejenſis, quod præcedentibus Collectoribus prorſus incognitum fuit,
526. eodem *Pagi* autore mentio fit. Ad A. 563 refertur Concilium Bracarenſe, quod vulgo alterum numeratur: de quo cum & inter Collectores atque *Baronium* non conveniat, utrum ad A. 561, an 563, rectius ponatur, de eodem affertur *Pagi* iterum connotatio, qui primum illud rectius numerat, atque epocham ejus in
652 ſqq. A. 560 figit. A. 579 Gradenſe Concilium celebratum fuit, præcedentibus huc usque Editoribus plane prætermiſſum; actum autem in eo de translatione ſedis metropolitanæ Aquilejenſis in urbem Gradum, confirmataque Synodus Chalcedonenſis. De hoc Concilio ex *Danduli* Chronico MS. jam in *Ughelli* Ital. Sacr.
655 ſq. Tom. V retulerat Editor, quæ h. l. repetit, ac *Pagi* denique Ob-
667. ſervationem, de eodem tradentem, ſubjungit. A. 584 Rothomagenſis Conventus generalis noviter e *Guil. Beſſini* Conciliis

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ Rothomagienſis ſ. Normanniæ, quæ A. 1717 in fol. prodierunt, ſufficitur, idemque *Pagi* ſubjuncta animadverſione firmatur. A. 587 Synodum Conſtantinopolitanam rectius ad p. 690.
A. 588 referri, adducta *Pagi* connotatione prolixiori affirmatur. Ad A. 589 refertur Maranenſis Pſeudo-Synodus, in qua 731.
Severus Gradenſis, Metropolita, oblato libello in communionem receptus eſt, ex *Henr. Noriſii* Diſſertat. hiſtorica de V Synodo. Eodem A. Concilium Antiochenum, in quo ab Eulogio 732.
Patriarcha editum in Samaritanos Decretum, ex *Photii* Bibliotheca Cod. 230 figitur. A. 590 de Romano quoque Concilio, a 733.
Pelagio II celebrato, aliis huc usque prætermiſſo, refertur, cui & *Pagi* diſquiſitio ſubjicitur.

A. 590 Regiſtrum Epiſtolarum Gregorii M. quod XII libris 738.
conſtat, atque *Harduino* omiſſum eſt, integrum denuo exhi- [1310.
betur, idque magnam Voluminis partem complet. A. 591 Sy- 1323.
nodus Menesbrenſis in Britannia minore, in qua Comes Comorrus excommunicatus, collocatur, in quo Collectoribus noſtris præiverunt Acta Sanct. Tom. III Jun. d. XVI p. 370. Eodem A. Pſeudo-Synodus Iſtrienſis, ad quam etiam refertur ſuggeſtio 1324 ſqq.
Epiſcoporum Iſtriæ, ex *Noriſii* Diſſ. citat. de V Synodo locum invenit. A. 595 Concilium Romanum II *Ant. Pagi*, & A. 598 1336.
Concilium Oſcenſe in Hiſpania Card. *de Aguirre* peculiari Ob- 1337.
ſervatione illuſtrantur. A. 600 Concilium incerti loci in Gal- 1341.
lia celebratum, in quo agitata quæſtio de Paſchate, ex *Basnagii* Annal. Eccl. ad h. a. noviter affertur. Ad A. 601 duo Concilia 1344 ſqq.
Romana, quorum prius Lateranenſibus accenſetur, *Pagi* ob- 1364 ſqq.
ſervationibus illuſtrantur. A. 610 ad Concilium Toletanum *Garſiæ Loaiſæ* prolixior Commentarius de primatu Eccleſiæ Toletanæ, *Harduino* omiſſus, reſtituitur. Ubi ſimul notamus, ejusdem *Loaiſæ* notas ad Concilium, tum hoc, tum alia Hiſpanica, quas *Labbeus* & Regia ſemper exhibuerunt, *Harduinus* autem ſubinde omiſit, hic & in ſequentibus a noſtris ſuis locis denuo illatas ubique deprehendi. A. 619 ad Concilium Hiſpa- 1417.
lenſe II nova *Ant. Pagi* Obſervatio accedit. A. 622 Charnenſe 1418.
apud Armenos Concilium, in quo Græcos inter & Armenos concordia reſtituta, ex *Clem. Galani* Concil. Eccleſiæ Armenæ

 novi-

Digitized by Google

p. 1427. noviter inſertur. A. 626 Pſeudo-Synodus Conſtantinopolitana Monotheletarum, aliis adhuc ignota, ex *Pagi* Critica ad h. a.
1445. ſufficitur. Porro, quæ ſequuntur, Concilia plura, Synodus nem-
1481 ſq. pe Lenienſis apud Britannos A. 630, nec non Concilium Hieroſolymitanum contra Monotheletas A. 634, & A. 635 Conventus incerti loci apud Scotos, e quo S. Aidanus in Northumbriam
1503. miſſus; porro conciliabulum Conſtantinopolitanum A. 639,
1507. quo ectheſis Heraclii confirmata, & A. 640 Synodus Romana,
1525. in qua eandem ectheſin Papa Severinus damnavit: denique
1603. Concilium Romanum A. 641, & Romanum aliud A. 648, omnia eodem *Pagi* autore vel nova prorſus aſſeruntur, vel ejusdem obſervationibus & annotationibus illuſtrantur.

77 ſqq. *Tomi VII* initium fit a Concilio Lateranenſi, A. 649 ſub Martino I Papa celebrato, quod ex *Labbei* editione Græco-Latinum exhibetur: nec omittuntur animadverſiones, quas ex collatione utriusque textus, Græci & Latini, *Harduinus* paucúlas ſubjecit. Primum, quod recens hic Tomus ſufficit e *Beſſini* Collect. Concil. Normanniæ, eſt Rothomagenſe aliquod
402 ſqq. Concilium A. 650, cujus Canonibus XVI ejusdem *Beſſini* ob-
500. ſervationes acceſſerunt. A. 658 ad Nannetenſe Concilium no-
503 ſqq. va quædam *Ant. Pagi* obſervatio affertur. A. 659 ad Conventum Clipiacenſem, vulgo ad h. a. relatum, quod perperam fieri notavit *Pagi*, eundem ad A. 653 potius rejiciens, præceptum Clodovæi II de libertate monaſterii S. Dionyſii refertur: quod ipſum mire interpolatum ediderat quidem *Labbeus*, hic vero correctius e *Mabillonio* de Re Diplomat. Lib. V Tab. 17 & Lib. VI p. 466 exhibetur, additaque porro notatio-
511. ne quadam ipſius *Mabillonii* illuſtratur. A. 665 Conventus Compendienſis, apud Gallos pro conſecratione Wilfridi, Epiſcopi Eboracenſis, inſtitutus, ex *Beda* & *Eddio*, ſcriptoribus An-
577. glis, adducitur. A. 675 ad Concilium Toletanum XI animadverſio quædam pro corrigendo *Garſia Loaiſa* ex *Pagi* Critica
587. affertur. A. 677 Concilium Anglicum, in quo Epiſcopatu de-
593 ſqq. jectus Wilfridus Eboracenſis, inſeritur. A 679 Synodus Marlacenſis apud Gallos, in qua Chramlinus, Epiſcopus Ebredunenſis, depoſitus, memoratur, de qua *Mabillonius* & *Pagi* inter ſe diſſidentes

dentes comparantur. A. 680 Concilium generale Hedtfelden- p. 599.
ſe apud Anglos, in quo Monothelismus damnatus, prolixa *Ant.*
*Pagi* Obſervatione illuſtratur. Ad A. 680 Concilium Roma- 607.
num alterum, Agathoni Papæ vulgo tributum, adducta *Pagi*
annotatione in A. 679 rejicitur. A. 680 Concilium generale
Conſtantinopolitanum III, quod & Græci VI numerant, item- 609 ſqq.
que, quod eidem ſubinde jungitur, Quiniſextum, in Trullo A.
692 celebratum, longo hic ordine exhibitum, nihil quidem no-
vi habet, variantes autem *Harduini*, ab eodemque allata ver- 1161-1326.
ſio Latina altera & longe correctior, hic omnino etiam exhi-
bentur. Ad Rothomagenſe Concilium, de quo jam a *Sirmon-* 1452.
*do*, *Labbeo* & *Mabillonio* diſputatum eſt, an ad A. 682, an vero
ad annos ſequentes, referendum, huc recentes *Guil. Beſſini* no-
tationes apponuntur, quibus tamen nec certi quid definitur.
Ad A. 687 quod refertur, Manaſchiertenſe apud Armenos con- 1502.
ciliabulum, quo Acephalorum & Monotheletarum dogmata fir-
mata, e *Galano* & *Cavei* Hiſt. Literar. repetitum eſt, hocque Vo-
lumen claudit.

*Tomo VIII* primo loco recens occurrit Synodus incerti lo- 29.
ci, juſſu Pipini habita, ad ordinandas res Chriſtianas in Friſia, de
qua proinde ex Annalibus Francorum, præeunte *Pagi*, brevis
mentio infertur. A. 692 de Synodo Quiniſexta ſ. Trullana, 44.
cujus jam acta *Tom. VII* in Concilio generali Conſtantinop.
prolata, poſt exhibitas *Binii* & *Frontonis Ducæi* notas, *Pagi* no-
tatio Chronotactica nova affertur. A. eodem Concilium 45 ſqq.
Anglo-Saxonicum, ab Ina Rege coactum, eodem *Pagi* au-
tore adſtruitur, cui ejusdem Regis leges Eccleſiaſticæ ſubjici-
untur. A. 694 ad Concilium Bencanceldenſe Anglicum iti- 80.
dem *Pagi* Obſervatio accedit. A. 695 Autiſſiodorenſe Conci- 95 ſqq.
lium, a Tetrico Epiſcopo habitum, e *Labbei* Bibliotheca nova
MSS. affertur. A. 698 Aquilejenſe Conciliabulum, &, quæ ſe- 103.
quuntur, Concilium Anglicanum A. 701, Romanum A. 705, Nid- 109 & 114.
denſe A. eodem, Londinenſe A. 712, Romanum A. 721, itemque 120. 150.
Epiſtolæ, quæ Zachariæ Papæ A. 742 ſeqq. tribuuntur; porro 191.
& Concilium Germanicum A. 742, itemque Leptinenſe A. 743, 234 ſqq.
obſervationibus *Pagi*, tum criticis, tum chronologicis, illuſtran- 273.



Digitized by Google

tur. Afferuntur ad duo hæc poſtrema etiam, quæ Cel. *Jo. Alb.*
p. 278. *Fabricius* noſtras in Biblioth. Græc. Vol. XI p. 478 monuit,
290. cujus & nominetenus hic mentio infertur. A. 743 ad Roma-
295 ſqq. num Concilium & A. 744 ad Sueſſionenſe *Pagi* obſervationes
adducuntur. Ad A. 744 inſertum Capitulare incerti anni de-
betur *Steph. Baluzii* Collect. Capitular. Regum Franciæ Tom.
I p. 151. Eademque Capitularia *Baluzii* nunc primum in par-
tes vocari incipiunt, & porro, ubi ad rem Eccleſiæ ſpectantia
300. continent, uſui erunt noſtris Collectoribus. A. 745 Germanicum
308. 332. Concilium, porro Romanum eodem A. & Cloveshoenſe A. 747.
333 ſqq. ex obſervationibus *Pagi* illuſtrantur. Germanicum vero ad A.
409. 747 prorſus de novo, eodem *Pagi* autore, refertur. A. 753 Roma-
411. num aliquod Concilium ex *Ughelli* Italiæ S. Tom. II ſufficitur.
A. eodem Metenſi duo Capitula, n. IV & V poſita, ex *Baluzii*
Tom. I p. 178 infarciuntur, ut adeo integra habeantur Capitula
412 ſqq. X. Ad A. 753 vel circiter Moguntinum aliquod Concilium, a
Bonifacio coactum, ipſique noſtrati B. *Jo. Andr. Schmidio*, de
Conciliis Moguntinis ex inſtituto tradenti, ignoratum, autori-
423 ſqq. bus *Henſchenio* in Actis Sanct. aliisque, figitur. A. 756 Conci-
lium Anglicum, in quo de celebranda quotannis S. Bonifacii &
ſociorum Martyrum memoria ſtatutum, præeunte *Alſordo* &
457. *Spelmanno* e *Pagi* ſufficitur. Ad A. 759 Synodi duæ Anglica-
næ ex diverſis temporibus apponuntur, quibus itidem *Dunel-
mus* & alii ſcriptores Angli materiam ſuffecerunt. A. 762 Con-
459. cilium Attiniacenſe, ab eo, quod ad A. 765 refertur, diverſum,
463. figitur: alterum vero illud ejusdem *Pagi* Obſervatione qua-
487 ſqq. dam illuſtratur. A. 769 Capitulare primum Caroli M. e *Balu-
zii* T. I p. 189 exhibetur. A. 772 ad Concilium Bavaricum
562. apud Dingolvingam critica quædam *Pagi* notatio affertur. A.
587. 777 Synodus Veneta, in qua de ſedibus quibusdam Epiſcopali-
bus conſtitutum, ex *Juſtiniani* Hiſt. Venet. Lib. XII commemo-
595. ratur. A. 783 Concilium Hiſpanum contra Megentianos ex
628. *Pagi* connotatione accedit. A. 785 ad Capitula LXXX Hadria-
ni Papæ, præter prolixas *Anton. Auguſtini* notas, nova quædam
644. *Pagi* Obſervatio adjicitur. A. 787 Calchutenſe apud Anglos
Concilium adjecta quoque ejusdem *Pagi* Obſervatione auge-
tur.

Digitized by Google

tur. Reliqua hujus Tomi complent Acta Concilii Nicæni II, p. 646–
Generalis VII, a Græcis habiti, in quibus novi quidem nihil hic 1600.
occurrit, ſed habentur tamen omnia, quæ præcedentes Collectores de iis unquam protulerunt.

*Tomus IX* largiorem adhuc, quam præcedentes, novorum monumentorum ſegetem exhibet. A. 788 ad Concilium Narbo- 4.
nenſe accedit *Pagi* quædam nova Obſervatio. A. eodem Conci- 5 ſq.
lium Finchenhallenſe apud Anglos ex *Alfordi* Annal. ad h. a. ſufficitur. A. 789 Capitularibus Caroli M. reliquis duo et- 30.
iam illa Capitula adjiciuntur, a *Baluzio* Tom. I p. 245 exhibita.
A. 791 Concilium Forojulienſe *Pagi* annotatione illuſtratur. A. 51.
792 Romanum Concilium, in quo damnatus Felix Urgelitanus, 53.
ex *Pagi* connotatione recens affertur. Ad A. 793 ex Capitu- 55.
lari de cauſis Italiæ ea duntaxat capita, quæ ad Eccleſiaſticos pertinent, hic etiam e *Baluzio* adducuntur. A. 794 de Concilio 57 ſqq.
Francofurtenſi exhibentur tantum ea, quæ præcedentes Conciliorum Collectores jam dederant. A. 795 poſt Epiſtolas 170 ſq.
Leonis Papæ III ejusdem ſymbolum orthodoxæ fidei, prout a *Baluzio* Tom. VII Miſcell. p. 18 exhibitum eſt, h. l. ſubjicitur.
Ad A. 797 Anglicum quoddam Concilium ex *Pagi* connotatio- 175.
ne affertur. Eodem A. ad exhibita duo Capitularia Caroli M. de 177 ſq.
partibus Saxoniæ tituli capitum e *Baluzii* Tom. I p. 250 ſubjiciuntur. Adhuc eodem A. Theodulphi, Epiſcopi Aurelianenſis, Capitulare II additur primo, prout exhibuerat *Baluzius* T. VII 197 ſqq.
Miſcellan. p. 21. A. 799 Synodus Reiſpacenſis ex *Hanſizii* Ger- 211.
mania Sacra T. I p. 145 adducitur. A. eodem Concilium Roma- 215 ſq.
num Obſervatione *Pagi* illuſtratur, atque eodem A. Urgellenſe quoque Concilium, in quo Felix damnatus, e *Pagi* notatione recens affertur. A. 802 in Concilio Altinenſi inſignis lacuna 261 ſq.
in Epiſtola Synodali Paulini Aquilejenſis expletur e *Baluzio* Miſcell. Tom. VII p. 6, licet ille hanc ad Concilium Forojulienſe A. 791 referre maluerit. A. eodem ex Capitulari Caroli M. 265 ſqq.
ad h. a. ea Capitula, quæ ad res Eccleſiaſticas ſpectant, e *Baluzii* Capitular. Tom. I p. 361 ſubjiciuntur. Ad A. 803 Synodus 269.
Ratisbonenſis de Chorepiſcopis e *Pagi* Critica, & ad A. 807 Sa- 273.
lisburgenſe Concilium, ab Annone Archi-Epiſcopo celebratum,
de

Digitized by Google

p. 286. de novo adjiciuntur. A. 809 Concilium Aquisgranenſe, & A.
376. 813 Capitulare Caroli M. A. XIII, utrumque *Pagi* obſervationibus, illuſtrantur. A. eodem Concilium Rothomagenſe cum
380. adjecta *P. Beſſini* Obſervatione noviter accedit. A. 821 Con-
611. ventus Noviomagenſis, in quo Ludovicus Pius partitionem in-
642 ſqq. ter filios confirmavit, ex *Eginhardo* aſſertur. Ad A. 824 Synodi Pariſienſis de Imaginibus, quam reprobant Pontificii, non quidem in hac Collectione acta exhibentur, ſed *Bellarmini* tantum
650. refutatio, ut a prioribus Collectoribus aſſertur. Ad A. eundem Conſtitutionibus Lotharii eadem quoque Capitula ad res Eccleſiaſticas ſpectantia, quæ apud Olonam inſtituit, ex *Baluzio* Tom.
657 ſqq. II p. 321 hic interſeruntur. Ad A. 827 Synodus Mantuana pro cauſa Eccleſiæ Aquilejenſis primum e Codice vetuſto Bibliothecæ Vallicellanæ comparet, eidemque *Jo. Franc. Bernh. de Rubeis*
779. annotationes non indoctæ ſubjiciuntur. A. 829 Concilium Lugdunenſe e *Pagi* Critica ad h. a. ſufficitur: eodemque au-
789. tore etiam tres Conventus Ludovici Imp. ad A. 831, Aquisgranenſis nempe, Ingelheimenſis & in Theodotionis villa afferun-
791. tur. Ad A. 831 etiam Hamburgenſis Synodus, in qua Archi-Epiſcopatus Hamburgenſis inſtitutus, ex *Anſcharii* Biographis,
883. quos exhibuere Acta Sanct. ad d. 3 Febr. refertur. A. 836 Conventus ad Stramiacum prolixa *Pagi* Obſervatione illuſtra-
885. tur: duo autem Conventus alii, Aquitanicus & Wormatienſis,
887 ſqq. ad A. eundem; Cariſiacenſis denique ad A. 837, prorſus de no-
891 ſqq. vo ex eodem *Pagi* ſufficiuntur. Ad A. 838 Conventus Aquisgranenſis, in quo monaſterium S. Carilelphi Aldrico, Epiſcopo Cenomanenſi, adjudicatum, ex *Pagi* Critica & *Baluzii* Miſcell.
901 ſqq. Tom. III p. 114 aſſertur. A. 839 Synodus Cenomanenſis, ab Aldrico, ibidem Epiſcopo, pro ordinando miſſæ officio habita, refertur, actis ejuſdem integris adductis, autore quidem non
921. allegato, qui forte *Baluzius* modo dictus fuit. A. 843 Concilium Germiniacenſe, in quo reformata diſciplina monaſtica, e
994. *Mabillonii* Secul. IV Benedict P. II p. 249 adducitur. A. 847
1063. ad Concilium Pariſienſe Obſervatio *Pagi* adjicitur. A. 849 Concilium Romanum, ubi in judicium vocatus Anaſtaſius Presb. Cardinalis, ex actis Concilii Romani A. 853 hic etiam connotatur.

Digitized by Google

tur. A. 850 de Concilio Regiaticino, quod ad A 855 referre p. 1064.
voluit *Baſnagius* in nova edit. Lect. Antiqu. *Caniſii* Tom. II
P. II p. 357, hic in Nota ſubjecta diſputant Collectores noſtri, ac
epocham anni 850 denuo firmare nituntur. A. 850 Concili- 1075.
um Germanicum incerti loci, in quo Bremenſis Eccleſia Ham-
burgenſi unita, aſſertur ex teſtimonio Remberti in Act. Sanct.
ad d. 3 Febr. Anno eodem Romanum iterum Concilium aliquod ibid.
figitur, in quo Anaſtaſius ille Cardinalis anathemate percuſſus.
Ad A. 855 *Binii* Obſervationi de Joanna Papiſſa ſubjicitur Ce-
notaphium *Phil. Labbei*, prout in editione *Labbeo-Coſſartiana* 1167—
etiam habetur, nihil autem novi additur. A. 856 Concilium 1238.
Romanum aliquod, in cauſa Card. Anaſtaſii depoſiti iterum ha- 1261.
bitum, ex aliorum Conciliorum actis colligitur, apponiturque.
A. 857 Concilium Wormatienſe pro unione Eccleſiæ Bremenſis 1267.
cum Hamburgenſi ex Act. Sanct. d. 3 Febr. denuo infertur. A. eo-
dem ad Concilium Moguntinum Obſervatio nova e Vett. Monu- 1269.
ment. *Martenii & Durandi* Tom. I cum Epiſtola Nicolai I Papæ
adjicitur. A. 858 ad Epiſtolas Papæ Nicolai I jam appendices 1588 ſqq.
binas dederant priores Conciliorum Collectores, quibus hic
tertia additur e *Baluzii* Miſcell. Tom. V p. 479 ſqq. cujusque
conſilium dedit Cel. *Fabricius* noſtras in Biblioth. Græc. Vol.
XI p. 532, ad cujus proinde mentem & omnino hic dantur 1)
Capitula reſponſionum Nicolai I ad legationem Salomonis Epi-
ſcopi; 2) Fragmenta 4 Epiſtolarum Nicolai; 3) Fragmenta
ex ejusdem Decretis; 4) Reſponſa ad conſulta Arduici, Archi-
Epiſcopi Veſontini; denique Appendix, huic Tomo IX ſuffi- 1597 ſqq.
xa, Concilium apud Bonoilunvillam, quod ſupra ad A. 855 ſuo
loco prætermiſſum ex *Martenii & Durandi* Tom. VI Theſauri
Anecdot. velut *παραλειπόμενον* adhuc exhibet.

Atque hæc ſunt, quæ ex quatuor illis Tomis, diligenter a nobis pervolutis, & cum editionibus prioribus comparatis, hic afferre poſſumus: intelligere nobiſcum ex iis B. L. confidimus, nihil omittere Venetos noſtros, ut monumentis præſidiisque, quæ in rem ſuam faciant, undecunque conquiſitis, Collectionem hanc novam locupletent; & nos illud quoque addere debemus, typorum nitori & elegantiæ Bibliopolarum cura de novo

eſſe proſpectum, dum in poſterioribus ex his Tomis character typorum Græcus æque ac Latinus, isque tum grandior, tum minutior, ſuis locis pro materia ſubſtrata ſubinde adhibitus, ex novo ſtanno conflatus paſſim appareat, ſicubi namque veterem uſu attritum deprehenderant. De mendis typothetarum in ſuperiori recenſu monitum eſt, ab iis, quæ ſunt exſcripta Græca, haud omnino eſſe libera: ſed & reperimus, ſcripturam Latinam non ubique erratis eſſe vacuam. Scimus, in hoc negotio omnem labis reprehenſionem effugere velle, conatum viribus humanis ſuperiorem eſſe: inter attentionem atque curam majorem & minorem differre tamen novimus. Ut autem, in præſidiis reliquis, ad vaſtiſſimum hoc Opus relatis, primum ſtudium minime deferbuiſſe, deprehendimus, ita & correctorum licet permoleſtam curam ſibi per omnia ſimilem vellemus.

## *ANACREONTIS TEJI ODÆ ET FRAGmenta Græce & Latine, cum Notis JO. CORNELII DE PAUW.*

Trajecti ad Rhenum, apud Guil. Kroon, 1732, 4.
Alph. 1 pl. 22.

IN Præfatione bene longa nobiliſſimus Vir, aliis pluribus in hoc genere monumentis bene de literis meritus, primum diſputat, a quo profecta ſint, quæ hodie vulgo *Anacreonti* adſcribuntur: in qua re ita verſatur, ut primo oſtendat, ab uno non potuiſſe proficiſci tam diverſa verbis & ſententiis carmina, deinde, prava quæ ſunt, ea non poſſe *Anacreonti* tribui, Poetæ emendatiſſimo; neque vero bona omnia ideo adſcribi eidem poſſe, ea ſola cauſa, quod bona ſunt, cum malis permixta in MSS. reperiantur. *Suida* teſte *Anacreon* Ἰωνικῶς ſcripſit, cujus dialecti hic nihil. Igitur eo evadit tandem Vir Clar. uti ambigat, an vel unum eorum, quæ illo nomine feruntur hodie, ſit *Anacreontis* carmen. Hoc primum Præfationis argumentum. Reliqua pars conſumitur in explicanda metrorum, quæ hic occrrunt, ratione. In qua hunc ponit loco fundamenti canonem: *Cum verſus horum carminum ſint jambi dimi-*

Digitized by Google

*dimidiati, eandem etiam dimenſionem recipiunt.* Libertate deinde omni hujus carminis expoſita, pleroſque verſiculos, qui legis Pediæ obtentu tentati a Viris doctis fuere, defendit. In fine cauſam affert omiſſorum aliquot fragmentorum h. m. "id factum, cum quia ignoro, unde *Scaliger* ea depromſerit, "tum quia vehementer ego ſuſpicor, illa ab ipſo *Scaligero* "conficta eſſe." Cujus ſuſpicionis rationes, an novas ſuſpiciones, deinde affert, in quo illud nos fugit, quomodo & confingere potuerit fragmenta *Scaliger*, & eadem ita interpolare, ut formam plane amiſerint. Interim *homo bellus* audit Noſtro, & *putidi craſſique erroris* accuſatur, *cæcusque* ipſe *cæcum ducem ſequi* dicitur. De Notis Viri docti ipſum audiamus teſtem: "Ita excuſſimus ſingula, ut nihil, ne minimum præter-"miſſum ſit, quod moram alicui ſtruere poſſet, locaque ambi-"gua & corrupta ita ſtabilivimus & correximus, ut eorum in-"tellectus nunc ipſis rudioribus pateſcat ſtatim. Quod tamen "ut commode fieri poſſet, magnam ineptiarum ſtruem, quam "commenta hominum, qui vel Græce parum docti, vel in re "critica parum erant verſati, largiter aggeſſerant, prætervehi "& intactam relinquere debui. Ut de aliis non loquar, duo "Commentarii duorum interpretum, *Barneſii* & *Baxteri*, tot "futiliſſimis nugis ſunt repleti, ut, ſi eas ſingulatim refutare in-"ſtituiſſem, plura de illis ſolis conſcribenda fuiſſent mihi, "quam nunc de Græcis omnibus conſcripſi." Plura ſunt majeſtate Critici plane digna. Et bonum eſt, nobiliſſimum virum revocare nobis & recoquere præclara illa dicta, *nugæ, nugæ! apage apage! abſit, abſit!* & id genus elegantias. Metus enim erat, ne plane illæ per mollitiem ætatis noſtræ, quam humanitatem & modeſtiam videri volunt, intercideret. Hunc itaque librum emant, qui illam Deorum linguam ſartam tectam propagari volunt ad poſteros, ex hac lecytho depromant pigmenta notarum criticarum pulcherrima. Proferamus, age, unum alterumque exemplum, de quibus exiſtimare Lectores poſſint. *Od. III, 16*, edidit: 'Ανέωξα, καὶ βρέφος μὲν Εσορῶ, φέροντα τόξον, pro quo legerat *H. Stephanus* φέρον δὲ; hiulcum hoc & ſcabrum Cl. Editori videtur. Nam participium,

inquit, ad vocem ſubſtantivam accedit perquam moleſte, & aliquid debuiſſet interponi, quod ea commodius jungeret. Sed erunt tamen, credimus, quibus concinnum videatur & oppido elegans illud βρέφος μὲν, φέρον δὲ, cum in ipſo βρέφος aliquid ſit, quod adverſari videatur armis, φέροντα autem per Syneſin jungi ſubſtantivo maſculino, facilitati reliquæ hujus Poematii non optime convenire; & cum ita illis videatur, non metuant nugarum damnari & ineptiarum. Ad ejusdem Carminis *v. 19* docet ac *Od. XLVIII*, 4, repetit, *pro* κεράσσω, *miſcuero*, *ipſam ſententiam male* κεράσω, *miſcebo*, ſubjicitque, *& ipſe vides ſtatim* (Lectorem alloquitur) *ſi attenderis.* Attendimus quidem, qui iſta ſcribimus, ſed videre non poſſumus, quomodo κεράσω *miſcebo* ſignificet, *miſcuero* autem κεράσσω. Ex *Od. IV*, 5, ὁ δ᾽ ἔρως χιτῶνα δήσας Ὑπὲρ αὐχένος παπύρῳ colligit, hoc Odarion ſcriptum vel a Poeta Ægyptio, vel in Ægypto certe, quorum neutrum in *Anacreonta* cadat. Ibid. *v.* 7 verba, τροχὸς ἅρματος γὰρ οἷα βίοτος τρέχει κυλισθείς, tranſpoſita eſſe, eruditiores ſecundum Cl. Virum vident. Alios enim non curat. Ita ordinanda erat ſententia: βίοτος τρέχει, οἷα τροχὸς ἅρματος κυλισθείς; quæ nunc turbata eſt culpa ipſius Poetæ. Utrum obtemperaturi ſint huic legi, qui poſt carmina Græca pangent, viderint poſteri: antiquos certe non feciſſe mirum non eſt, qui eam ignoraverint, cum verba Græca nunquam ad Germanorum rationem ordinanda neceſſario putaverint. Eadem plane ratio eſt *Od. VI*, 9, ubi verba, Ἀβροχαίτας δ᾽ ἅμα κοῦρος Στομάτων ἁδὺ πνεόντων Κατὰ πηκτίδων ἀθύρων, Προχέει λίγειαν ὀμφάν, ita tranſponi vult, ut ultimi duo verſus loca ſua permutent. Nihil aptius eſſe illi videtur. Itaque hic non Poetam accuſat, ſed librarios, & aptam illam emendationem ſuam vult recipi. Sed redimus ad *Od. IV*, 11. Ab hoc verſu poſt miros æſtus atque fluctus, in ſympulo commotos, novum incipit Odarion h. m. τί σὲ δεῖ λίθον μυρίζειν. *Od. IX*, 6, infinita fere diſputatio, quam tamen augere audemus propoſita conjectura forte nova, cujus certe mentionem nullam facit V. C. Τίς ἐσσὶ, σοὶ μέλει τί, pro vulgato τίς ἐςὶ, σοὶ μέλει δὲ. *Od. IX*, 35, ἔχεις ἅπαντα, ἄπελθε, non placet Editori.

tori. Quid igitur? corrigit ἀπέλθω. Indicativo modo an ita dici putet, neſcio. Conjectivus an huc conveniat, alii viderint. *Od. X, 13*, καλὸν σύνευνον dici negat debere cereum Cupidinem, ſed σύσσιτον potius, aut ἑταῖρον. Sed remittimus Lectores ad Opus, *Capiti Operum Mathanaſiano* facile præferendum.

## AN EXPOSITION ON THE THIRTY NINE Articles of the Church of England, &c.

id eſt,

## *EXPOSITIO XXXIX ARTICULORUM Eccleſiæ Anglicanæ, Autore JO. VENEER, Rectore ad S. Andreæ in Ciceſtria.*

## *Volumina II.*

Londini, apud C. Rivington, 1731, 8.
Alph. 2 pl. 3.

Articuli novem & triginta, quorum expoſitionem duobus Tomis complexus eſt Cl. Editor, tanta in hunc usque diem autoritate pollent, ut Symboli alicujus, quo Eccleſia Anglicana ab Eccleſiis aliis diſtingui vult, locum in hunc usque diem ſuſtineant. Eduardus VI quidem, Angliæ Rex, dirigente Archiepiſcopo *Cranmero*, operam ſociam largientibus Epiſcopis aliis, duos & quadraginta Articulos conſignari juſſit, Eccleſiæ Anglicanæ Confeſſionem continentes, eosdemque Auguſtanam Confeſſionem accurate ſequentes; ſed, cum Eliſabetha imperium capeſſeret, aliqua iis illata fuit mutatio. Fuit enim Articulus de S. Cœna mutatus, & Articulorum numerus ad XXXIX reductus, ita tamen, ut confirmatio nova accederet his verbis: *Hic liber ante dictorum Articulorum jam denuo approbatus eſt per aſſenſum & conſenſum Sereniſſimæ Reginæ, Eliſabethæ, Dominæ noſtræ, Dei gratia, Angliæ, Franciæ & Hyberniæ Reginæ, defenſoris fidei, &c. retinendus, & per totum regnum Angliæ exequendus. Qui Articuli & lecti ſunt & denuo confirmati ſubſcriptione D. Archiepiſcopi & Epiſcoporum ſuperioris domus,*

*& totius Cleri inferioris domus in convocatione anno Dom.* MDLXXI, eademque (confirmatio) numerum XL compleret: ejus tamen Noſter, quæ commodam occaſionem hiſtoriæ, ad XXXIX articulos attinentis, ſuppeditaſſet, mentionem, incertum, quo conſilio, facere noluit. Quam neceſſaria autem, quamque utilis hæc expoſitio ſit, paucula illa, quæ præmiſimus, oſtendunt.

In *Dedicatione* ad ſtudioſos Academiæ Cantabrigienſis & Oxonienſis ſuam Articulorum expoſitionem ingenue profitetur, & *Welchmanni*, eo tamen conſentiente, & multorum ſplendidiſſimorum eccleſiæ Anglicanæ luminum, hic meditationes legi, ipſe nos docet perquam ingenue. In *Præfatione*, ſecundam, dicit, a ſe exhiberi jam editionem Articulorum iſtorum, uberioribus explicationibus illuſtratam, ſuis etiam meditationibus additis. Deſcendit deinde ad dubium, ſibi a nonnullis objectum, conſultum magis fuiſſe, inquientibus, ſi citata dictorum, non ipſa horum verba adduxiſſet, ad imponendam ita ſtudioſæ juventuti neceſſitatem evolvendi ipſa Biblia, inque eo ſolvendo, forte præter neceſſitatem, multum ponit operæ; deinde etiam ſuam prolixitatem excuſat, additque aliqua ad ſupererogationis opera refutanda, pertinentia ad Articulum XIV. Adhortatur deinde Anglos ad horum Articulorum ſcrutinium; doctores Anglos, prout quemque trahit erga cives ſuos amor, ſingulis univerſæ Eccleſiæ doctoribus præfert, tandemque ad concordiam & pacem adhortatur, variis allatis querelis de hoſtibus Eccleſiæ Anglicanæ; finemque imponit Præfationi verbis *1 Corinth. I, 10*, ut *ſint Corinthii eadem mente, eademque ſententia*, ſuadentibus. Methodum eam ſervat Editor, ut ſingulis Articulis in idioma Anglicanum converſis annectat expoſitiones, & declarationes. Nos in excerptis ipſorum Articulorum retinebimus verba Latina, quibus tempore Eliſabethæ ii fuere publicati.

Articuli illi XXXIX tanta inter Anglos autoritate pollent, ut iiſdem ſubſcribere omnes debeant officio alicui Eccleſiaſtico admovendi. Sunt illi hoc ordine diſpoſiti:

Vol. I. p. 17—48. Ad Articulum I *de fide in Trinitatem*, de exiſtentia Dei multa differit Editor, docetque, in ea, tanquam cauſa prima, (*whatſoe-*

*ver*

*ver it be*) *quicquid tandem fuerit*, ſubſiſtere nos debere; progreditur dein ad attributa divina, *unitatem*, *vitam*, *æternitatem*, aliaque; ſpeciatim *ſimplicitatem* Dei ex eo probat, quod, ſi Deus infinitus partes haberet, nullum ſpatium relinqueretur, cui ſubſtantiæ corporeæ reliquæ inexiſterent. Non eſt recordatus Autor ætheris, qui licet omnia ſpatia repleat materiali ratione, non impedit, quo minus corporibus reliquis locus concedatur exiſtendi. Tandem, cum tres eſſe in divinitate perſonas ſibi coæquales & coæternas probaſſet, notis in hunc articulum finem imponit.

Ad Articulum II *de verbo, ſive Filio Dei, qui verus homo factus eſt*, prolatis iis, quæ ad divitatem Chriſti probandam vindicandamque videbantur attinere, rationes adduntur, *paſſionem Chriſti pro omnibus* docentes. p. 49-76.

Artic. III agit *de deſcenſu Chriſti ad inferos*. Articuli hujus tenor ita habet: *Quemadmodum Chriſtus pro nobis mortuus eſt & ſepultus, ita eſt credendus ad inferos deſcendiſſe*. Pœnam apud inferos ſuſtinendam, probare voluit Editor, in angore conſcientiæ conſiſtere; dein ſententiam refert eorum, qui, Chriſtum, ajant, tanquam victorem deſcendiſſe ad inferos, horum tamen rationes judicat eſſe inſufficientes. 77-91.

Artic. IV *Chriſti reſurrectionem, in cælos adſcenſionem, & ad extremum judicium reditum*, exponit, argumentis, quæ ubivis reperiuntur. 92-104.

Artic. V *Spiritus S. a patre & filio proceſſionem*, *ejusque* ὁμουσίαν *cum patre & filio*; *veram* etiam *& æternam divinitatem ejus* docet. In notis quædam adverſus Socinianos & Arianos monentur. 105-119.

Ad Artic. VI, *de ſufficientia Scripturæ ad ſalutem*, libros nonnullos, ab Apoſtolis conſignatos, eſſe perditos, concedit Editor, miraturque, tot ad noſtram usque ætatem eſſe ſervatos. Fortaſſis, ait, Deus permiſit, ut perderentur nonnulli, ad accendendam noſtram in ſcrutinio Scripturæ induſtriam; Scripturam denique pariter, atque morum regulam, eſſe ſufficientem, affirmat. 120-196.

Artic. VII, *de Vet. Teſtamento*, Vetus & Novum Teſta- 197-228.
men-

mentum ita eſſe comparatum, ait, ut alterum confirmet alterum, eundemque finem, vitam æternam, utrumque intendat; falli eos, qui, ad temporalia tantum Vetus Teſtamentum reſpexiſſe, arbitrentur. Legem ceremonialem & forenſem neminem Chriſtianorum obligare; probe autem moralem.

p. 229–240. Artic. VIII *Tria Symbola, Nicænum, Athanaſianum, & ,uti plerumque appellari ſolet, Apoſtolicum, debere,* docet, *per ſingula capita recipi & credi,* fundamentum quippe in ſacra Scriptura habentia. Addit Editor Symbola, Nicæno antiquora, ex *Irenæo, Tertulliano,* aliisque.

241–264. Artic. IX *de peccato originali, peccatum originis non in imitatione Adami conſiſtere,* docet, ſed *in corruptione naturæ humanæ,* adeo, ut & malum hoc in regenitis maneat, ipſaque concupiſcentia, fatente Apoſtolo, naturam habeat peccati. Multis agit Editor in explanatione contra Pelagianos.

265–303. Artic. X *de libero arbitrio,* hominem poſt lapſum viribus naturalibus, negat, præparare ſeſe poſſe ad fidem & invocationem Dei, ſed potius *gratiam Dei per Chriſtum prævenire, ut velimus, & cooperari, dum volumus, ad pietatis opera facienda, quæ Deo grata ſunt.* In expoſitione hujus Articuli oſtendit Cl. *Vencer,* gratia deſtitui neminem, præter hunc, qui ſibimet ipſe deſit, multaque affert ex Eccleſiæ Patribus, ſcriptoribusque antiquis aliis, Scholaſticis etiam, ad illuſtrationem hujus quæſtionis pertinentia.

335–337. Artic. XI docet, *tantum propter meritum Domini ac Servatoris noſtri Jeſu Chriſti,* per fidem, non propter opera & merita, *juſtos coram Deo reputari homines;* adeoque *ſola fide juſtificari:* doctrinam hanc eſſe ſaluberrimam ac ſolatii plenam.

338–341. Artic. XII *bona opera* affirmat *fructus eſſe, ex vera & viva fide neceſſario profluentes,* ut ex illis, æque fides viva, atque arbor ex fructu, judicari poſſit.

342–344. Artic. XIII *de operibus ante juſtificationem* inſcriptus eſt. Ubi, *opera ante gratiam Chriſti & ſpiritus ejus afflatum minime Deo grata eſſe,* quin imo, cum facta non ſint, ut Deus illa fieri voluit & præcepit, peccati rationem habere, perſpicue commonſtratur.

Artic. XIV

Artic. XIV, *de operibus ſupererogationis*, doceri hæc non poſſe ſine arrogantia & impietate, pronunciat. p. 342–344.

Artic. XV, *de Chriſto, qui ſolus eſt ſine peccato*, Chriſtum ſolum eſſe, ut agnum, absque macula, &, quicunque dixerit, baptizatus licet, ſe eſſe ſine peccato, ſemet ipſum ſeducere, affirmat. 345–347.

Artic. XVI, *de peccatis poſt baptiſmum*, hominem, qui peccaverit, denuo per gratiam Dei reſurgere ac reſipiſcere, poſſe, proponit; damnandos itaque illos eſſe, qui ſe, quamdiu hic vivant, poſſe iterum peccare negent, aut vere reſipiſcentibus veniæ locum concedere nolint. 348–355.

Artic. XVII, *de prædeſtinatione & electione*, docet, *prædeſtinationem eſſe æternum Dei propoſitum, quo ante jacta mundi fundamenta, ſuo conſilio nobis occulto conſtanter decrevit, eos, quos in Chriſto elegit ex hominum genere, a maledicto & exitio liberare, atque ut vaſa in honorem efficta per Chriſtum ad æternam ſalutem adducere.* Hinc, qui præclaro hoc Dei beneficio ſunt mactati, ſpiritu ejus opportuno tempore operante, ſecundum propoſitum ejus vocantur, vocationi per gratiam parent, juſtificantur gratis, adoptantur in filios Dei, in bonis operibus ſancte ambulant, illi demum ex Dei miſericordia pertingunt ad ſempiternam felicitatem. Addit idem Articulus, promiſſiones divinas ſic amplectendas, ut nobis in ſacris literis generaliter propoſitæ ſunt, Deique voluntatem in noſtris actionibus eam ſequendam eſſe, quam in verbo Dei habeamus diſerte revelatam. Negat Editor, prædeſtinationem abſolutam hoc Articulo eſſe comprehenſam, cum Articulo præcedente, poſſibile eſſe, concedatur, ut amittatur iterum gratia; docere etiam Eccleſiam Anglicanam in Catecheticis, filium Dei redemiſſe omnes homines, quod cum abſoluto electionis aut reprobationis decreto plane componi nequeat, ſic ſtudioſe, qui compoſuerunt hos Articulos, omiſiſſe decretum reprobationis, ne viderentur affirmare quicquam, quod cum benignitate divina pugnaret; nosque ignorare dicit formalem decretorum divinorum rationem, abſtinendumque eſſe ab omnibus dubiis, animum reddentibus confuſum & perturbatum; quæ ipſa multis verbis perſequitur. 356–431.

Vol. II. p. 432 & 433. Artic. XVIII *de ſperanda æterna ſalute tantum in nomine Jeſu Chriſti* argumentum tractatur. Anathemate digni judicantur ii, qui, in qualibet ſecta, modo ſecundum lumen naturæ vivant, ſervari homines poſſe, exiſtimant. Digna verba Articuli arbitramur, quæ h. l. legantur: *Sunt & illi anathematizandi, qui dicere audent, unumquemque in lege aut ſecta, quam profitetur, eſſe ſervandum, modo juxta illam & ſecundum lumen naturæ accurate vixerit; cum ſacræ literæ tantum Jeſu Chriſti nomen prædicent, in quo ſalvos fieri homines oporteat.*

434–436. Artic. XIX *de Eccleſia, Eccleſiam Chriſti viſibilem eſſe cœtum fidelium*, tradit, *in quo verbum Dei purum prædicetur, & Sacramenta, juxta inſtitutum Chriſti, recte adminiſtrentur.*

437–441. Artic. XX *de autoritate Eccleſiæ*, quæ tota Scripturæ S. autoritati ſubjicitur, nos inſtruit.

442–443. Artic. XXI *de Conciliis* agit *generalibus*. Ea dicuntur tantum congregari poſſe juſſu & voluntate Principum, eaque, quæ ab illis conſtituantur, ut ad ſalutem neceſſaria, neque robur habere, neque autoritatem, niſi e ſacris literis oſtendantur eſſe deſumta.

444–474. Artic. XXII *de purgatorio, de indulgentiis, de veneratione & adoratione, tum imaginum, tum reliquiarum, nec non de invocatione Sanctorum*, doctrinam Romanenſium rejicit.

475–629. Artic. XXIII, *de miniſtrando in Eccleſia*, neminem ſibi ſumere debere, munus publice prædicandi aut adminiſtrandi Sacramenta in Eccleſia, docet, niſi prius fuerit ad hæc obeunda legitime vocatus & miſſus; illos autem legitime vocatos & miſſos exiſtimari debere, qui ab iis, quibus poteſtas vocandi miniſtros publice conceſſa eſt, in hoc opus adſciti fuerint, vel publica pollere, credit Editor, poteſtate, qui hodie vocentur Epiſcopi: quod prolixe admodum & ex Scriptura S. & ex antiquitate Eccleſiaſtica probare voluit, ut facile admodum, cuinam parti faveat ille, appareat.

630–635. Artic. XXIV, *de ſermone in Eccleſia, quem populus intelligit*, lingua, docet, populo non intellecta, publicas in Eccleſia preces peragere, aut Sacramenta adminiſtrare, verbo Dei & primitivæ Eccleſiæ conſuetudini plane repugnare.

Artic.

Digitized by Google

Artic.XXV *de Sacramentis* multa habet. *Sacramenta a Chriſto inſtituta, non tantum eſſe notas profeſſionis Chriſtianorum, ſed potius certa quadam teſtimonia & efficacia ſigna gratiæ, atque bonæ in nos voluntatis Dei*, affirmatur, per quæ inviſibiliter ipſe in nos operetur, noſtram fidem in ſe non ſolum excitet, verum etiam nos confirmet: duo eſſe a Chriſto Domino noſtro in Evangelio inſtituta *Sacramenta*, ſcil. *baptiſmum & cœnam Domini*. p. 636–642.

Articul. XXVI, *de vi inſtitutionum divinarum*, tolli eam negat „ malitia miniſtrorum; cum, quicquid agant miniſtri Eccleſiæ, non ſuo, ſed Chriſti, nomine agant; inquirendum tamen eſſe in malos miniſtros, &, juſto convictos judicio, deponendos. 643–646.

Artic. XXVII *de Baptiſmo* inſcriptus eſt. Baptiſmum non eſſe tantum profeſſionis ſignum, ſed etiam *ſignum regenerationis, per quod, tanquam per inſtrumentum, recte baptiſmum ſuſcipientes eccleſia inſerantur*, nec parvulis eundem eſſe denegandum, multis demonſtrat. 647–656.

Artic. XXVIII, *de Cœna Domini, Cœnam Domini eſſe Sacramentum noſtræ per mortem Chriſti redemtionis*, atque adeo *rite, digne & cum fide ſumentibus, panem, quem frangimus, eſſe communicationem corporis Chriſti*, contendit; *ſimiliter poculum benedictionis eſſe communicationem ſanguinis Chriſti; corpus Chriſti dari, accipi & manducari in cœna tantum cœleſti & ſpirituali ratione, (only after an heavenly and ſpiritual manner)*; medium autem, quo corpus Chriſti accipitur, & manducatur in cœna, fidem eſſe. 657–663.

Artic. XXIX *impios*, docet, *non manducare corpus Chriſti*. 664–665.

Artic. XXX, *de utraque ſpecie*, calicem Domini laicis eſſe denegandum, negat. 666–673.

Artic. XXXI, *de unica Chriſti oblatione in cruce perfecta*, rejicit miſſam Pontificiorum. 674–676.

Artic. XXXII, *de conjugio ſacerdotum*, Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis, ait, nullo mandato divino præceptum eſſe, ut a matrimonio abſtineant. 677–678.

Artic. XXXIII agit *de excommunicatis vitandis*, donec per pœnitentiam publice reconciliati fuerint, arbitrio judicis competentis. 679–681.

p. 682-685. Artic. XXXIV, *de Traditionibus Eccleſiaſticis*, eas jubet obſervandas, quando cum verbo Dei non pugnant, & ſunt autoritate publica inſtitutæ atque probatæ.

686-688. Artic. XXXV *de homiliis diligenter & clare per miniſtros in Eccleſiis, ut a populo intelligi poſſint, recitandis* agit.

689-699. Artic. XXXVI, *de Epiſcoporum & miniſtrorum conſecratione*, autoritatem aſſerit libello de conſecratione Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, & ordinatione Presbyterorum & Diaconorum, temporibus Eduardi, vi & autoritate Parliamenti edito.

700-768. Artic. XXXVII, *de magiſtratibus civilibus*, Regiam majeſtatem habere poteſtatem ſupremam, tuetur, in regno Angliæ, nec ulli externæ jurisdictioni eſſe ſubjectam, nec eſſe debere.

769-770. Artic. XXXVIII, *de illicita bonorum communione* tractat, licet quisque de his, quæ poſſidet, pro facultatum ratione pauperibus eleemoſynas diſtribuere debeat.

771-782. Artic. XXXIX, *de jurejurando Chriſtianorum*, juramenta Chriſtianis eſſe prohibita, negat, &, jubente magiſtratu, in cauſa fidei & charitatis, jurare licere, affirmat, modo id fiat juxta Prophetæ doctrinam in juſtitia, in judicio & veritate.

In Latino exemplo habetur articulus XL, continens *confirmationem Sereniſſimæ Reginæ Eliſabethæ*, cujus jam ſupra mentionem fecimus.

## ΑΡΕΤΗΛΟΓΙΑ, OR AN ENQUIRY INTO the Original of moral Virtue;

h. e.

## *ARETELOGIA, SIVE INQVISITIO ORIginis moralis virtutis, qua errores MACHIAVELLI, HOBBESII, SPINOSAE & BAILII, collecti ac collocati ab Autore fabulæ de Apibus examinantur ac confutantur &c. Autore ALEXANDRO INNYS, Doctore Theol. & Miniſtro verbi divini ad S. Margaretham.*

Weſtmo-

Weſtmonaſterii, apud J. Hazard & B. Barker, 1728, 8 maj.
Alph 1 pl. 2.

CUm multi paſſim infeſtum revelationi atque ſancitis in S. Scriptura legibus animum prodiderint, virtutem tamen, ipſis gentilibus approbatam, laudibusque invidendis ornatam ab illis, videri noluerunt impugnare. Imo infandum atheismi crimen eo prætextu excuſari poſſe, nonnullis viſum eſt, quod quis de exiſtentia ſummi Numinis incertus, aut plane illam negans, rigidi tamen ſervator honeſti eſſe poſſit, atque pluribus exemplis cauſam ſuam incruſtare ſe poſſe autumarunt. Crevit noſtris temporibus cum impietate audacia, ut, qui ante non niſi revelatam religionem impugnare velle videbantur, nunc exercitus ſuos palam in ipſam honeſtatem naturalem moveant, impudenter profeſſi, nec paganæ virtutis ſtudium in ſocietate humana ſibi probari. Dolendum ſane, Britanniam, illam magnorum ingeniorum feraciſſimam, ejusmodi monſtra colere, quæ gentiles ipſi nunquam non graviter deteſtati ſunt. Notum eſt inſtitutum autoris *Fabulæ de apibus*, ut plures alios ſcholæ illius aſſeclas taceamus. Huic inprimis Rever. Autor Opuſculum hoc oppoſuit, quod in duas diſtribuit partes, quarum priore in originem & fundamenta virtutis moralis inquirit, addita Diſſertatione, qua probare ſatagit, commercia hominum ac populi cujusvis ſplendorem & incrementa virtute maxime promoveri; altera poſita a ſe principia uberius explicat, atque fundamenta rerum moralium examinat, quæ Autor *Inquiſitionis in fundamenta Ideæ Virtutis*, cujus compendium exhibuimus in *Actis A. 1730 M. Oct. p. 448 ſq.* propoſuit. Præfationis loco literas prolixiores ad Autorem fabulæ de apibus præmiſit, quibus ſatyrico ſale illum perfricat, & errores ſuos ipſi exprobrat. Invectus erat paſſim in ludos illos publicos, quos charitatis ſcholas Angli vocant; ſed Rever. Autor noſter ipſi ſuadet, ut, ſi forte loca, ex Græcis & Latinis ſcriptoribus priſci ævi a ſe adducta, haud intelligat, aliquem ex ſcholarum iſtarum alumnis conveniat, qui humaniter illa explicare non ſit detrectaturus. Viſum enim eſt Autori noſtro, doctrinam, quam hoc



Digitized by Google

Opuſculo tradit, moralem, uberrimis Græcorum & Latinorum Philoſophorum teſtimoniis colluſtrare, cum Adverſarius ſatis prodiderit, ſe flocci pendere, quicquid ex S. Scriptura depromitur, Philoſophus tamen eſſe, aut ſaltim videri, velit. Audacter affirmaverat Adverſarius, quo profundius quis humanam naturam rimetur, eo magis convinci eum poſſe, omnem virtutem moralem politicam ex ambitione Principum atque adulatione ſubditorum natam; verbo, illam inanem chimæram eſſe, atque commentum humanum, quo legumlatores & Philoſophi civibus ſubdole impoſuerint. Noſter igitur Adverſarium eadem via, qua ipſe incedit, aggreſſurus, ſe nec Judæum, nec Chriſtianum, cum quibus commercium ille diſertis verbis aſpernatur, eſſe fingit, atque gentiles duntaxat ſocios ſibi aſciſcit, ut appareat, principia a ſe poſita communi hominum ſenſui maxime accommodata eſſe. Monet autem, fundamenta virtutis non in ſua duntaxat cujusvis natura quærenda eſſe, ſed ipſam Dei eſſentiam, aliorumque entium rationalium, quæ ad nos quomodocunque referuntur, naturam in conſilium vocanda eſſe, cum virtus ad omnes pertineat, atque omnia agentia rationis capacia, cum quibus aliquid commercii nobis eſſe poteſt, reſpiciat. Rimatus itaque interiores humanæ naturæ receſſus, deprehendit, innatum omnibus eſſe ſui ipſius amoris atque conſervationis principium, quod ita in ipſis operatur, ut reſiſtere illi nequeant, atque unica actionum humanarum, quaqua verſus demum illæ tendant, cauſa eſt. Innatum hoc nobis principium non modo exiſtentiam noſtram nos conſervare jubet, ſed impellit quoque, ut, quantum fieri poteſt, bene nobis eſſe cupiamus, nobisque, ſi per vires noſtras liceat, beatam vitæ conditionem acquiramus. Cum itaque omnia mentis humanæ deſideria, ut Philoſophi ajunt, modi duntaxat ſint amoris proprii, non minus apparet, neminem hominum in ſolitudine degentem absque aliorum commercio ſibi ipſi ſatisfacere, atque beatum ſe reddere poſſe, etiamſi ab omnibus illis inſtructus foret, quæ vitam jucundam atque acceptam faciunt. Conſtat enim experientia, vehemens adeo atque immutabile deſiderium menti humanæ ineſſe, habendi ſocios rerum at-

que

Digitized by Google

que operum ſuorum, ut omnes aliæ deliciæ ipſaque voluptas, ex continua naturæ contemplatione in nobis orta, absque aliorum entium rationalium ſocietate parum jucundæ, imo tædioſæ, nobis ſint. Equidem docuerunt nonnulli, hominem aliorum ſocietatem ingredi, non naturæ impulſu motum, ſed quod proſpiciat varia commoda inde in ſe redundantia, quæ vitam omnem magis dulcem atque beatam reddunt, cum facile appareat, illa deſideria, quibus maxima pars hominum tenetur, ſine aliorum ſocietate atque adjumento expleri haud poſſe. Sed Noſter fingi jubet hominem, omnium deliciarum cumulo affluentem, quæ vota omnium vel æquant, vel ſuperant, illum tamen ſorte ſua nunquam contentum fore, dum ſocietate aliorum atque commercio deſtituitur, contendit. Cum itaque homo, in ſolitudine vivens, non poſſit non perſpicere, ſe miſerum atque ærumnoſum valde animal eſſe, poſtquam deſiderium ſuum explevit, ut cum aliis vivat, &, quantum vitæ commoda inde promoveantur, intelligat, ex amoris ſui ipſius inſtinctu fugit deſerta, alioſque ſuæ ſpeciei, quibus uniatur, quærit. Fruſtra quis objiceret paucorum hominum exempla, qui in latebras ſe abdiderunt, ut ab aliorum omnium conſpectu remoti eſſent; ſiquidem nonnulli ipſorum nihilominus commercia cum aliis varia habuerint, a quibus vel maxime ſegregati eſſe videbantur, & præterea illa in nobis affectuum vehementia ſit, ut naturales etiam inſtinctus illos interdum ſupprimi & extingui poſſint, ex quo tamen, inſtinctus illos homini non ineſſe, præpoſtere quis argueret. Sed adeo vanum non eſt illud innatum nobis cum aliis vivendi deſiderium, ut ſatis nobis eſſet, otioſe cum ipſis verſari, verum, ut alii commoda noſtra promoveant, ipſorumque actiones votis noſtris accommodatæ ſint, maxime cupimus. Ingratum itaque valde foret cum illis commercium, qui odium ſuum in nos noſtrique contemtum paſſim proderent, ſiquidem ita ipſorum actiones fini, cur ſocietatem ingreſſi ſumus, h. e. amori noſtrum ipſorum plane non reſpondere, experiremur. Ex eadem ratione, ut alii quoque honore afficiantur, atque bona omnium de illis exiſtimatio ſit, optamus, cum facile appareat, nobis quo-

quoque vitam acerbam reddi, niſi ſociis noſtris jucunde ac commode vivere datum ſit. Sequitur inde, naturale quoque homini deſiderium famæ ac bonæ exiſtimationis ineſſe, quod nemo abjicere poteſt, niſi humanam naturam exuere velit. Illos enim, qui, nullius plane gloriæ ſtudio ſe duci, vehementer contendunt, cum *Cicerone* Noſter arguit, quod eo ipſo, quo laudem deſpiciunt, prædicari ſe ac nominari velint. Homines vero ſocietatem ingreſſi, non quando propinquis ſaltim aut vicinis colligantur, ſed quocunque terrarum intervallo dijuncti vivant, quibuscunque Regibus aut Principibus pareant, omnes communi naturæ humanæ vinculo obſtringuntur, maxime cum pro præſenti rerum in orbe terrarum ſtatu nulla regio ſit, quæ alii cuivis provinciæ non aliquo modo connectatur. Par itaque eſt, ut quilibet ſe ipſum, tanquam civem mundi, ſive membrum magnæ illius communitatis humanæ, reſpiciat. Magna autem illa per orbem univerſum diſperſa ſocietas non ita ſui juris eſt, nullius ex nutu pendere dicenda ſit, ſed omnes ac ſinguli unius Dei, tanquam ſupremi principis ac domini, imperio ſubjecti ſunt. Ille enim, qui ſolicita cura magnaque ſapientia orbem condidit, illum negligere credi nequit, ſed tanquam communis generis humani parens liberorum ſuorum curam gerit, ipſorumque actiones ſecundum infinitam ſapientiam ac bonitatem ſuam dirigit. Cum illo igitur quoque in ſocietate vivimus, tanquam communi omnium principe, & qui quorumvis maximorum bonorum nobis autor eſt. Ea cum ſit ſocietatis humanæ amplitudo, illius naturalem inſtinctum corruptum valde ac depravatum eſſe credere proclive foret, qui non, ut actiones ſuas ipſi Deo, cui ſubjectus eſt, probentur, contenderet, cum, ut dictum eſt, gloriæ illud ſtudium homini naturale ſit, ut laudes ac amorem aliorum ſociorum aucupetur. Quatuor vero gradibus deſiderium illud, quo aliis probari cupimus, abſolvitur. Primus gradus eſt, ſi quis non modo laudes ac bonam de ſe exiſtimationem inter omnes per univerſum orbem homines venetur, ſed Deo quoque inprimis, ceu ſupremo omnium Domino, placere ſtudeat. Hoc, animi noſtri cupiditatem nobilem prorſus ac vere divinam eſſe, teſta-

tur.

Digitized by Google

tur. Si quis Deum ab hoc deſiderio ſuo excludat, illud uno gradu jam inferius, minus naturale ac depravatum, eſſe, apparet. Cui enim, veræ gloriæ cupido, grave illud eſſe non debebat, exprobrari ſibi poſſe, quod domino, ſub cujus benigno imperio omnes vivunt, probari non diſcupiat? Altero etiam gradu minus naturale eſt hoc deſiderium, ſi non modo ipſum Deum, ſed homines quoque, univerſi incolas, haud reſpiciamus, ſatis habentes, ſi actiones noſtræ eorum cenſuram non mereantur, quibus iisdem moribus, eodem imperio humano, atque eodem patrio ſermone, conjuncti ſumus, quale corruptum animi noſtri deſiderium aura popularis, ſive vana gloria, recte vocatur. Sed maxime depravatus ac infimi gradus eſt ille gloriæ appetitus, cum quis ſe ſuasque actiones nec Deo ipſi, nec humano generi, nec civibus ſuis, probari curat, & non niſi ſuorum, paucorumve, quibuscum verſatur, laudes ac amorem aucupatur. Docet autem naturalis religio, hominem poſt mortem non deſtructum, ſed exiſtentiam ejus a Deo, communi generis humani parente, ita continuatum iri, ut homines, depoſitis corporis exuviis, homines adhuc in ſocietate aliqua victuri ſint. Quodſi igitur innatum nobis ſocietatis deſiderium, aliisque placendi ſtudium perpetuum, ad futurum usque ævum extendamus, tum vero denique perfectiſſimum illud eſt, atque præclaram animi noſtri ſublimitatem magnitudinemque prodit. Concludit itaque tandem Pl. Rev. Autor, omnes homines, natura pariter ac ratione jubente, ſectari non univerſalem modo, ſed æternam prorſus, famam ac gloriam, quod ſapientiſſimi quique palam profiteri non erubuerunt, ſeque affectui huic ſubjectos eſſe, honeſtum crediderunt. His principiis fultus, adverſus Autorem Fabulæ de apibus porro in aciem procedit, exprobrans ipſi, quod incongrue omnem gloriæ cupiditatem humano generi vitio vertat, exulare eam plane jubeat, ac ambitionis contumelioſo nomine convicietur, ut natam inde virtutem moralem eodem ictu proſternere facilius poſſet: innatum vero hoc principium cum igniculis quaſi quibusdam incendi ac confirmari par ſit, ſtimulos ejusmodi Autor ille probroſo adulationis nomine traducit, indeque infert demum,

omnem virtutem ex ambitione nonnullorum, adulatione aliorum obſtetricante illamque nutriente, enatam eſſe. Cardo itaque rei in eo jam vertitur, ut, quomodo virtus moralis ex naturali illa ac rationi conſentanea gloriæ cupiditate nata ſit, demonſtretur, inque eo jam porro Rev. Autor libri hujus occupatur, quem per ſingula argumenta ſequi, nimis prolixum foret; quare, via duntaxat, quam ingreſſus eſt, Lectori noſtro præmonſtrata, noſtro officio defunctos nos eſſe, exiſtimabimus. Cum itaque quæratur, quomodo innatum hoc nobis veræ gloriæ ſtudium collocandum ſit, ut actiones noſtræ Deo ipſi, atque generi humano probentur, ſive quas edere actiones nos deceat, quæ commendationem ac laudem omnium mereantur; apparet, eas ita comparatas eſſe debere, ut ſingulorum ſuffragia non alia ratione, quam qua tanquam univerſæ ſocietatis membra ſpectantur, ferant. Ea ratione ſi ipſos latrones atque peſſimæ notæ homines quosvis metiamur, actiones noſtras illorum quoque calculo ut comprobentur, par eſſe. Cum vero commune principium, quod omne ens rationale, & Deus ipſe, ſi humano modo de ipſo cogitare licet, ſequitur, ſit ſui ipſius amor, eorumque omnium, quæ huic repugnant, fuga; intelligimus, omne ens rationale æque a nobis amari velle, ac nos ab aliis amari cupimus, unde ſequitur, actiones noſtras omnes ex ſincero aliorum entium rationalium amore fluere debere. Amorem hunc Dei atque proximi ſi pro objectorum diverſitate multis modis variari cogitemus, inde officia illa omnia reſultant, quæ explendo virtutem colere dicimur. Varias haſce virtutis ſpecies fuſius recenſet, atque ex poſitis a ſe principiis deducit Rev. Autor, & æternam ſimul entium moralium bonitatem antecedenter ad voluntatem Dei, ut Scholaſtici loquuntur, ſtabilire ſatagit. Occaſionem hæc ipſi ſuppeditant Adverſarium ſæpius caſtigandi, atque uberius demonſtrandi, quam abſurda ſit ipſius ſententia, quaſi virtus moralis ex mera Principum, Philoſophorum opera populo adulantium, ambitione nata ſit. Ut ſingulari ſpecimine probaret, ſalutem populi ex virtutis ſtudio fluere, addita Diſſertatione contra Adverſarium evincit, virtute morali mercaturam & mutua

tua inter homines commercia promoveri, eandemque reipublicæ amplificandæ atque ornandæ egregie conducere. Adverſarius enim, ſecundum propoſita a ſe principia, oſtendere ſuſceperat, virtutem, licet forte privatis patris alicujus familias commodis inſerviat, ſocietati tamen univerſæ & communi patriæ bono multum haud prodeſſe. Prodiga vanitate, faſtu atque luxuria, provocari ingenium humanum, ut mille modos excogitet, quibus aliorum ſtultitia oblectetur ac foveatur; ita, ut ille inprimis inſervire commodis ſocietatis univerſæ cenſeatur, qui plurimas novas artes manuarias invenit, quibus infinita fere hominum multitudo ſuſtentatur, licet omnes non niſi paſcendæ hominum vanitati accommodatæ ſint. Provinciam igitur quamvis civium inprimis criminibus beatam eſſe, atque potentem & opulentam reddi. Homines enim primos terræ frugibus enutritos, ac ſua quemvis ſorte contentum fuiſſe, donec ingenio quorundam ac ſtudio variæ ſenſuum illecebræ inventæ aliisque commendatæ fuerunt; quibus irretiti atque a naturali ſimplicitate deviantes luxuriæ ſe dare cœperint. Plur. Rev. Autor, fucum verborum huic argumento detrahens, reprehendit Adverſarium, quod luxuriam temere vocet uſum rerum illarum omnium, quibus vita hominum magis jucunda atque commoda redditur, ſiquidem ex ſtoico hoc rigore luxurioſus ſtatim dicendus eſſet, qui ex uſu eorum, quæ vitæ etiam neceſſaria ſunt, aliquam voluptatem capit. Ipſa ſobolis propagatio, ex peculiari Dei rerum humanarum cura, nunquam ſine voluptate fit. Quis vero eum luxurioſum vocaverit, qui inſtinctum naturæ hac in re ſequitur? dummodo moderate voluptate illa fruatur. Quis eum accuſaverit, qui deliciis, quas benevolus naturæ autor generi humano obtulit, fruitur, etiamſi illæ ad vitam ſervandam neceſſariæ forte haud ſint? Demonſtrare inde pergit, magnitudinem atque continuum reipublicæ incrementum in ipſa virtute fundata eſſe, atque ex poſitis ſupra a Noſtro principiis, amore nempe civium mutuo, ſponte derivari; ab altera parte ſalutem ac incrementum populi Principum luxuria, quam preſſo ſemper pede ſequitur civium oppreſſio, omnino deſtrui, licet, ſubditorum ſaluti egregie hæc



Digitized by Google

conducere, perſuadere nobis Adverſarius laboret. Sigillatim denique, quomodo mercatura, tanquam maxime appoſitum medium rempublicam augendi & ornandi, vera virtute ſtabiliatur, ac promoveatur, explicat, mox ad alteram libri partem, qua poſita in priori principia uberius illuſtrat, tranſiens. Poſtquam enim hæc conſcripſerat, perlatum ad ipſum eſt Opuſculum, nuper evulgatum ſub titulo: *Inquiſitio fundamentorum idearum noſtrarum virtutis &c.* quo principium rerum moralium, a Noſtro propoſitum, amor ſui ipſius, accuſatur publice, inque eodem profligando multum operæ inſumitur. Illud igitur vindicare, atque uberius explicare, eamque ſuſpicionem, quaſi ab *Hobbeſii* ejusque aſſeclarum partibus ſtaret, longe a ſe amoliri, altera hac parte Rev. Autor inſtituit. Provocat primum ad experientiam, qua conſtat, ſui ipſius amorem omnibus hominibus, imo ipſis animantibus, ita innatum eſſe, ut naturam animalem plane exuiſſe cenſendus ſit, qui deponere illum vellet. Experimur quoque, naturam humanam ita formatam eſſe, ut, aliorum ſenſum jucundum, aliorum moleſtum ſibi eſſe, percipiat. Dum vero illa perſequitur, iisque ut potiatur ac fruatur, omni ſtudio ac contentione connititur, hæc vero fugit ac odit, illud eſt, quod Rev. Autor noſter amorem ſui ipſius, atque innatum ſemet ipſum conſervandi ſtudium, vocat. Res itaque eo redire videtur omnis, ut principium hoc nobis innatum recte collocemus, eoque ita, ut par eſt, utamur. Notandum ergo eſt, in omni jucunda aut moleſta perceptione tria eſſe, quibus virum ſapientem probe attendere convenit; gradus diverſos jucunditatis & moleſtiæ, durationem illius perceptionis, & quæ illam denique conſequuntur. Tria hæc reſpiciens Rev. Autor methodo fere eadem, qua *Craigius* olim in *Theol. Chriſtian. Princip. mathematicis* uſus eſt, valorem perceptionis cujusvis definiri jubet, multiplicando gradus jucunditatis aut moleſtiæ, in tempus durationis, quo percipiuntur. V. g. ſi jucunda perceptio habuerit 6 gradus jucunditatis, atque 20 horis duret, valor hujus perceptionis erit 120. Eodem modo moleſtiæ momentum dimetiri licet, ſi obſervemus, jucundum & moleſtum prorſus ſibi invicem oppoſita eſſe, ita, ut, quod

quod jucundum eſt, tanquam quantitas poſitiva, quod vero moleſtum eſt, tanquam negativa quantitas, ſpectari queat. Si itaque eadem in re perceptiones jucundæ atque moleſtæ ſimul obveniant, quomodo ſecundum notas addendi & ſubtrahendi regulas verus perceptionis illius complexæ valor æſtimandus ſit, apparet. Reſpiciendum vero quoque eſt tertium, de quo modo diximus, momentum, cui in metiendo cujusvis perceptionis valore attendendum eſt, ea nempe, quæ illam inſequuntur. Sunt illa vel aliæ perceptiones jucundæ, vel ex nexu rerum moralium priores perceptiones novæ excipiunt moleſtiæ, quarum momenta recte æſtimanda ſunt, ut prioribus perceptionibus, ſi poſitiva ſint, addi, ſi negativa, ab illis abſtrahi queant, v. g. ſi quis rem percipiat, cui 5 gradus voluptatis inſint, per 10 horas durantis, valor prioris hujus perceptionis erit 50. Illam ſi aliæ excipiant gratæ perceptiones, cum priori connexæ, quarum voluptatis gradus ſint 8, 20 quoque horis perdurent, hi numeri ſi in ſe ducantur, atque modo invento numero 50 addantur, dabunt abſolutum valorem gratæ illius perceptionis 210, conſequentiarum ipſius ratione ſimul habita. At, ſi gratam priorem perceptionem, cujus momentum erat 50, varia incommoda excipiant, quorum gradus doloris ſit 9, quæque per 20 horarum ſpatium perdurent, valor negativus 180 ſive momentum conſequentiarum moleſtarum, additus priori momento abſoluto 50, relinquit 100. Quantitate hac negativa ſignificatur, tantum ipſo nihilo, ſeu vel minima poſitiva voluptate minus ſupereſſe, vel, quod eodem redit, tantum moleſtiæ duntaxat aut doloris relinqui. Hac igitur methodo de vero momento rerum moralium, & quæ vere jucunda aut ærumnoſa nobis ſint, accurate judicare, atque ita, quid amori ſui ipſius conveniat, aut repugnet, dignoſcere licet. Ponamus enim, duas diverſi generis perceptiones eſſe, quarum altera, quæ *A* vocatur, mentem 15 gradibus voluptatis, per oculos, aures &c. omnium luxuriei inſtrumentorum ope in animum introductæ, afficiat. Durare fingamus hanc voluptatem 20 horis, nec ullius doloris aut moleſtiæ ſenſum illam inſequi. Alia vero perceptio, quæ *B* dicatur, 6 moleſtiæ

 gra-

Digitized by Google

gradus habeat, qua mens torquetur ſtudio veritatis occupata, aut recto tramite incedens, eo propoſito, ut actiones ſuæ univerſo alicui entium rationalium ſyſtemati probentur. Fingamus, moleſtiam hanc 20 horarum ſpatio ferendam eſſe, ſed gignere conſequentem voluptatem 12 graduum, quæ 60 horis perduret. Apparet itaque futurum eſſe $A = 20 \times 15 = 300$ & $B = 12 \times 60 - 6 \times 20 = 600$. Eſt igitur $A : B = 300 : 600$. Valor poſterior prioris duplus indicat, in caſu poſteriori mentem perfrui voluptate, duplo majori ea, quam percepiſſet ex deliciis 15 graduum, per 20 horas durantibus, etiamſi poſt uſum voluptatis illius ſtatim in nihilum redacta fuiſſet, ne forte calamitate ſecuta involveretur. Si perceptionem jucundæ conſequentiæ in *B* ad 1000 pluresque annos, imo ad tempus infinitum usque extendamus, momentum abſolutum voluptatis ipſius *B* magis ſemper magisque creſcit. Si ſupponamus, jucundam perceptionem ipſius *A* malis, per infinitum tempus duraturis, excipi, reſultat inde quantitas negativa infinita, qua docemur, voluptatem illam breviſſimi temporis ipſo nihilo infinities deteriorem eſſe. Hiſce de inveniendo vero momento rerum, quæ vel bonæ vel adverſæ hominibus eſſe putantur, demonſtratis, Cl. Autor amplectitur quorundam e Philoſophis, in quorum claſſem *Socratem* quoque tranſcribit, ſententiam, quod hominis eſſentia mente abſolvatur, & corpus plane indignum ſit, quod hominis eſſentiam ingrediatur. Inde arguit, principium amoris ſui ipſius ita ſemper adhibendum eſſe, ut mentem potius, quam corpus, reſpiciamus, &, quod illi inprimis conducit, amplectamur, ſi vel voluptate perfrui licet, vel dolores perferre oportet. Cum Adverſarius expoſita a ſe principia eo valde commendari poſſe crediderit, quod antiquiſſimorum rei moralis doctorum placitis convenire illa viſa ipſi ſint, Noſter *Socratis* verbis, ex *Platone* petitis, demonſtrare ſatagit, hunc moralis Philoſophiæ reſtitutorem virtutem eo maxime argumento ſuaſiſſe, quod voluptate hominem maxima perfundat, & propterea vitia proſcripſiſſe, quod graviſſimi dolores ipſa comitentur. Inſtantias denique & exempla, quæ Adverſarius objecit, ut nullius plane

præ-

Digitized by Google

præmii intuitu virtutem colendam eſſe evinceret, excutit, & prolixius in oſtentatum illum affectum benevolum, de quo Adverſarii principio rerum moralium loco ſupra citato in *Actis* his diximus, inquirit, aliaque ipſius principia examinat, quæ, ſi modo conceptus, verbis involuti, accurate reſolvantur, cum ſuis prorſus conſpirare, arbitratur.

## REFLECTIONS UPON REASON &c.

h. e.

## *COGITATIONES DE RATIONE; EDITIO tertia, aucta & emendata.*

Londini, ſumtibus Wilh. Innys, 1729, 8.
Plag. dimid. 19.

Licet, hanc non niſi repetitam Opuſculi hujus editionem eſſe, ipſe titulus prodat, civibus tamen noſtris non ingratam ejus notitiam fore putavimus, cum paucis omnino ſcripta hæc Anglorum ſuccincta inſpicere contingat, quorum compendia in *Actis* his exhibere eo magis ſtudemus, quod, maximam ſæpe hiſtoriam ex ejusmodi ſchedis in magna Britannia naſci, experientia teſtetur. Conſtitutum Autori huic Anonymo videtur, abuſum rationis ſtrictim iis exprobrare, qui uſum ejus inſolentius jactitant. Argumentum itaque auſpicatur explicando, quam diverſo ſenſu pervulgata illa vox rationis ab hominibus, ſuo fere arbitratu varium ejus uſum fingentibus, accipiatur, cum vix inveniatur error religioni, veritati, ac ſaluti & paci populi magis inimicus, quam creberrimus vocis illius abuſus. Poſtquam enim ſapientiſſimi quidam mortalium ſuam rationi dignitatem maſcule aſſeruerunt, ſuperſtitione ac lethargo civium profligatis, quibus non ita multo ante faſcinati, aliis ſine ratione cœcam fidem habere obſtringebantur, noſtris temporibus, quo magis quis ineptus eſt, eo præfidentius inſulſas cogitationes ſuas atque inficetas opiniones pro rationis dictamine obtrudere aliis præſumit. Senſu maxime obvio ac naturali ratio denotat *abſtractam & idealem rerum veritatem*, ſive illam analogiam, quæ inter univerſi naturæ ſyſtema-

ſtematis partes intercedit. Cum enim ſapientiſſimum Numen, quod ſummum Geometram *Plato* recte vocavit, mundum ſecundum numerorum, ponderum, ac menſurarum, leges compoſuerit, exacta inter partes harmonia deprehenditur, qua non modo ſibi inter ſe, ſed toti quoque machinæ, æque apte reſpondent, ac ſingulæ automati partes intentioni ac ſcopo artificis concinne accommodatæ ſunt. Huic vocis uſui magnum illum eloquentiæ Romanæ magiſtrum, *Tullium*, haud refragari, exemplis nonnullis Autor demonſtrat. Communi autem magis ſenſu vox *rationis* notat illam *animæ facultatem, quam intellectum vulgo vocamus*, qui de veritate ideali, ſive relationibus ac proportionibus partium univerſi, judicat, easque comprehendit. Idealis enim hæc veritas æque proprie objectum intellectus vocatur, atque lux objectum oculi; neque dubium eſt, quin intellectus purus ac defæcatus objectum illud ſibi proprium æque certo percepturus eſſet, atque oculus, in juſta diſtantia collocatus, per medium congruum objecta viſus clare intuetur. Cum vero experientia doceat, illam virtutem intellectui innatam non eſſe, qua objecta ſua perfecte intueatur, ſed gradatim fere per partes nobis in cognitione noſtra progrediendum eſſe, ratio tertio loco denotat *argumentationem, atque ratiociniorum noſtrorum per varias ideas progreſſum*, quarum relationem, comparando propoſitiones, pervidemus, illisque datis novas veritates inde elicimus. Quarto denique ratio ſignificat *medium illud, quo intercedente veritatem propoſitionis alicujus explicamus ac demonſtramus*, oſtendendo convenientiam aut pugnam duarum idearum, longe a ſe diſtantium, ex certo nexu, quo alii tertio colligantur. Varium hunc vocis uſum denique colligens, Autor concludit, *rationem* eſſe *rectum ac juſtum mentis in ideis claris exercitium*, ac licet contendat, ideas duntaxat ſimplices ratiocinii noſtri materiam proprie dici, atque compoſitas ideas, ex actu mentis reflexo natas, improprie ita vocari, argumentorum tamen noſtrorum, in utrovis idearum illarum genere fundatorum, eandem certitudinem eſſe, agnoſcit. Ita in abſtractis hiſce ac a ſenſu remotis veritatibus verſatus, ne nauſeam lectori

ctori moveat, argumentum hoc dictis variis in patronos ſchematis pantheiſtici condire ſatagit, &, quod ratione humana in veritatibus idealibus incongrue abutantur, ipſos objurgat. Cum enim recte aſſeratur, neceſſariam atque æternam inter bonum & malum differentiam intercedere, atque in ipſa rerum natura deprehendi immutabilem convenientiam aut pugnam, quæ legem quamvis poſitivam antecedat, homines illi inepte inde inferunt: ſi veritas propoſitionum æterna ac neceſſaria eſt, ipſas ideas, quæ propoſitiones ejusmodi ingrediuntur, tales quoque eſſe, neceſſe eſt. Et, cum ideæ ſint formæ, ab externis objectis menti impreſſæ, objecta neceſſario quoque æterna erunt, ſi ideæ æternæ ac neceſſariæ ſunt. Atque hinc concludunt, ex ipſo adverſariorum ſuorum teſtimonio, hoc univerſum, ſive τὸ πᾶν, illud unum æternum ac neceſſarium eſſe, quod Deum alii vocant. Reſpondet ad hæc Autor, duorum generum ideas noſtras eſſe, aliasque ex objectorum externorum in ſenſus noſtros actione naſci, quæ adeo æternæ dici nequeunt, alias vero ab æterno in mente divina, tanquam cauſam, partim exemplarem, partim efficientem hujus univerſi, extitiſſe, de quibus multa erudite *Philo* commentatus eſt, ex cujus ſcriptis aliquot loca Autor adducit. Vel hoc igitur Pantheiſtarum exemplo conſtat, rationem rectam veritatem quidem ſemper aſſequi, non tamen fatali quadam neceſſitate eam ipſi obtrudi, cum ratio & naturali & morali morbo corripi queat, quarum contagio omnes ejus cogitationes inquinentur. Itaque in veritatis cultore, Philoſopho, aut, ut hodie loqui amant, viro libere cogitante, candorem ac induſtriam requirit, h. e. partim ſincerum veritatis ſtudium, atque animum paratum utendi omnibus mediis, quibus verum aſſequi licet, partim dextrum mediorum horum uſum, ne quis abſterreri ſe patiatur impedimentis ac ſpinis, quæ veri inventionem remorari aut turbare poterant. Qua occaſione Autor ſectæ illius libere cogitantium ſtuporem atque rerum omnium ignorantiam graviter reprehendit, indignatus, quod vitiis his impliciti, religionem, quam rationibus profligare haud valent, inficeto riſu proſternere inſtituant. Fatetur, ſatis ſibi conſtare, viros



Digitized by Google

nonnullos incredulitatis propagandæ cauſa, eoque propoſito, ut religionem omnem everterent, in ſocietatem coiviſſe, ſed ſancte teſtatur, neminem ſibi innotuiſſe rebus divinis in ſenectute inimicum, qui non in juventute ſceleſtus fuerit. Si tamen nonnulli ex ipſorum numero inveniantur, qui omnem rationis uſum haud ejurarunt, in eorum gratiam demonſtrare ſuſcipit, quod nec naturalis, nec revelata religio quicquam præcipiat, quod ſanæ rationi repugnet. Nihil vero rei ſibi habendum eſſe ratus cum iis, qui Pantheiſtarum placitis ſubſcripſere, obſervaſſe ſe recordatur, plurimos eorum, qui religioni inſultant, aperto marte ſummi Numinis exiſtentiam, immortalitatem animæ humanæ, atque futuræ vitæ præmia vel pœnas, aggredi non audere. Supponit itaque, Deum eſſe, eumque infinite bonum, ſapientem ac potentem, atque omnium rerum autorem, & mortales ita ab ipſo creatos eſſe, ut immortales ſint. Inde ſtatim digreditur ad demonſtrandum, nihil in libris veteris vel novi Teſtamenti contineri, quod rationi repugnet, aut obviæ ac communi veritati contradicat. Ex bonitate Dei ac omnipotentia ſequitur, Deum voluntatem ſuam hominibus tanquam certam actionum humanarum normam revelaſſe, neque adeo rationi repugnat, aſſerere, tabulas ejuſmodi extare, quibus leges a Deo præſcriptæ contineantur. Neutiquam vero animus eſt Autori, argumenta pro excellentia atque divina autoritate librorum S. Scripturæ ſigillatim recenſere, quod alii jam permulti inter antiquos & recentiores oraculorum divinorum vindices accurate executi ſunt, ſed demonſtrare duntaxat ſuſcipit, nihil abſurdi, aut quod ſibi ipſi contradiceret, in libris illis inveniri, quicquid divinæ veritatis oſores criminentur. Arbitratur enim, ſi hoc adverſariis perſuadeat, animos ipſorum præparatum iri ad pervidendum facilius, quam ſalubria ſint ſacrorum librorum præcepta, quam ſancta dogmata, & quantum tum naturæ luminis dictata, tum doctrinas alias, quarum originem divinam impoſtores nonnulli finxere, antecellant. Hoc igitur evicturus, ſigillatim expendit S. Scripturæ 1) hiſtoriam, 2) miracula, 3) præcepta, & 4) myſteria, atque ſelectis exemplis comprobat, miracula a

Moſe

Digitized by Google

Moſe aliisque divinis vatibus edita, myſterium S. Trinitatis, incarnationem Chriſti &c. nihil complecti, quod rationi adverſum ſit, licet modum rerum illarum, quo factæ ſunt, ratio haud capiat. Diſtinctionem inter ea, quæ ſupra & contra rationem ſunt, vindicat, atque *Lockii*, viri parum ſane creduli, & audaciſſimi inanium vocum contemtoris, autoritate tuetur, maxime cum Phyſices non ignaris abunde conſtet, quam pauca ſint inter ea, quæ quotidie ante oculos nobis obverſantur, quorum cauſas accurate explicare, aut modum, quo fiunt, indicare valeamus. Nobis vero ſingula argumenta, quibus copioſe demonſtrat, nihil in S. literis tradi, quod rationi repugnet, excerpere non licet, ſed monuiſſe ſufficiat, Autorem collectis hiſce copiis evincere, cum palmaria S. Scripturæ dogmata nihil abſurdi tradant, poſſibile ſaltim eſſe, illam veracem eſſe. Inde porro colligit, quemlibet obſtringi, ut ſtudioſe inquirat, an liber ille, cui divinam autoritatem Chriſtiani tribuunt, vere ſit Dei verbum, ſiquidem & præſentis & futuræ vitæ noſtræ æternæ ſalus inde pendeat. Objurgat cives ſuos, quod nuper cœca divitiarum, ex commercio per mare auſtrale propoſitarum, cupiditate non modo omnes in vana hæc & inutilia bona converterint cogitationes, ſed ſcurræ cuivis, ſpem illarum fraudulenter inſuſurranti, fidem confeſtim habuerint, cum de æterna ſalute ſua vix cogitare dignentur. Porro indignatur illis, quod internecinum in ſacri ordinis viros odium prodant, licet experientia convinci facile queant, viros probos atque longe honeſtiores ordini huic adſcriptos inveniri, quam ſint veteratores illi, qui, oſtentata magnarum opum ſpe, alios pecunia emungant. Homini igitur, cui ſalutem ſuam ſerio curare animus eſt, ſuadet, ut primum præconceptas mentis opiniones proſcribat, deinde affectuum impetus refrænet, cum animus ſedatus atque ab omni vanitate purgatus æque requiratur in homine de rebus moralibus judicaturo, quam exquiſita principiorum Euclidis notitia in Mathematico, qui ſubtilia recentiorum inventa intelligere, aut judicium de illis ferre ſuſcipit. Viro ita præparato rationis uſum haud diſſuadet, ſed graviter potius imperat, imo in ſe recipit, ſe hominem hac virtute animi ornatum



Digitized by Google

natum,etiamſi liberrime cogitet, ducem ſequi haud detrectaturum eſſe. Libere enim hac lege cogitans eſt candidus veritatis cultor, verus Philoſophus, atque ab omni vanitate ac ſuperſtitione longe alienus. Ita libere olim cogitarunt veteres veritatis ac rationis patroni, & inter ipſos paganos vindices ſtrenui, *Pythagoras*, *Socrates*, *Plato*, *Plutarchus*, *Tullius*, alii, qui graviſſimis rationum momentis errores & vitia temporum ſuorum epidemica intrepide oppugnabant, & ſagaciſſimi intellectus ſui virtute genuinos naturæ divinæ atque animæ humanæ conceptus rimati, profundeque compagem & œconomiam hujus univerſi, ac ſolicitam providentiæ Dei pro conſervatione ejus curam, introſpicientes, luculenta illa religionis naturalis ſyſtemata condebant, quibus ignorantia, ſuperſtitio & idololatria, peſtis illorum temporum, penitus proſternebantur. Certe *Socrates* vitæ diſcrimen pro veritate, quam indubiis rationum momentis intellexerat, adire, veritus non eſt. Sancti vero, Martyres, atque Patres priorum Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculorum, tormentis a fide in Chriſtum crucifixum ſe abſtrahi haud patiebantur, atque evidentibus innixi rationibus, & divina luce colluſtrati, tum craſſos paganorum errores, tum pertinacem Judæorum caliginem fortiter impugnabant. Eadem animi conſtantia, & cogitandi libertate patres noſtri, qui Eccleſiam his ſeculis ab erroribus purgarunt, dignitatem atque autoritatem rationis tuiti ſunt adverſus illos, qui Chriſtianos jubebant, proſcripto rationis uſu, Eccleſiæ dictatis cæco obſequio ſubſcribere. Horum veſtigiis ut inſiſtamus, omnes gemino reſpectu obſtringi nos, partim tanquam homines ratione præditos, partim tanquam viros honeſtos, Autor uberius demonſtrat, exprobrans interea ſeditioſis hominibus tumultus, quibus ſuam rationi dignitatem aſſerere incongrue inſtituunt, eaque facundia argumenta ſua exponit, ut ſperari queat, certe optandum ſit, homines, infidelium quorundam gregem huc usque libidine vel animi impotentia ſecuti, qui argumenta pro religione ſubtilia vix aſſequuntur, meliora ex hoc Opuſculo, ad populi captum accommodato, cognoſcant tandem.

REFLE-

Digitized by Google

REFLEXIONS CRITIQUES SUR LE TRAITé de l'Uſage de differentes ſaignées &c.

i. e.

## *CHEVALIERII, MED. D. ET PROFESS. Animadverſiones Criticæ in Tractatum de Uſu diverſarum Venæſectionis ſpecierum, præcipue illius, quæ in pede inſtituitur.*

Lutetiæ Pariſ. apud Rollinum, patrem, 12. pagg. 500.

ORta eſt aliquot abhinc annis inter Galliæ Medicos de venarum in diverſis corporis morbis ſecandarum ſelectu, non minimi in praxi Gallorum, quibus primum fere & ultimum in plurimis affectibus venæſectio eſt remedium, momenti controverſia. *Hecquetus* in obſervationibus circa venæſectionem in pede, eam Gallis minus accommodatam, illique, quæ in brachio adornatur, multum poſtponendam, aſſeruerat: *Jo. Bapt. Silva* contra prærogativam venæſectionis in pede præ illa in brachio maſcule defendebat. Uterque ſuam ſententiam, tanquam gravibus in ægrotantium ſanatione erroribus evitandis utilem atque neceſſariam, ſanguinis circulationi & genuinis Hydroſtatices principiis innixam, ſtabilire conatus eſt: ſuos pariter uterque aſſeclas, pro ejus veritate tanquam pro aris & focis decertantes, atque non de otioſa ſcholarum quæſtione, ſed de vita hominis, hic agi clamantes invenit. Hos inter præſens quoque *Chevalierii* Tractatus prodiit, in quo priorem libri, a *Silva* editi, partem, fundamenta hypotheſeos jacientem, a capite ad calcem modeſta criſi expendit, alteram, quæ proprie *Hecqueto* oppoſita erat, prorſus intactam relinquens, cum ab ipſo autore ſententiæ ſuæ defenſionem parari compererit. Triplicem ſcilicet effectum omnis in corpore venæſectio producit, dum primum certam totius ſanguinis maſſæ quantitatem e corpore evacuat, deinde ad certas corporis partes majorem ſanguinis copiam, quam ante ſectionem eo ferebatur, derivat, inſimulque ab oppoſita parte cruorem abundantem revellit. Omnis igitur in eligendo vaſis aperiendi loco pru-

 den-

Digitized by Google

dentia Medici in eo verſatur, ut, quæ derivationem certis in partibus cauſentur, quæve revulſionem ab iisdem producant, vaſa probe diſpiciat. Hinc tota lis enata eſt: *Silva* venæſectionem in brachio, majorem in ſubclaviam arteriam, & inde orta capitis vaſa ſanguinis affluxum concitare, ſicque in omnibus capitis affectibus a congeſtione ſanguinis pendentibus manifeſto nocere, putat: contra *Chevalierius* eandem in truncum quidem ſubclaviæ ſanguinem derivare, at vero eo ipſo, dum in ramis externis, ob venam apertam, minor eſt vis renitendi, omnem impetum eo deferri, ſicque partem, alias ad caput tendentem, re ipſa ab internis ramis revelli docet, hinc in capitis morbis ab ea ſemper initium ducere jubet. Venæſectionem vero in pede *Silva* tanquam apprime utilem, & primo loco inſtituendam, commendaverat: contra quam tamen *Chevalierius* multis argumentis inſurgit, atque illam in plethora valde turgente, antequam vena brachii ſecta ſit, inſtitutam, non ſolum in omnes partes, quæ ab aorta deſcendente ramos accipiunt, ſicque viſcera nobiliſſima ſanguinem copioſe derivare arbitratur, ſed ipſos quoque pulmones, (ad quos nihil inde redundare poſſe *Silva* defenderat,) illa uberiori ſanguine infarciri demonſtrat. Ut eo rectius Lectori de idea, quam *Chevalierius* de derivatione & revulſione ſibi formavit, conſtet, novem illas regulas, quas pag. 348 ſeqq. exhibet, & ad quas toto in Tractatu ſæpius provocat, huc transferemus.

1. Venæſectio reſiſtentiam trunci arteriæ eodem gradu minuit, quo illa in ramo minuitur, qui ad venam apertam ſpectat.

2. Antequam venæſectio novam ſanguinis quantitatem in truncum arteriæ derivat, illa, quæ ipſo ſectionis momento in utrumque ramum dividenda, in illo continetur, pro ratione reciproca reſiſtentiarum inter illos diſpertitur.

3. A ramo oppoſito tantum ſanguinis revellitur, quantum in illum, ubi reſiſtentia debilitata eſt, derivatur.

4. Derivatio incompleta æqualis eſt derivationi, quæ in trunco obſervatur, & revulſioni varianti in ramo oppoſito.

5. Summa derivationis in truncum, diviſa in utrumque ramum,

mum, quorum alter derivationi, alter revulſioni expoſitus eſt, conſtituit differentiam, inter ſummam derivationis in ramo, ubi vis reſiſtendi eſt imminuta, & ſummam revulſionis in ramo, ubi vis reſiſtendi manet eadem.

6. Summa derivationis in truncum eadem ratione inter duos ramos dividitur, qua ſanguis momento ſectionis inter eosdem diſtributa eſt.

7. Poſt diviſionem ſummæ derivationis in truncum, inter binos ramos, derivatio completa in ramum, cujus vis eſt imminuta, ſuperat ſummam derivationis in ipſum truncum.

8. Exceſſus derivationis in ramum, quo derivationem in truncum ſuperat, æqualis eſt revulſioni, factæ in altero ramo, cujus vis permanſit illibata.

9. Derivatio facta in truncum imminuit quidem quantitatem revulſionis, in altero ramo expectandæ, ſed nunquam prorſus ad nihilum reducit.

Harum regularum uberiorem demonſtrationem & in ipſa controverſia applicationem ſpecialem qui deſiderant, Lectores, eos ad ipſum Tractatum ablegamus, in quo plura præterea, v. g. de ſectione jugularium in angina, item de ſectione venæ brachii lateris oppoſiti in pleuritide &c. lectu non injucunda invenient.

## *PETRI CHRISTOPHORI BURGMANNI, M. D. Succinctum Hypotheſeos STAHLIANÆ Examen, de Anima rationali, corpus humanum ſtruente, motusque vitales tam in ſtatu ſano, quam morboſo, adminiſtrante.*

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſchii B. filium, 1731. 8.
Plag. 17.

INtricata illa de principio hominis vitali quæſtio, per tot ſeculorum decurſum a ſummis ſubinde ingeniis tractata, nondum adeo accurate a quopiam deciſa eſt, ut communem ulla ex receptis hypotheſibus eruditorum applauſum obtinuerit, vel

Digitized by Google

vel in poſterum conſecutura videatur. Inter reliquas noſtro hoc ævo Celeb. *Stahlii* ſententia, qua animam rationalem principii vitalis munere fungi ſtatuit, præ ceteris fere caput extulit; quæ tamen multorum ex opinione non levibus premi difficultatibus credita, atque omni conatu impugnata eſt. Horum partibus Cl. hujus Schediaſmatis Autor quoque acceſſit, qui pro triplici, quod animæ rationali reſpectu corporis tribuitur, officio in tria hanc Diſquiſitionem Capita digeſſit. In primo, an animæ rationali corpus ſuum ſtruendi potentia competat, disquiritur; in ſecundo, an illa in ſtatu ſano motus vitales adminiſtrare dici queat, examinatur; in tertio denique, an illa in ſtatu morboſo hos motus ſalutari conſilio dirigat, excutitur. In ſingulis ita verſatur, ut *Stahlianorum* hypotheſin propriis ipſorum verbis proponat, quo ſcopo præſertim Cl. *Alberti*, Prof. Hal. qui omnes Medicinæ partes ſuccinctis theſibus complexus eſt, ſcripta ſibi delegiſſe videtur, ita tamen, ut, ſi quod præterea majoris momenti argumentum apud Cel. *Stahlium*, vel alios ejus aſſeclas, occurrat, idem ſilentio non prætermittat, deinde cuivis argumento ſuccinctam refutationem ſubjiciat. Ut aliquo ſaltem ſpecimine Lectoribus de Autore noſtro conſtet, Cap. I §. 26-30 de argumento, quod a deformatione fœtus ob imaginationes matris deſumitur, quodque ab illis non ultimo habetur loco, diſſerit, quas illi, cum anima fœtus ab anima matris communicari, & ab illa deinde in formatione corporis proprii exprimi, ſtatuunt: ubi docet, animam fœtus, quamdiu ille in utero hæret, ob defectum mediorum percipiendi, nullas de rebus ſenſualibus atque materialibus formare, adeoque multo minus imitari poſſe ideas: imo modum cognoſcendi animæ in fœtu, ex ipſorum propria hypotheſi, hoc aſſertum refellere, cum illa in toto formationis negotio per ſimplicem ſolum rationem, quæ res ſine craſſa præfiguratione cognoſcat, operetur; hæ vero ideæ de figuris rerum ſine ratiocinatione comprehendi nequeant: denique, modum hujus inter animas matris atque fœtus commercii nulla probabili a Viris Cl. ratione explicari poſſe, monet. Quare id ſaltem hoc argumento evinci putat, quod anima matris ſe inter-

dum

Digitized by Google

dum negotio formationis immiſceat, atque ejusmodi ideas ad corpus fœtus, quamvis præter intentionem ſuam, transmittat: quæ ipſa ſententia cum multis adhuc dubiis ſit obnoxia, atque totum hoc problema inter difficiliora non immeritò referendum ſit, optaremus, ut, ſi quem diſtinctum ſibi hac de re formavit Cl. Autor conceptum, uberius de illo expoſuiſſet, digno ſane, quod data opera curatius indagetur, phænomeno. Non minus lectu digna ſunt, quæ Cap. II §. 21 ſqq. contra animæ in motibus vitalibus directionem urget: quod, ſi illam ab anima pendere ſtatuatur, conſcientia horum motuum illi neceſſario tribuenda ſit. Etſi enim animæ non ſemper modus, quo hoc vel illud agit, diſtincte innoteſcat, illud tamen, quod agat, eam profecto latere nunquam poſſe; cujus contrarium cum quivis in ſe ipſo experiatur, dum ne perſpicaciſſimus quidem de hac proprie animæ operatione quicquam percipit, firmiſſimum inde contra hanc ejus potentiam argumentum necti poſſe, arbitratur. Ex eodem fundamento contra ſenſum, quem animæ tribuunt, vitalem, quo illa de noxis corpori ſuo imminentibus, materiæque peccantis qualitate & quantitate edoceatur, & ſecundum hanc perceptionem motus neceſſarios inſtituat, Cap. III §. 6 ſeqq. fuſius diſputat. Noſtrum vero non eſt has componere lites; id ſaltem optamus, ut, ſi quis ex ſchola Celeb. *Stahlii* reſponſionem adhuc aliquam paret, dignam eruditis controverſiis modeſtiam, cujus Autor noſter ſatis ſtudioſus fuit, tueatur, ne convitiis & ſalſis dicteriis, quorum metu diu ſe ab edenda hac Diſquiſitione deterritum fuiſſe in Præfatione fatetur Autor, ſe invicem laceſſendo, ſe pariter atque res ipſas aliorum riſui exponant.

---

## *NOVA LITERARIA,*
## CUM ELOGIO
## JOANNIS BURCHARDI MENCKENII.

INauſpicatæ his *Actis*, Muſisque forſan bonis omnibus, nuperrimæ Calendæ Apriles fuere. Extulit enim Lipſia noſtra, ſat graves ab aliquo tempore plagas paſſa,

 jam-

jamque fere neſcia ſolatii, funus *Menckenii* ſui, illius *Joannis Burchardi*, quem per annos octo & quinquaginta alumnum, doctorem ultra annos tres & triginta habuit, illius *Menckenii*, quem ſuis ipſa notavit oculis, &, quoad viveret, in civium ſuorum numeravit nobiliſſimis. Neque forſan inter exteros, quibus hæc ſcribuntur maxime, deerunt *Menckeniano* nomini tam amici, qui triſtiſſimi hujus nuncii horrore perculſi, & e longinquo videntes lachrymantem Lipſiam, in ſocietatem doloris luctusque veniant, & *Menckenio*, viro bono, idque per omnem vitam agenti unice, ut pro virili parte literarum decus tueretur, artiumque florem conſervaret, longiorem vitæ uſum conceſſum vellent divinitus. Tulit enim hunc, quantum recordamur, Divus noſter laborum, quos pro honore patriæ lubens ſuſtinuit, ſuorum omnium fructum olim, ut, bene factorum & induſtriæ præclaræ laudem conſecutus, amantiſſimos ſui haberet non Germaniæ tantum, ſed Britanniæ etiam, Italiæ, Galliæ, & ſi qua alia gens non abhorret a literis, primi ordinis eruditos quoscunque. Quibus ſatis intelligentibus per ſui honeſtatem ingenii, eſſe aliquid in *Menckenio*, non ex plebe cuivis datum, &, de univerſis ejus in literas meritis optime exiſtimantibus, nulla ſane re majorem amandi laudandique ſui materiam præbuit, quam, quæ poſita ab ipſo eſt in excudendis ornandisque *Actis* hiſce, opera haud ſane ignobili, ita comparata prorſus, ut in eorum, quibus in deliciis ſunt bonæ literæ, communem uberrimumque fructum redundaverit. Cujus negotii, utpote non omni deſtituti gloria, quin & conjuncti cum voluptate quadam, cum ipſe a parentis, *Ottonis*, inde obitu impoſitam ſibi curam haberet, continuo quinque & viginti annorum ſpatio totus in eam incubuit, nec niſi cum vita ipſa, quod vel Actorum Menſis *Aprilis*, nuper demum exire in lucem juſſus, ſatis docere quemque poteſt, eam depoſuit. Quin, eorum, quibus Operis hujus inſtitutum non eſt adeo incognitum, & annorum, vel præſentis, vel ſuperiorum, pervolutata paſſim Volumina, fore neminem, arbitramur, qui non in eo nobiſcum conſentiat, magno utique labore, & literarum commercio cum exteris ampliſſimo, ſumtibus denique, non ero-

erogandis homini avaro cuilibet, ex omni terrarum parte conquiſitam *Menckenio*, advectamque peregre fuiſſe illam librorum, quos in compendium hic redactos cernimus, inſignem copiam. Ita enim exiſtimabat olim non ignarus iſtarum rerum *Menckenius*, ut dignitatem quandam laudemque præcipuam, nondum occupatam a ceteris Diariorum Ephemeridumque, quarum turmas & phalanges innumerabiles inde a ſemiſeculo dedit Gallia, Britannia, Belgium, & nihil non monſtrorum parturiens in ſuum dedecus Germania, ſcriptoribus, ſuis *Eruditorum Actis* acquireret, in eo elaborandum ſibi cumprimis eſſe, ne vulgaria nimis, & in triviis compitisque obvia, aut quorum facile carere lector poſſet notitia, omnes libri paginas, deſtinatas melioribus, implerent, nec rudi magis plebeculæ & in elegantiori ſtudiorum genere tirunculis, quam exercitati & ad maturitatem perducti ingenii viris hæc viderentur ſcripta, deinde ut, qui de libris recens editis publice dicerent ſententiam, hi probe gnari hujus artis eſſent, opinionemque doctrinæ haberent, & Latine ſcirent eleganter ſcribere, denique ut ab his ipſis longiſſime abeſſet vel vituperandi libido petulans, vel laudandi ſtudium præpoſterum, eſſentque omnia, quæ dicerentur, non minus ad rigorem veritatis, quam ad mollem, ſi fieri poſſet, lenitatem compoſita. Quæ omnia cum ſatis, ut nos quidem opinamur, per tantum temporis decurſum partim præſtita, partim curata, ab eo diligenter ſint; jam, quod facile providemus, oppido multi erunt, qui, erepto rebus humanis *Menckenio*, infauſta quævis ominentur *Actis* hiſce, & velut jam in extremo ſitis triſtiſſimas parent exſequias, multas forſan, ſi quis labantes has Muſas ſuis ſuſtentare humeris laboret, ei gratias acturi. Neque timoris ſui habere cauſas illi prorſus nullas videntur; quandoquidem eam eſſe literarum plerumque ſortem conſtat, ut unius viri ortu effloreſcant pulchre, decreſcant item unius interitu, easque rerum vel optimarum ſcimus eſſe viciſſitudines, ut, cum in ſupremo conſtitutæ faſtigio videntur, tum fini ſuo intelligantur eſſe quam proximæ. Age tamen, ne, cum nihil timendum ſit *Actis* noſtris, ipſe forſan

funeſtus ſit timor iſte, obviam eamus malo huic admodum terribili, excogitato in certiſſimam Muſæ noſtræ perniciem, niſi armis oppugnetur, dum adhuc in herbis eſt, animisque omnibus. Id igitur, qui ſiniſtrum ex obitu *Menckenii* omen accepere, & nobis ceteroquin bene cupiunt, ſibi habeant ſolatii, ſupereſſe ex *Menckeniana* ſtirpe ſurculum, *Fridericum Ottonem*, filium, inauditum forſan multis nomen, & nullis illuſtre meritis, at ſuis, modo bonis conatibus bona fata adſint, brevi exſoluturum ſe tenebris. Is, æmulaturus aliquantulum paternam avitamque gloriam, & in commodis publicis poſthac, quantum in ipſo eſt, elaboraturus, hæreditate paterna acquiſitam hanc provinciam, hoc dulce & jucundum negotium, hoc decus, partum *Menckeniano* nomini, conſervabit omni ſtudio, nec committet unquam, ut, quæ plauſibus excepta huc usque omnium fuere, ipſius culpa gratiam perdant dignitatemque priſtinam. Quin, natura ita formatus, ut eorum, qui magnam exiſtimationem doctrinæ habent, amore nihil ipſi ſit optatius, ea etiam edoctus omnia, quorum habenda eſt ratio futuro Actorum editori, & tractandis his rebus jam ſatis inde ab aliquo tempore aſſuetus, efficiet in poſterum, ut intelligant iſtarum rerum æſtimatores recti, nihil ab ipſo laboris intermiſſum & induſtriæ, nec ullis ipſum pepercisse ſumtibus, ut ſelectiſſima quæque atque cognitu digniſſima eruditis per terras late omnes poſſent innoteſcere. Neque vero ingenioli ſui aut eorum, quæ ab ipſo expectari poſſunt, tantus oſtentator eſt, ut, virorum longe ſe ipſo doctiorum opera & conſilio carere ſe poſſe in re tam gravi, exiſtimet. Horum potius cum maxima ſit penes ipſum autoritas, atque bene adhuc recordetur ipſe, quam fructuoſa parenti olim, *Joanni Burchardo*, evenerit eorum amicitia, non conſultis iis quicquam audere in poſterum, turpe admodum & ingenio liberali putabit indigniſſimum. Itaque eos omnes, quorum ſtudio & diligenti cura factum eſt, ut compoſitiſſima ad hunc usque diem prodierint, quæcunque de libris novis in Opere *Actorum* dicta ſunt, verbis humaniſſimis rogatos cupit, illius benevolentiæ, qua complexi olim parentem ſunt, in filium redundare patiantur particulam,

ticulam, & inquirendo in librorum pretium, horumque ſummas percenſendo breviter, afferre aliquid ad rei literariæ decus & emolumentum pergant. Cumque ab eorum humanitate expectari hæc poſſe certiſſime confidat; viciſſim, ad officia quævis ipſis præſtanda fore ſe promtiſſimum, & eorum de ſe merita laudaturum palam, data dextra & publicis his tabulis religioſe ſpondet. A Typographis autem, iis maxime, qui procul a terris noſtris libros novos vendunt, ſummis precibus id expetit officii, ut, ſi quid illic locorum prodierit Operum præſtantiorum, quæ non niſi magnis ſumtibus transferri ad Germanos ſolent, id, addito pretii, quo venditur, indicio, mittere ad ipſum ne graventur. Etſi enim, quæ gratis miſſa erunt ei omnium acceptiſſima; libenter tamen, quanticunque fuerint, ſumtus feret, modo non, quæ bona ſunt, & in officinis noſtris raro obvia, expectentur ipſi fruſtra prorſus. Ceterum, cum probatiſſimum ſemper eruditis, quotquot hæc noſtræ legerunt, fuerit omne hujus Operis inſtitutum, ejus in poſterum ſe geret obſervantiſſimum, nec quicquam in eo mutabit temere, niſi quod *Obſervationes*, quæ vocantur, *literarias*, utpote quarum cupidiſſimos cognovit multos, majori, quam factum huc usque, numero e ſuis in lucem vocabit tenebris. Itaque non de ipſo tantum, ſed de omnibus, quibus hæc bellaria eſſe ſolent in deliciis, optime merebitur, qui hujus generis ſcripta ſua, in ſcriniis adhuc ſervata, docte ſcripta & ingenioſe, nec materiam datura infinitis litibus, benevole cum ipſo liberaliterque communicaverit. Etſi enim librorum haudquaquam nos eſſe negligentes decet, nec omne chartarum ſpatium impleri fas eſt Obſervationum Animadverſionumve plauſtris; ex utraque tamen parte officio noſtro nos facturos ſperamus ſatis eſſe, ſi ad Supplementa Operis, diligentius olim, quam huc usque, edita, revocanda in uſum priſtinum curam converterimus cogitationemque noſtram.

Monenda hæc, tam noſtra, quam Lectorum, cauſa, duximus, ne ſiniſtra quæque & aliena a conſiliis noſtris ſpargere in vulgus audeat livor improbus, hujusque bona ſoror, calumnia. Jam, ut monumento publico *Menckenii*, ſat digni hoc honorum genere, conſervemus memoriam, vitam ejus ac geſtorum



Digitized by Google

inter eruditos hiſtoriam, & quicquid de eo magnum ac ſingulare dici poteſt, breviter ſtrictimque commemorabimus. Originem *Menckeniana* domus Oldenburgo ducit, urbe Saxoniæ inferioris haud ignobili. In civitatem hic receptus abavus *Menckenii* noſtri, *Helmricus*, hæreditate hæc jura tranſtulit ad filium, *Ottonem*, & nepotem, *Joannem*, quorum ſinguli mercaturam fecere ſat quæſtuoſam, & honeſto vivendi genere laudem inter cives ſuos meruere. Is *Joannes*, antiquæ homo fidei & pietatis, filium genuit *Ottonem*, qui, relicta domo patria, commigravit Lipſiam, & ſtudiorum hic omnisque fortunæ ſibi ſedem fixit. Cujus quæ fuerint poſtea in hac Muſarum officina munera publica, quæ in literas & Academiam merita, abhorret ab inſtituto noſtro, hic exponere. *Ottoni* huic debemus *Joannem Burchardum* noſtrum, qui lucem aſpexit Lipſiæ ſexto Idus Aprilis, ad propagandam natus amplificandamque patris gloriam, & beneficam ſatis in formando ſe naturam expertus. Matrem coluit *Magdalenam Sibyllam*, gentis *Berlichianæ*, matronam omnibus ſexus ſui virtutibus condecoratiſſimam. Horum cura parentum optimorum factum eſt, ut, qui ab ineunte ætate documenta multa ingenii præbebat excellentioris, ad ſpem patriæ feliciter adoleſceret *Menckenius*, animumque confirmaret in recti bonique ſtudiis nobilioribus. Præceptores, qui primis erudirent eum literarum elementis, dati ſunt *Menckenio* admodum juveni M. *Paulus Antonius*, publicus deinde in Academia Halenſi Theologiæ doctor, M. *Gleitſmannus*, ſcholæ poſtea Cizenſis Rector, M. *Chriſtianus Snedermannus*, & *Georgius Lebrechtus Wilckius*, rerum ſacrarum in terra Miſnenſi Præfectus jam longe meritiſſimus. Ex quorum inſtitutione tantum profecit brevi tempore, ut jam anno ætatis ſuæ decimo ſeptimo civibus Academicis adſcriptus, inter vota parentum gradum facere ad altiora potuerit. Jam, ſtudiorum ſuorum rectam initurus rationem, primum ad Philoſophiam animum applicuit, quam ex ore hauſit parentis, *Ottonis*, nec non *Hardtii*, Philoſophiæ laude & auditorum numero vix illo tempore habentis parem. Quorum præceptis probe innutritus, haud ita multo poſt A. 1694

ſupre-

ſupremos conſecutus eſt in Philoſophia honores, & cum his conjuncta jura Academica eodem anno vindicavit ſibi Diſputatione publica *de Auguſtorum Auguſtarumque conſecratione ex nummis.* Quibus poſitis illuſtriorum munerum dignitatumque velut fundamentis, anno ſubſequenti in Ordine Philoſophorum occupaturus locum, *de eo, quod decorum eſt*, primam, & A. 1696 alteram de *Monogrammate Chriſti*, publice defendit Diſputationes. Quæ cum ita comparata eſſent publica ingenii ſpecimina, ut magnam penes eruditos concitarent expectationem *Menckenii*; jam ad majora connitendum ſibi ratus, Philoſophiæ adjunxit ſacrarum literarum ſtudia, & in ſcholis ſuis frequentem auditorem habuere *Jo. Olearius*, *Jo. Cyprianus*, *Imman. Hornius*, & *Jo. Schmidius*, quibus, utpote ſummæ celebritatis & exiſtimationis viris, acceptam retulit doctrinæ ſuæ partem maximam. Nec abjecit tamen penitus elegantiora humanitatis ſtudia, quippe quorum inde a teneris ad extremum usque vitæ tempus fuit amantiſſimus. Dedit inprimis ſe totum Eloquentiæ Germanicæ, & in *Oratorum Teutonicorum* ſodalitate, quæ ad hunc usque diem florem conſervavit priſtinum, ingenii ſæpius fecit periculum; in Philologicis vero hortis excurrendi ampliſſimum *Anthologorum* Collegium, ne nunc quidem extinctum, occaſionem ei ſuppeditavit perquam commodam. Tum vero, perpolitus artibus ingenuis, & ad curas graviores bene præparatus, ut & parentis, & eorum omnium, qui oblectandi ingenii & locupletandæ eruditionis cauſa terras olim peragrarunt longinquas ſtudiisque cultioribus florentes, exemplum imitaretur laudatisſimum, relicta per aliquod tempus Lipſia, in Belgium Angliamque, ampliſſimas bonarum artium officinas, nobile meditatus eſt iter, idque cum amico ſibi conjunctiſſimo, M. *Frid. Wilh. Schützio*, jam Theol. D. & in urbe patria rerum ſacrarum curam gerente, deque his merente optime, præclare admodum laudabiliterque confecit. Belgium ingreſſus, commendatiſſimum ſibi habuit *Rhenferdi*, *Bælii*, *van Meel*, *Gravii*, *Gronovii*, *Perizonii*, & *Burmanni*, literatiſſimorum virorum, commercium, & colligatam cum his amicitiam ab illo tempore conſtanter aluit

per

Digitized by Google

per literas. Nec minorem erga ſe benevolentiam Anglorum expertus eſt, quorum præſtantiſſimi, *Bentlejus*, *Milleſius*, *Hudſonus*, *Woodwardus*, & *Covelius*, amice eum liberaliterque exceperunt. Studioſiſſimi præ ceteris *Menckenii* noſtri fuere Duumviri egregii, *Henr. Dodwellus*, atque *Guil. Caveus*, quorum alter integras ſæpe horas cum eo converſatus, variæ multiplicisque doctrinæ ſuæ uſum ei humaniſſime conceſſit, alter non præſentem tantum complexus eſt tenerrime, & abiturum vetuſtioribus nonnullis & magni pretii numis donavit, ſed abſentem etiam in dilectiſſimis habuit, quin jucundo filii nomine compellavit, utque vel mortui grata *Menckenio* atque dulcis eſſet recordatio, numos ei aureos non exigui valoris teſtamento legavit. Cujus viri inuſitatam prorſus humanitatem & amorem erga ſe incredibilem nunquam ſatis prædicare potuit *Menckenius*. Neque defuere Britannorum alii, qui Saxonem hunc reciperent in amicitiam, & univerſæ, quæ Londini floret, ſodalitati ſcientiarum Regiæ tantopere ſe probavit ejus ingenium, ut nihil minus ſperantem aut cogitantem, unanimi ſuffragio, accedente cumprimis conſilio & autoritate *Woodwardi*, A. 1700 ſibi ſocium adjungeret; quale honoris genus multos annos poſt ab ipſo præſtitum ei eſt conſeſſu eruditorum Berolinenſi. Tantam autem Anglorum ut acquireret benevolentiam, haudquaquam aliena opus ei commendatione fuit; ſed eſſe ei ſatis videbatur, quod faciem oſtentaret admodum ingenuam, & tractabilis cuilibet, & comis alloquio, & ad aucupandam gratiam natura ipſa eſſet compoſitus. Cujus rei tam privata, quam publica, exſtare monumenta juſſit; quandoquidem Londini in templo, cui a Sabaudis nomen, verba facientem pro concione ſacra, nemo fuit, qui non audiret cum voluptate maxima, & cathedra diſcedentem plauſu multo exciperet. Anno exacto redux ab itinere, tam carus fuit patriæ, ut hiſtoriam docendi munus publicum, quo nuper admodum abierat *Adamus Rechenbergius*, benigniſſima Principis Martisburgenſis voluntate, A. 1699 in eum conferretur; quam provinciam eodem anno auſpicatus eſt Programmate *de viris toga & ſaga illuſtribus*, & Oratione *de cauſis bellorum inter*

*erudi-*

Digitized by Google

*eruditos*. Ab illo tempore ſuaſu amicorum & ſummorum virorum autoritate conſilium cepit, relictis ſtudiis Theologicis, ad caſtra Themidos transſcendendi, & Jurisprudentiæ, utpote qua carere vix poterat hiſtorias enarraturus, tempus aliquod ſtudiumque impendendi. Itaque, vix opinante tale quid aut ſuſpicante quoquam, in diſciplinam ſe dedit *Lüderi Menckenii*, Jurisconſulti excellentiſſimi, & *Jo. Chriſtophori Schreiteri*, Jurium doctoris celeberrimi, quorum inſtitutione tanto cum fructu ſuo uſus eſt, ut jam A. 1701, docta *de eo, quod juſtum eſt circa teſtimonia Hiſtoricorum*, cum viris eruditiſſimis concertatione inſtituta, præmium induſtriæ ab Ordine Jureconſultorum, Halæ congregato, præſentibus patre *Ottone* & *D. Lüdero Menckenio*, ritu admodum ſolenni, tulerit lauream Doctoralem. Lipſiam reverſus, nihil intermiſit, quod ad ornandam Hiſtorici provinciam videretur pertinere, & cujuscunque generis hiſtorias prælegit juventuti diligenter admodum, ſæpiusque, conſcenſa cathedra, adverſariorum ſe telis animoſus hoſtis expoſuit. Quibus ſtudiis & laboribus honeſtiſſimis cum prodeſſe juventuti in dies magis pergeret; factum hinc eſt, ut clementiam mereretur *Friderici Auguſti*, Regis noſtri potentiſſimi, ingeniorum æſtimatoris ſapientiſſimi, hujusque beneficio prorſus ſingulari A. 1708 *Hiſtoriographi Regii & Electoralis Saxonici* provinciam, deſtitutam a *Frid. Wilh. Tentzelio*, & anno ſubſequenti *Conſiliarii Regii*, nec non A. 1723 *Conſiliarii Aulici*, honores obtineret. Cujus liberalitatis & beneficentiæ plane Regiæ poſtea documenta longe plura, eademque inſigniora, expertus eſt; quandoquidem ſæpiſſime impetravit veniam, majeſtatem Regiam venerandi coram, & A. 1712 Reſcripto clementiſſimo, cui propria manu Rex ſubſcripſerat verbis benigniſſimis, munivit ſe contra tribus Saxonicæ, cui ſocium ſe commendaverat in negotiis Academicis, obtrectationes præpoſteras. Quæ ſine dubio cauſa fuit, cur inter ipſos cives & Collegas ſuos in magna viveret autoritate, &, ſi quid publico Academiæ nomine ſuſcipiendum eſſet negotii, id uni præ ceteris committeretur *Menckenio*. Anno 1709, cum ferias ſeculares celebraret Academia, in ſolenni Magiſtrorum Panegyri nominatus eſt *Procancellarius*, & coram univerſo Senatu Academico *de Viris eruditis, qui Lipſiam doctrina & ſcriptis illuſtrem reddiderunt*, Orationem ſecularem, prelo poſtea commiſſam, recitavit. Similiter, cum A. 1717 purioris doctrinæ cœleſtis, Lutheri ope-



Digitized by Google

opera nobis reſtitutæ, renovanda eſſet memoria, demandatæ ei ſunt in hac Academia *Rectoris* vices, & *de eo, quantum incrementi bonæ literæ ex reformatione Lutheri ceperint,* verba fecit inter publica Eccleſiæ & Academiæ gaudia. Nec minus prætereundum illud eſt, quod, volente ita Academia, Principi Regio, *Friderico Auguſto*, ſpei patriæ, felicem ex itinere glorioſiſſimo reditum A. 1719 gratulatus eſt eleganti carmine, idque præſens præſenti obtulit Torgaviæ, atque eodem anno, auſpicatas cum Sereniſſima Joſepha Auſtriaca nuptias celebrante Principe hoc auguſtiſſimo, oratione ſolenni & votivis acclamationibus proſecutus eſt tanti ſplendoris Auguſtalia. Adhæc binis vicibus Dresdæ comitia Saxoniæ frequentavit Legatus Academiæ, plusque ipſa inde commodi, quam detrimenti, ſenſit. Addimus his alia, quæ in eum collata ſunt Academiæ ſuffragio, honorum genera. Erepto rebus humanis *Jo. Oleario*, doctore hujus Academiæ celeberrimo, ſocium ſibi adjunxit *Menckenium* A. 1713 *majoris Principum domus*, quæ vocatur, *ſodalitas*. In *Decemvirorum* Collegio, ordine ita ferente, A. 1729 locum occupavit, relictum ab *Erneſto*, Profeſſore Poeſeos, haud ita multo ante defuncto, & *Seniorem* ſuum venerata eſt Academia inde ab A. 1731, quo ipſo ex hac vita emigraverat *Jo. Schmidius*, Theologus incomparabilis. Academicum imperium translatum eſt in eum ſexies, totiesque *Decanatum* geſſit in Renunciatione Magiſtrorum publica; & huic ſimilem *Procancellarii* dignitatem conceſſam ei vicibus quaternis recordamur. Tacemus reliqua minoris momenti munera, ita comparata, ut vix nomine cognita ſint exteris, & hic loci plus oneris habere, quam honoris, ſoleant. Fuit autem officii ſui, id quod nec malevoli diſſimulant, ubique obſervantiſſimus, &, in defendendis Academiæ juribus adjuvandisque ejus commodis, nemo eſt, qui poſitam ab eo curam neget operamque ſingularem. De iis, quæ ſplendoris externi ſunt, hic nihil commemoramus de induſtria. Legas, quisquis hæc noſtra legis, hinc atque illinc Lipſiæ in ædibus publicis inſcriptum memoriæ cauſa *Menckenianum* nomen, &, quantum nitoris Academiæ acceſſerit cura & opera *Menckenii*, ex certiſſimis his monumentis intelligas. Leviora hæc putavit Noſter, quam ut ſitam in his gloriæ ſuæ exiſtimaret partem aliquam. Illud nempe magni decoris rem putavit, doctrina ſcriptisque inclareſcere, &, quæ poſteritati innoteſcant,

Digitized by Google

ſcant, literarum monumentis commendare. Qualia cum ipſe diligenti labore permulta excuderit, non ei famæ & exiſtimationis ſummæ, quam dudum conſecutus eſt penes exteros, inſigne decus invidebimus. Nam, quod celebriorum doctrina virorum, eo vivente, nemo fuit, a quo non literas receperit *Menckenius*, easdemque amoris pleniſſimas, quodque per Italiam & Angliam peregrinator Germanus nullus tranſierit, ex quo non, quid ageret *Menckenius*, quæſitum ſit, id ſine dubio ſcriptis ſuis horumque dignitati ipſe retulit acceptum. In cathedra, ſive orator, ſtetit, ſive pugnator, ſæpiſſime. Anglorum Reginæ, Annæ, ipſo Annæ die, in templo D. Pauli, coram frequentisſima concione, & inter maximos audientium plauſus, præſentibus item Britanno, *Robinſono*, Londini Epiſcopo, Dano, Pruſſico, Hanoverano, & fœderati Belgii, Legatis, qui tum forte, Suecis apud nos hoſpitantibus, aderant, auſpicatam evenire A. 1707 Magnæ Britanniæ cum Scotia conjunctionem juſſit; quem diem Legatus Anglicus celebravit feſtivis epulis. Et jucundiſſimæ auditu, quotquot ab eo ſubinde recitatæ ſunt officii & dignitatis cauſa, Orationes prorſus omnes fuere. In his binæ, quibus vitia eruditorum, ineptos mores, &, quo ipſe uſus eſt vocabulo, *Charlataneriam* acriter perſtrinxit, poſtea A. 1715 rogatu multorum datæ foras, & in linguas, Belgicam, Anglicam, & Germanicam, translatæ, ſæpiusque novo prelo excuſæ, quin & Notis variorum locupletatæ, tantum attulere ad famam *Menckenii*, quantum vix optimi generis librorum plauſtra attuliſſent. Reliquas, ad numerum duodenum adſcendentes, & de argumentis exquiſitiſſimis oratione eleganti compoſitas, atque adeo ad palatum futuras multis, propediem publici juris faciet *Fridericus Otto*, filius. Idem in animo habet, Exercitationes ejus, notæ non ſane infimæ, Academicas, quas *de Auguſtorum Auguſtarumque conſecratione ex numis, de eo, quod decorum eſt, de eo, quod placet, de Monogrammate Chriſti*, (quam ipſam, Schediasmatis deinde habitu ornatam, Clariſſ. *Jo. Ciampino* inſcripſit,) *de Inſtauratoribus Græcarum & Latinarum literarum in Miſnia, de Nævis politicis Caroli V, de Feimeris, veteris Veſtphal. Judicii Scabinis, de Commentariis Hiſtoricis, quos Galli Memoires vocant, de Viris militia & ſcriptis illuſtribus, de eo, quod juſtum eſt circa teſtimonia Hiſtoricorum, & de Electoratu Saxonico in Fridericum Bellicoſum jure meritoque col-*



Digitized by Google

*lato*, ſigillatim in cathedra, ſive Juridica, ſive Philoſophica, defendit, Programmata item ſelectiſſima, *de Pſeudoprincipibus, de Dubia Guſtavi Adolphi, Suecorum Regis, morte, de Jurandi formulis ludicris, de πατριδομανίᾳ eruditorum, de Bernardi Montefalconii Palæographia Græca, de Vita & ſcriptis Gabrielis Symeonis, de Colore Cæruleo, de Iis, qui mercede conducti ad componendos Commentarios Hiſtoricos animum appulerunt, de Iis, qui raro quodam ac inſolito auditorum plauſu ſive in prælectionibus, ſive Declamationibus, gaviſi ſunt, de Satyræ in republica uſu*, & ſimilia complura, bonæ frugis pleniſſima, in faſciculos colligere, & conjunctim proferre in conſpectum eruditorum. Neque in his ſolis, quæ muneris ratio ab eo poſtulavit, ſubſtitit induſtria *Menckenii*. Plura longe, eademque graviora & majorum vigiliarum, ingenii *Menckeniani* publice monumenta exſtant. *Sigismundi Auguſti, Pol. Regis, Epiſtolæ, Legationes, & Reſponſa*, cum Præfatione *Menckenii* A. 17?3 prodiere. *Vitam Leopoldi Magni*, ſermone ſcriptam vernaculo, *Analecta* item *de Calamitate Literatorum*, & *Jo. Ant. Campani Epiſtolas & Poemata*, in quibus colligendis multum laboris conſumſit, edita ab eo ſunt A. 1707; quo ipſo parente *Ottone* orbatus, omnem *Actorum eruditorum* curam ſuſcepit. Huic ſe Operi ab illo tempore dicavit totum, idque, fatis ita annuentibus, ad eandem prorſus, ad quam parens olim, ætatem provexit. Et in felicitatis ſuæ, ejus nempe, quæ homini in orbe literario conſtituto expectari poteſt, parte haud poſtrema collocavit, quod in hunc usque annum protracta ipſi vita fuit, quo natalem ſuum egerunt hæc *Acta* quinquageſimum, &, primo velut abſoluto curriculo, periodum ingreſſa ſunt alteram. Apollinem novemque Muſas imploramus, nos, qui inter multas amicorum gratulationes manum jam admovemus operi, æque eſſe felices jubeant, ut eadem laborum noſtrorum recordatione jucundiſſima transactam olim ſeculi partem alteram lætemur. A. 1713 doctiſſimi Galli, *Langleti Ersnæi*, librum *de Ratione tractandi hiſtoriarum ſtudia (de la Methode pour etudier l'hiſtoire)* cum notulis edidit *Menckenius*, ejusdemque ſcriptoris *Catalogum Hiſtoricorum* multis locupletavit librorum & animadverſionum acceſſionibus. Cujus laboris quantam ab ipſo Autore Gallisque ceteris gratiam inierit, e *Diarii Trevoltienſis A. 1714*, & *Novorum Literar. (Nouvelles Litterarires)* A. 1715 ſatis per-

Digitized by Google

perſpicue cognoſcitur. Tantum quoque acceptus hic liber ipſis fuit Italis, ut translatum in linguam ſuam, binis vicibus, A.1716 & 1726, prelo ſubjecerint. Ejusdem libri poſtea, anno nempe 1718, patrio ſermone redditi, multumque aucti, Noſter editionem novam elegantioremque paravit, libris, qui tunc in ipſius exſtabant Bibliotheca, ſigno notatis. Illuſtriſſimum omnium Opus eſt, quod nuper demum, gaudentibus iis omnibus, quibus Hiſtoria Germanica in magno habetur pretio, exire in lucem juſſit. *Scriptores Rerum Germanicarum, ſpeciatim Saxonicarum*, intelligimus, tribus majoris formæ Tomis comprehenſos, ſummo olim ſtudio ſummisque ſumtibus ex omni terrarum parte conquiſitos, ad illuſtrandam hiſtoriam patriam accommodatiſſimos, & vel hoc nomine æſtimandos plurimi, quod cogniti antehac nemini, aut, ſi cui cogniti, certe veſtigati ei fruſtra fuerant. Hos qui manibus verſarunt diligentius, rerumque hic optimarum animadverterunt copiam, hi, de munere ſuo *Menckenium*, de patria, quin de Germania univerſa, præclare admodum promeritum, uno ore confitentur omnes. Scriptorum *Menckenii* ſatis ſit; nondum ſatis eſt in bonas artes meritorum. Etenim, quo fuit ipſe erga literas amore incredibili, non ſolum ſuis laboribus multum attulit ad illarum incrementum, ſed, ut æquali ſtudio in rem publicam incumberent, aliis etiam ſubinde autor ſuaſorque fuit; quin, ſi qua in re, ad ſplendorem Academiæ & commoda juventutis pertinente, ſumtibus vel graviſſimis opus eſſe intellexerat, illis, quantum recordamur, pepercit nunquam. Cujus rei in oculis omnium monumenta quamplura verſantur. Non enim niſi *Menckenio* noſtro acceptum refert Lipſia *Novorum Literariorum*, tam quæ ſermone patrio ab anno inde 1715 ad hunc usque diem lucem viderunt publicam, quam quæ ſcripta Latine ab A. 1718 ad 1723 prodiiſſe novimus, inſtitutum utiliſſimum. Similiter *Lexici Eruditorum Germanici*, anno item 1715 cum erudito orbe communicati, & in vulgus notiſſimi, primam, ut ex Præfatione ejus nemini obſcurum eſſe poteſt, formam ſcripſit viris nonnullis literatiſſimis, quibus ſcribendi materiam ipſosque, unde haurire optima quæque poſſent, ſcriptores ſuppeditavit liberaliter, &, quantum ad Italiæ & Angliæ eruditos præcipuos, ipſe laboris ſocium ſe diligentem præbuit. Neque ſilentio hic prætereundam arbitramur *Bibliothecam* ejus inſtructiſſimam, & per univerſam Germaniam nulli ſecundam, quin, ſi non copia librorum, certe horum delectu atque dignitate, omnibus anteponendam aliis. Nam, quo majoris eſſe pretii ſolent cujuscunque generis Hiſtorici, & ſcriptores, rem numismaticam

criticam, & antiquariam pertractantes, hoc magis mirandum eſt, nihil fere ex hoc genere diſciplinarum unquam prodiiſſe quantivis pretii, quod non fuerit in Bibliotheca *Menckenii*, rerumque ſelectiſſimarum apparatum longiſſimo annorum ſpatio ab eo congeſtum uno fuiſſe tantum, quantum vix hominis privati ferre ſumtus videantur. Quæ ſi quis dicta nobis criminetur nimis magnifice, eum inſpectare jubemus locupletiſſimum, qui anno primum 1723, & iterum A. 1727 multo auctior prodiit, *Bibliothecæ* hujus *Catalogum*, eleganti ordine digeſtum, tamque continentem egregia, ut exinde librorum hiſtoricorum & cujusque generis rariorum uberrimam poſſis acquirere notitiam. Ex his autem divitiis, rectiſſime exiſtimabat Noſter, gloriæ ſperari ſibi parum poſſe, niſi earum uſus pateret omnibus, & in hoc Muſarum ſacrario dies noctesque conſumere liceret cuilibet. Detur nobis hæc venia, ut, quæ vera ſunt, eloquamur. Eorum in urbe hac patria haud pauci ſunt, qui grato animo fateri obvio cuique ſolent, ad illam doctrinæ excellentioris amplitudinem adſpirare ſe nunquam auſos, niſi amicus ipſis obtigiſſet *Menckenius*, & ex *Bibliotheca* hac, vix parem ſui habente, ſtudiorum abundantiſſima ſponte ipſis veniſſent ſubſidia. Rari exempli rem narramus, ſed cujus laudem negare *Menckenio*, erga juvenes pariter ac adultos, magno interdum cum ſuo damno, officioſiſſimo, iniquum videbatur. Ferat is, invidorum pace, tam honeſte factorum fructum aliquem, gloriam. Miſſis jam, quæ publice ante oculos poſita ſunt omnium, & ſuo ſe ipſa pretio commendant, ea, quæ ſunt privata magis, nec commemoratione indigna prorſus, expediamus breviter. Ingenium *Menckenio* natura molle, in excogitando felix, & bonarum rerum admodum fœcundum fuit. Quo factum eſt, ut, quicquid ſcriberet, facile & nativum, compoſitumque ad delectandum eſſet, & aptiſſima verborum compoſitione inſinuaret ſe in animos legentium. Neque hinc mirandum adeo, in poeticis deliciis inde a puero fuiſſe eum totum, & ſingulari carminum venuſtate poetarum vel præſtantiſſimorum ceſſiſſe nemini. Jucundiſſimis his ſtudiis, recreandi animi cauſa, maximam olim juvenis otii ſui partem tribuit, tamque feliciter ſuus ei labor ceſſit, ut vix carmen effunderet, cui non applauderet Muſarum Charitumque chorus. Sunt hæc, quæcunque fervente adhuc æſtu juvenili ſcripſerat, deinde A. 1705, rogatu amicorum, congeſta in minoris formæ volumina quatuor, & inſcriptum illis legitur nomen Germanicum *Philander von der Linde*; cumque facile invenerint emtores ſuos, & excepta ſint avidiſſime, eorum editio-

Digitized by Google

editionem vario tempore iteratam a Typographo meminimus. Et, delatum ei ſuo tempore poetices velut principatum fuiſſe, ſatis conſtare vel ex eo poteſt, quod *Præſidem* ſibi cooptaturi, qui ante annos plus quam triginta Lipſiæ *Societatem* formaverant *poeticam*, poſtea commutatam in *Teutonicam*, juvenes quidam Gorlicenſes, unum hoc munere dignum putarunt *Menckenium*, multosque annos continuos ejus conſilio & autoritate non ſine magno ſuo uſi ſunt emolumento. Fuit præterea in *Menckenio* acris judicii vis & perſpicacia, ut, quæ cognita habebat ex multiplici ſcriptorum optimorum lectione, ea vel ſcriptis poſſet, vel in congreſſu hominum, perſpicue, diſtincte, atque accurate, reddere. Ab oſtentatione & ſuperbiloquentia, qua carere, judicio vulgi, vix homo eruditus poteſt, tam fuit alienus Noſter, ut nihil ægrius ferre potuerit ineptiorum hominum ſcurrili atque ſcenica dicacitate, & unice dicendis rebus metiri verba conſueverit. Homines, quibuscum verſandum ipſi erat, moroſum nunquam aut inurbanum, ſemper affabilem promtumque ad officia, experti ſunt, & inter medios laborum æſtus ſæpe jocantem feſtive, & ſermonibus graviſſimis immiſcentem facetias, audivimus. Atræ bilis in eo nihil fuit, nec cum quoquam, quod ſcimus, inimicitias exercuit, &, ſi quem animadverterat intra pectus alere irarum ſemina, obviam ei frontem tulit, atque, ad cedendum, quam digladiandum, paratior, forti ſtomacho aliorum odia invidiamque devoravit. Fidem in eo amici ſuſpexerunt; liberalitatem prædicarunt pauperes; honeſtatis ſtudium agnovit vir quisque bonus, laudavitque publice. Superſedemus virtutum, quæ in *Menckenio* fuere, commemoratione longiori; fuit enim, ut paucis complectamur omnia, talis re vera, quales eſſe eos omnes decet, qui rerum bene geſtarum laudem appetunt, & laborum ſuorum gratiam inire a communi ſocietate ſtudent. Jam, quod rem *Menckenii* domeſticam attinet, matrimonium ei per annos triginta cum uxore, e gente *Gleditſchia*, fuit jucundiſſimum; ex qua duos genuit filios, *Fridericum Ottonem*, & *Carolum Ottonem*, tresque filias, *Chriſtianam Sibyllam*, nuptam *Petro Hohmanno*, mercatori haud ignobili, cum duabus reliquis, *Charlotta Margaretha*, & *Chriſtiana Eliſabetha*, morte jam dudum parentem antegreſſis. De ſupremis vitæ moleſtiis & fatali *Menckenii* morbo ne nihil commemoremus, id ſcire ſatis ſit Lectoribus, ab aliquot inde annis viribus non tam animi, quam corporis, multum defeciſſe *Menckenium*, nec ad reſtituendum vigorem priſtinum quicquam valuiſſe Medicorum curam, & balneorum optimique generis medicamentorum uſum quantumvis frequentem. Multum inprimis iſta corporis debilitatio linguæ & ſermoni offecit, ut non niſi difficillime

cillime enarrare juventuti hiſtorias potuerit,& a munere hoc ceſſandum ipſi interdum fuerit perquam invito. Itaque eo in loco conſtitutum intelligens, quicquid ipſi vitæ ſupererat atque roboris, ut dubia admodum priſtinæ ſalutis ſpes eſſet, animo compoſito & cœleſtis felicitatis cupidiſſimo extremum vitæ ſuæ diem expectavit, quo inter pias preces & ſuſpiria excepto nuper, lætus in paternos avitosque complexus abiit, domumque ingreſſus eſt omnium ſupremam.

VEnetiis Bartholomæus Javarina typis iterum ſubjecit *Theſauros Antiquitatum Romanarum & Græcarum Joannis Georgii Grævii* & *Jacobi Gronovii*, in quorum editione tantum curæ ſtudiique ponet, ut omnium eorum, qui magni faciunt libros hos præſtantiſſimos,ſatisfactura ſit deſiderio. Paravit eum in finem typos ſelectiſſimos,&, quam vulgo uſurpari ſolent, grandiores, figuras affabre inciſas, chartamque multum nitoris habentem atque elegantiæ, qualem oſtentat ſpecimen laboris, duobus conſtans foliis,nuper exire in lucem juſſum,& communicatum paſſim tum exteris. Eodem plane ordine,(ſi quidem id per typos grandiores licebit) eademque Voluminum partitione, qua *Petrus van der Aa*, primus horum Operum editor, olim uſus eſt, animus eſt Javarino adornare editionem hanc novam,cumque in Lugduno-Batava *Theſaurorum* editione quinque & viginti Voluminibus comprehendatur,quicquid libellorum, ad antiquitates pertinentium, congeſſere *Grævius* & *Gronovius*; eundem numerum Voluminum venditoribus ſuis Javarinus ſpondet. Accedent tamen *Supplementi Salengriani* tria illa,utpote quæ bona multa continent,non obvia in *Græviano Gronovianove* Opere. Novum etiam Operi univerſo ornamentum dabunt nova quædam Opuſcula antiquaria,ſigillatim antehac edita, compingenda jam in unum aut plura Volumina, quorum moles pulchre conveniet cum reliquis. Eorum hic dabimus Lectori indicem. Sunt autem hæc: I *Sponii Miſcellanea erudita antiquitatis*; II *Chisbull Antiquitates Aſiaticæ & primaria Monumenta Græca, Notis & Commentariis illuſtrata*; III *Kirchmannus de Annulis*; IV *Idem de Funeribus*; V *Bartholinus de Armillis*; VI *Rykius de Capitolio*; VII *Lampe de Cymbalis*; VIII *Burmannus de Vectigalibus populi Romani*; IX *Monteſalconii Diarium Italicum*; X *Ficoroni Obſervationes ad Monteſalconii Diar. Ital.* XI *Hugo de Militia veterum*; XII *Patricii Romanorum & Græcorum militiæ veteris & novæ comparatio*; XIII *Agricola de Menſuris*; XIV *Budæus de Aſſe*; XV *Gronovius de Seſtertiis,ſeu pecunia veteri*; XVI *Albertinus de Mirabilibus urbis Romæ*; XVII *Schefferus de re vehiculari*; XVIII *Idem de Militia veterum navali*; XIX *Lomeierus de Luſtrationibus veterum*; XX *Perizonius de Prætorio*; XXI *Gutberlet de Saliis, Martis Sacerdotibus*; XXII *Idem de Myſteriis Deorum Cabirorum*; XXIII *Ejusd. Animadverſiones ad antiquam Inſcriptionem Græcam, Smyrnæ repertam*; XXIV *Ejusd. Conjectanea in Monumentum Horiæ Thisbes*; XXV *Sichterman de Pœnis militaribus*; XXVI *Merula de Romanorum Sacrificiis, Sacerdotibus, Legibus, Comitiis & præmiis*; XXVII *Meurſii Creta, Rhodus, & Cyprus*; XXVIII *Nicolai de Siglis veterum*; XXIX *Idem de Luctu Græcorum.* His forte plura addentur, ubi opus fuerit. Proximo ineunte Junio primum Operis Volumen dabitur foras,& ſingulis duobus menſibus novum ſequetur,initiumque faciet Javarinus ab editione *Græviani* Voluminis, cui ſubjiciet *Gronovianum*, conſtanter hoc ordine ad finem usque Operis uſurus. Qui ſubſcriptionis via parare ſibi Opus cupiunt, hi libellas Venetas ſtatim ſolvent quatuor & quadraginta, totidemque deinde in Volumina ſingula. Subſcribentium præcipua quædam erunt in emendo commoda. Nam, qui decem prioribus Voluminibus jam perfectis nomina ſua dabunt Typographo,hi libellas ei exſolvent quatuor & quinquaginta, non iniquum nimis pretium, ſi conſideres nitorem chartæ & typorum, figurasque fere innumeras,(trecentas enim ſupra mille numeramus in ſolo *Grævio* & *Gronovio*) easdemque elegantiſſimas. Opus abſolutum numis aureis vendetur decem & centum, & brevi recipiet raritatem priſtinam, propterea quod præter ea, quibus ſubſcriptum fuerit, conſtitutum eſt Javarino cum eruditis communicare exemplaria pauciſſima.

✶ ✶ ✶

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Junii Anno MDCCXXXII.*

---

## *JO. GEORGII AB ECKHART, REVERENdiſſ. & Celſiſſ. Principis & Epiſcopi Wirceb. Conſiliarii Intimi, Commentarii de rebus Franciæ Orientalis & Epiſcopatus Wirceburgenſis.*

## *Tomus II.*

Wirceburgi, ſumtibus Almæ Univerſitatis Juliæ, 1729, fol. Alph. 11 pl. 18 c. fig. æn. pluribus, textui inſertis, & Tab. æn. 2.

PRomiſſi noſtri memores, ne diutius illud differre videremur, momenta notatu digniora ex *Tomo II* nunc ſiſtimus, quem haud minori rerum ubertate, quam priorem, *Menſe Aprili* a nobis productum, cernimus adornatum. Exhibet *Liber XXVI* vitam Liutherici Epiſc. Wirceb. & geſta Caroli M. Imp. *Lib. XXVII* res Egilwardi Epiſc., *Lib. XXVIII* Wolfgarium Epiſc. & geſta Ludovici Pii, *Lib. XXIX* res Humberti Epiſc. & geſta filiorum Ludovici Pii, *Lib. XXX* res Gozbaldi Epiſc. ac geſta Lotharii I. Imp. fratrumque ejus, Ludovici Germ. & Caroli Calvi, Galliæ Regis, *Lib. XXXI* vitam Arnonis Epiſc. & geſta ſub eo in Francorum Regno, *Lib. XXXII* res Epiſc. Rudolfi, Imp. Arnulfi, & filii ejus, Ludovici, Regis, *Lib. XXXIII* geſta Diethonis Epiſc. & Regis Conradi I unde potiora ſeligemus, ita tamen, ut, rebus Wirceburgicis ſigillatim ſpectatis, poſtmodum reliqua ob oculos ponamus. Liuthericum Epiſc. Caroli M. Capellanum fuiſſe, ſola *Friſii* fide conſtat, de ejus ſane rebus parum innotuit. Archi-Epiſcopos, Epiſcopos & p. 1.



Digitized by Google

p. 11. Abbates Carolus M. conſtituit judices populi, unde & Liuthe-
ricus judiciariam poteſtatem nactus eſt; eidemque Eccleſiæ
18. Slavorum circa Mœnum ſunt commiſſæ. Obiit Liuthericus
A. 403. Annales Lambecianos conſcripſiſſe videtur Egilwardus,
19. quo ad Epiſcopatum Wirceburgi A. 403 evecto, in Annalibus
Moiſſiacenſibus, qui cum prioribus fere coincidunt, eos con-
tinuavit Hathumarus, Præſul poſtea Paderbornenſis, cætera
152. ignotus, res Aquitanicas inſerens, ſubjunxit. Finem vero ad-
jecit Eliſachar, Ludovici I Cancellarius, usque ad annum 819,
unde a Notariis vel Cancellariis Annales olim exaratos eſſe
concludas. Egilwardus iſte cum Audulfo, Comite Bajariæ,
51 59. quædam bona commutavit, vita functus A. 810. Succeſſit
114. Wolffgarius Epiſc. commendatione Caroli M. cui Slavicæ Ec-
cleſiæ a Ludovico Pio confirmatæ. Ceſſit iſte decimas quas-
122. dam Abbati Fuldenſi, ſacra tamen poteſtate ſibi retenta. Gibel-
ſtadium quoque & Esfelda, ut Eccleſiæ Wirceburgenſi reſtitue-
160. rentur ab Ermenfrido Comite, injuſto poſſeſſore, a Ludovico
Pio obtinuit. Deinde cum Wicbaldo Comite quædam bona
commutavit, & Herioldum Daniæ Regem ejusque conjugem
202. ſacris undis abluit, atque, uti videtur vero propius, in Baſilica
Wolffgarii ritus iſte eſt peractus. Rebus humanis exceſſit
259 ſq. Wolffgarius A. 832 die 4 Novembr. cui ſuffectus eſt Humber-
282.302. tus, ex clero Wirceb. deſumtus. Concilio Theodonisvillano
& Synodo Cariſiacenſi interfuit, & Ochſenfurtenſem Eccleſi-
am, ac Lauffenſem conſecravit, atque huic corpus S. Regin-
ſvindis intulit. Reliquiis S. Januarii & S. Magni Eccleſiam
305 ſq. Holzirchenſem, & Raſtorfenſem pluribus Sanctorum Reliquiis
ditavit. Huic Epiſcopo Rabanus, Abbas Fuldenſis, libros quos-
313. dam nuncupavit; Humbertus enim libros impenſe amabat, &
350. plures Codices ſuis ſumtibus curabat tranſcribi. Prælio Fon-
tanetenſi Humbertus quoque interfuit; poſtea Rabanum, Ful-
358. denſium quondam Abbatem, & Hattonem, ejus temporis Ab-
batem, conſuluit de nuptiis conſanguineorum, & Rabani ſen-
tentiam probavit, qui easdem permittendas cenſebat. Obiit
246.365 ſq. Humbertus VII Idus Martii A. 842, cui ſucceſſit Gozbaldus,
origine Franco, profeſſione Monachus, & Neuſtadienſis atque
Alta-

Digitized by Google

Altahenſis Abbas, Eccleſiæ Ochsfurtenſis conditor, Ludovici R.
Archi-Cancellarius, qui dignitates Archi-Capellani & Archi-
Cancellarii conjunctas primus habuit. Ludovicum R. in diffi-
cillimis negotiis conſilio juvit, unde ejusdem nominatione ad
hunc Epiſcopatum videtur evectus. Originem ejus ex Me-
gingaudi Epiſc. cognatis, aut ſtirpe Hennebergica, fruſtra qui-
dam quæſiverunt. Illo tempore Theodrada, Caroli M. filia,
Abbatiſſa Argentogilenſis & Schwarzacenſis, Normannorum
forte metu, ſe in Franconiam ad Monaſterium puellarum
Schwarzacenſe contulit, illudque Eccleſiæ Wirceburgicæ do-
navit. Gozbaldus poſtea Synodo Moguntinæ interfuit. Pro p. 350.
monaſterio Altahenſi Ingolſtadium, liberam Abbatis electio- 394.
nem, & facultatem a Rege impetravit, bona cum laicis com- 403.
mutandi, quod alias absque conſenſu Regio licitum non 413.
erat, ne liberalitate nimia & pietate privato-
rum opes exhaurirentur, iſtique ad præſtanda Regibus
ſervitia inepti fierent. Ob controverſiam cum Godeſchalco
quodam, hæretico, ſcripta nonnulla de gratia & libero arbitrio
manu exarari curavit, hodie adhuc reſidua. Vita functus eſt 398.
Gozbaldus A. 855, cum paulo ante Baſilica S. Chiliani cœleſti
igne fuiſſet combuſta: a cujus morte Neuſtadienſem Abbati- 442.
am Epiſcopi Wirceb. per aliquot tempus ſibi retinuiſſe viden-
tur. Succeſſorem Ludovicus Rex dedit Arnonem, ſub Goz- 443.
baldi diſciplina quondam Canonicum Wirceburgi; qui pri-
mam hanc ſibi curam exiſtimavit, ut Eccleſia S. Chiliani de no-
vo excitaretur, novem præterea Eccleſias alias conſtruens.
Poſtmodum conſenſit, ut Monaſterium Virginum Schwarza- 456.
cenſe Berta, filia Ludovici Germ. ad dies vitæ adhuc retineret,
ad ſedem Wirceburgicam poſtea devolvendum. Unde poſt 630.
mortem Berthæ A. 877 monaſterium Virginum eſſe deſiit, &
Arnonis autoritate Monachi Megingaudeshuſenſes eo trans-
lati. In Conciliis Moguntinis A. 860 & A. 888, ac in Comi- 473. 704.
tiis & Synodo Forcheimenſi A. 890. Arno quoque compa-
ruit. Tutor limitis Sorabici contra Bohemos & Moravos ſæ- 549. 575.
pius rebelles, bellicis expeditionibus, pluribus occiſis, iſtos vice
haud ſimplici, ſummo interdum cum periculo, ſevere caſtiga-

p. 572. vit, & opima ſpolia ab iis reportavit, unde proverbium videtur in uſum veniſſe: *Wer das Glück hat, führt die Braut davon*; quod de inſperata felicitate uſurpatur: licet haud demonſtrari poſſit, quod recentiores tradiderunt, Arnonem his in turbis Ducis Bohemiæ filiam, quæ Moravorum Principi de-
673. ſponſanda itineri ſe dederat, captivam adduxiſſe. A Carolo Craſſo Imp. bona quædam dono accepit, & ab Arnulfo Imp.
710. confirmationem impetravit tuitionis Regiæ & Capellarum, donationum, heribanni, Eccleſiarum Slavicarum, decimarumque, ſedi Wirceburgenſi quondam collatarum. Normannos prædabundos fortiſſime fugavit, & Duisburgo, ab ipſis munito, ex-
728. pulit. Tandem occiſus eſt Arno A. 892 inter miſſarum ſolennia a Slavis, haud procul Frankenberga, inter Sanctos ob
717.730. merita inſignia jure referendus. Suffectus eſt ipſi Rudolfus, ex Comitibus Franconiæ per Werinherum patrem ortum ducens, patruus Conradi I Regis, quem Rhegino propter odium in familiam Bambergenſem, ſedi Wirceburgenſi pene exitioſum,
761. ſtoliditatis arguit. Hic Concilio Triburienſi A. 895 interfuit,
14. ut & Comitiis Forcheimenſibus, A. 905 celebratis, ac Wezla-
774. rienſem Eccleſiam conſecravit, unde urbs originem ſumſiſſe videtur. A. 897 fatalis diſcordia prorupit inter Henrici Ducis Franciæ filios, Adalbertum, Adelardum, & Henricum, & Werinheri, Comitis Franciæ, ſeu Franconiæ, gnatos, Conradum, Eberhardum, Gebhardum & Rudolfum Epiſcopum Wirceburgi.
803. Adalbertus cum ſuis Babeberga progreſſus, a Rudolfo fratribusque in fugam conjectus eſt, Henrico in pugna occiſo, & Adalhardo capto, ac capite truncato; ex adverſa vero parte frater Rudolfi, Eberhardus, graviſſime ſauciatus, aliquot diebus poſt moritur. Ne tamen Adalberti gentem penitus extirparet Rudolfus cum fratribus, obſtitit metuenda ab Ottone, potentiſſimo Saxoniæ Duce, occiſi Henrici ſocero, vindicta.
804. Verum Adalbertus, viribus reſumtis, Rudolfum Wirceburgo pellit, res Eccleſiæ crudeliſſime vaſtat, & Rudolfi agnatos bonis omnibus ſpoliat. Rudolfus Ludovicum III Regem ultorem implorat, qui, ſuperatis pluribus periculis, Adalberti terras occupat, ipſumque ob pacem fractam læſæ Majeſtatis reum

ex

ex ſententia procerum pronunciat, bonis fiſco Regio addictis, ex quibus partem inſignem ſedi Wirceburgenſi conceſſit. A. 808 Rudolfus Præſul vitam finivit, cui ſucceſſorem vulgo tribuunt Draculfum, Abbatem Schwarzacenſem, qui tamen Friſingenſem ſedem tenuit; verum in Wirceburgenſi ſucceſſit Dietho, Abbas ſimul, non Monachus Neuſtadienſis, quem Conradus I Rex bonis privilegiisque ditavit. Nunc ad reliqua extantiora oculos vertemus. Carolum M. Imperatorem factum, chartis majoris momenti Bullam auream appendi curaſſe, furto poſt ſubtractam, memorat *Chronicon Farſenſe*; ſuſcepit præterea Conſulatum perpetuum more Imperatorum antecedentium, & Indictionem Diplomatibus adjecit, alias nota tacemus, ut adeo in jura Imperatorum ſucceſſerit. Ob terræ motum Leo III Pont. Litaniam minorem tribus ante Domini aſcenſionem diebus introduxit, ad diſtinctionem majoris, quæ VII Calend. Maji peragitur. Inſignis quondam Fuldæ fuit Bibliotheca, ſed, hac ab hoſtibus direpta, novam haud fuiſſe inſtructam, cum opes ſuppetant, miratur Autor. Caroli M. nomen, accepta Imperiali dignitate, litera K ſcribi cœpiſſe, idque a ſucceſſoribus ejusdem nominis ſervatum, notat *Mabillonius*, ſed, hanc animadverſionem vacillare, exemplis evincitur. Ab Amalungo Saxone, hujusque filio, Bennito, Caroli M. fidelibus, Billingi evidentiſſime deſcendunt. Num Michael Imp. Conſtantinopolitanus nomine *Baſilei* Carolum M. ſemper ſalutavert, Autor dubitat. Anni Imperii Ludovici Pii plerumque a morte patris, nonnunquam tamen ab A. 813 computantur, quo a Patre in conſortium Imperii fuerat admiſſus. Norvagia tunc dicebatur Weſterfelda. Neuſtadienſe Diploma apud *Leukfeldum*, & Murhartenſe apud *Cruſium*, falſitatis convincuntur. Bernhardi R. Italiæ filius fuit ſator Comitum Veromanduenſium, minime vero Ducum Bavariæ. Eginhardus, variorum Monaſteriorum Abbas, Immam conjugem ſemper ſecum habuit. Arno Archi-Epiſc. Salisb. ſæpius vocatur Aquila, quod *Ar* & *Arn* Germanis olim indigitaret aquilam. Unusquisque Epiſcopus tunc Synodi tempore ſibi ſuisque de victu providebat, niſi Archi-Epiſcopus eum liberaliter ſuppeditaret.

[Margin: p. 821. 821. 843. 7. 8. 17. 19. 68. 70. 84. 85. 137. 139. 149. 153. 162. 163.]

p. 168. Decreta Conciliorum a Rege & optimatibus approbanda erant,
173. antequam valerent. Cauſæ matrimoniorum Seculo IX adhuc
in foro ſeculari diſcuſſæ, pœnitentia ſolum ab Eccleſiaſtico
infligenda. *Schannatus* ab Autore ſæpius errorum ſolidis ar-
gumentis coarguitur p. 180, 193 ſq. 451 ſq. 582, 590. Corona-
181. tio Pontificis non dedit Lothario I Imperialem poteſtatem &
182. nomen, ſed ſanctificationem. Reſignatio poſſeſſionum in-
185. terdum fiebat per mappulam traditam. Pontifex Lotharii
Imp. judiciis aſſedit, ſaltem ut conſiliis ipſum juvaret; imo ju-
dicem ſuum in cauſis ſecularibus agnovit Imperatorem: &
Pontifex electus præſentibus Miſſis Imperatorum debuit con-
190. ſecrari, qui mos tamen ſæpius interruptus, & Seculo XI plane
eſt abolitus. Michael Imp. Ludovicum Pium ſaltem Franco-
rum & Longobardorum Imperatorem vocatum in literis no-
197. minat. Lites tunc extitere frequentes de cultu imaginum,
quam in rem, loco omnium, inſervit *Mabillonii Diſſertatio.*
202. Juditha Auguſta, antequam lateri Ludovici I adſideret, genu
ejus in ſolennibus oſculata eſt, quod illo tempore Proceres
Regni quoque Imperatorem adeuntes faciebant; qui mos, ex-
204. cepta Polonia, hodie in Europa obſolevit. Organum muſi-
cum primum tunc Aquisgrani confectum, licet jam Pippino
205 ſeq. A. 757 in Gallia tale fuiſſet allatum. *Ermoldus Nigellus*, qui
carmen de rebus Ludovici Pii conſcripſit, fuit patria Aquita-
210. nus, Abbas Anianenſis, & a Pipino R. dilectus. Annales Lau-
317. reshamenſes, quos *Eginhardo* vel Aſtronomo cuidam falſo
vindicant, hic autori ſuo *Durando Diacono* atque Hir-
minmari Notariis Imperialibus tribuuntur. Librum ſuum de
225. origine domus Brunſuicenſis ab Eſtenſibus adhuc Hanoveræ
ſupprimi, Autor conqueritur: libellum vero de miraculis S.
226. Genulfi multa falſa continere, oſtendit. Imma, *Eginhardi*
296. uxor, ex Alemanniæ Ducum gente prognata, conſobrina fuiſſe
311. videtur Ludovici Pii. Uti portio Lotharii Lotharingia, ita
316. Caroli Calvi pars Carlingia fuit vocata. *Rhos* ſive *Ruſſi* ho-
dierni nomen traxerunt a *Rha*, quæ vox decurtata *ab Araxe*,
325. fluvio, nobis nunc *Volga* vocato. Poeſis Germanorum quon-
dam dividebatur in rhytmicam, ad quantitatem & menſuram

ſyl-

Digitized by Google

ſyllabarum accommodatam, & pſeudo-rhytmicam, in qua ſyllabarum quantitas haud obſervabatur, ſed ſonis ſimiliter deſinentibus, quos rimas vocamus, ſupplebatur. Talia reliquerunt carmina *Otfridus* & ceteri usque ad ſeculum XVI, quo uniſona, una cum quantitate ſyllabarum & definito numero, cœperunt obſervari. Bego, Comes Pariſinus, Ludovici Pii gener, primus fuit, ad cujus heredes Comitatus volente Imperatore eſt delatus. p. 333.
De *Solitariis*, ſive *Recluſis*, plura notatu digna hic proferuntur. 343.
Ludi Equeſtres ſub Ludovico Germ. differunt a Torneamentis; in his ſolus cum ſolo decurrebat, lancea in adverſarium directa, in campo clauſo: in ludis vero certatum eſt in campo aperto, resque jaculis peracta, nec torneamenta ante bellum ſacrum, in Paleſtina geſtum, noſtris innotuerunt. Aſt in Oriente torneamenta fuerunt antiquiſſima, eaque a Saracenis didiciſſe noſtri videntur. 350.
Imperante Ludovico Pio, ejusque filiis, Epiſcopi & Abbates in turbis, in palatio & exercitu preſentes, bona Eccleſiarum vel Monaſteriorum conſumſerant, unde Epiſcopis & Abbatibus paſſim ſeparati reditus, & alii Canonicis & Monachis ſunt aſſignati. 366.
Teſtes hoc tempore per aures trahere moris erat. 367.
Rugiam inſulam non a Lothario I, ſed Ludovico Germ. Corbejenſibus donatam, recte aſſeritur. 377.
Wirceburgenſes Epiſcopi prima ſacrorum Chriſtianorum fundamenta apud Bohemos jecerunt. 383.
Annales Metenſes ex variis Annalibus ſunt compilati; quæ ab A. 830 usque ad annum 837 continentur, ex Annalibus Bertinianis ſunt deſumta; geſta ab A. 838 usque ad annum 852 congeſſiſſe videtur *Ratleicus*, Ludovici Germ. Archicancellarius; ſequentia usque ad A. 901 ex *Rheginonis* Chronico ſunt deprompta. 423.
Singularis favor fuit Orici II, Regis Daniæ, dum conſentiret, ut campana, quod nefandum paganis videbatur, in Eccleſia Chriſtiana ſuſpenderetur. 430.
Ill. *Leibnitii Flores in tumulum Papiſſæ ſparſos*, quibus Fabula de Johanna Papiſſa confutatur, Hanoveræ adhuc deliteſcere, dolendum: nugas iſtas Autor quoque ſolide diſcutit. 436 ſq.
Diplomata Ludovici Germ. Alſatica, a *Laguillio* producta, ab Autore ſumma cum ratione ſuſpecta redduntur. 449.
Imago Patroni Eccleſiæ tum in Epiſcoporum 480.

Digitized by Google

p. 487. porum ſigillis fuit uſitata. Hunni & Hungari ſummopere differunt: *Hunni*, quæ vox Slavonica lingua equites ſignificat, Slavos agnoſcunt ſatores: *Hungari* vero dialecto Finnica utentes, uti Autor demonſtrat, Siberiæ proximi circa mare Caſpium habitarunt, & a Pecinacis poſtmodum Tartariæ minori expulſi, ac Boryſthene & Danubio transmiſſis, Bulgaros vicinosque Slavos, Carantanos & Marahenſes ad Regnum Ludovi-
510 ſq. ci R. Germ. pertinentes infeſtarunt. Fabula Romantica de Erneſto Bavariæ Duce a vero plane eſt aliena: laudandum vero *Ottonis Poema heroicum* de Erneſto, a *Martene* vulgatum, quod circa annum 1209 compoſuit, licet ab omni errore haud
534. vacuum. Quamvis Ludovicus II eſſet Imperator, Ludovicus tamen Germ. Carolus Calvus, & Lotharius II, partes ſuas, utpote defenſores & patricii Rom. nati, in defenſione ſedis Apo-
573. ſtolicæ habebant. Ludovicus Germ. partem ſuam Regni Lotharingici Ludovico II Imp. reddidit, quam, mortuo Imperatore, & Carolo Calvo ad Andernacum victo, filii Ludovici
616. Germ. recuperarunt. Errat *Martenius*, Abbates quondam in
667. celebrioribus Monaſteriis Epiſcopos fuiſſe, cum interdum cœnobia ſaltem Epiſcopis committerentur, ut ipſi vices Abbatis in iis gubernandis gererent. Annales Fuldenſes *Waldo*, Cancellarius Caroli Craſſi, Epiſcopus poſtea Friſingenſis, usque ad annum 883 continuavit; ſequentium annorum ſtylus diverſum
722. Autorem prodit. Fuldenſes ulterius produxerunt Annales *Freheriani*, quorum Autor ab A. 888 usque ad A. 891 fuit *A-*
784. *ſpertus*, Arnulfi R. Archi-Cancellarius, porro ab A. 895 usque A. 899 continuavit *Wichingus*, Epiſc. Patavinus. Notari me-
734. retur ſub Diplomate Hervordienſi A. 892, Arnulfi, & filii Ludovici Infantis ſigilla cerni, unde conjicitur, Ludovicum de confirmatione rogatum, patris præcepto ſuum ſignum ſubnotaſſe, ut operæ novum Diploma conficiendi parceret. Reli-
739. quiæ genuinæ S. *Dionyſii Areopagitæ* pio furto ex Gallia ſurreptæ Ratisbonenſibus ſolide contra Galles vindicantur. Spo-
778. liatio Patriarchii mortuo Pontifice in Concilio Romano A. 998
780. graviſſime prohibita. Ab Eberhardo, Comite Alſatiæ, genus ducit Auguſtiſſima domus Auſtriaca, de qua pluribus Noſter in

*Origi-*

Digitized by Google

TAB. III. ad A. 1732 M. Jun. p. 271 et 273.

Fig. I.





Fig. II.





Fig. III.





Fig. IV.





Fig. V.






Fig. VI.




Digitized by Google

Digitized by Google

*Originibus Habſpurgicis*. Ob Comitis Iſangrini rapacitatem, p. 797.
lupus in fabulis Romanticis dici cœpit *Iſengrin*; & ob Regi- 798.
narii ſive Reinhardi aſtutiam vulpecula nomine *Renard* ſive
*Reinike*, unde Autor explicationem hujus fabulæ ex horum
geſtis erudite inſtituit. *Struvius Bleſiacum* fruſtra de Bleſenſi 810.
pago, *Blois*, intelligit, quippe quo Bleſiacum caſtrum, vulgo
*Blieſs Caſtel* in Lotharingia, indigitatur. Fabulam de Hattonis 812.
fraude contra Albertum Bambergenſem a Saxonibus confi-
ctam, ob lites Hattonis cum Henrico Aucupe, Noſter autumat.
*Reginonis* Chronicon A. 908 ad finem ab Autore eſt perdu- 820.
ctum, licet exemplaria edita deſinant A. 905; appendicem ab
A. 907 usque ad A. 977 proſecutus eſt *Romerius*, vix compen- 838.
dii compilator nominandus. Gronam, in qua Henricus Au-
ceps obſidione cingebatur a Conrado I, de urbe prope Gottin-
gam Noſter explicat, quam potius de Grona, Diskaviorum pa-
go prope Ilebergum, interpretamur. Henricus poſtea, Carolo 843.
R. Galliæ ſocio, bona Conradi R. in Saxonia occupavit. Con-
cilium Altheimenſe in vico Altheim, intra fines Ducatus Neo-
burgici habitum fuiſſe, contra ſecus ſentientes Autor aſſerit.
In Appendice, huic quoque Tomo ſubnexa, ſiſtuntur 1) *Diplo-* 863.870.
*mata Wirceburgenſia*, ubi *Schannati*, Fuldenſis Hiſtoriographi,
errores acri ſale perſtringuntur; 2) *Specimen Breviarii rerum* 902.
*Fiſcalium Caroli M.* una cum *Capitulari de villis* ex Codice
Helmſtadienſi; 3) *Annales breves Colonienſes*, ex MSto Biblio-
thecæ Metrop. Coloniæ; 4) *Catalogus Abbatum Werthinenſium* 917.918.
*& Epiſcoporum Colon.* ex Codice Seculi XI Werthinenſi; 5)
*Exorciſmi & Ceremoniæ in Judiciis Dei*, ex Codice Werthi- 919.923.
nenſi Sec. XI; 6) *Catecheſis Theotiſca*, ex Codice Bibliothecæ 930.
Cæſareæ. 7) *Confeſſio Theotiſca*, ex Codice Bibliothecæ Ca- 941.
thedr. Wirceb.; 8) *Homiliarum Theotiſcarum Fragmenta*, ex
Codice Cæſareo; 9) *Hymni Francici*, ex Codice Juniano Oxo-
nienſi; 10) *Rabani Mauri Gloſſarium in V. & N. Teſtamen-* 948.
*tum*, ex Codice Bibl. Cæſareæ; 11) *Gloſſæ Theotiſcæ*, ex Codici- 950.
bus Bibl. Cathed. Wirceb. 12) *Gloſſæ Florentinæ*, ex Biblioth. 977.
Magni Ducis; 13) *Gloſſarium Latino-Theotiſcum*, ex Cod. Bibl. 981.
Hamb. Sec. X; 14) *Gloſſæ Theotiſcæ*, in *Bedæ* artem metricam 1002.

p.1033. ex Cod. *Goldaſtino* Bibl. Bremenſis Sec. IX; 15) *Gloſſa Theotiſca*, ex Ebneriano Prudentii Codice Sec. XI. Opus claudit Index copioſiſſimus. Uberiores fuimus in percenſendo Opere inſigni pro meritis defuncti Autoris; nunc, ut exſurgat poſt fata ipſius condignus Hiſtoriæ Wirceb. continuator, toto animo vovemus.

## HISTOIRE DE LA GUERRE DES HUSSITES & du Concile de Basle.

hoc eſt,

## *HISTORIA BELLI HUSSITICI ET CONCILII Baſileenſis, Autore JACOBO INFANTIO.*

## *Tomi II.*

Amſtelodami, apud P. Humbertum, 1731, 4.

Alph. 4 pl. 8; cum multis Figuris.

ULtimum hoc Opus eſt Cl. Autoris, præclariſſime de hiſtoria Eccleſiæ meriti copioſis iiſdemque accuratis trium inſignium Conciliorum deſcriptionibus. Ac Hiſtorias ejus Conſtantienſis & Piſani jam recenſuimus A. 1714 p. 279 & A. 1725 p. 10. Hoc, quod in manibus habemus, Opere non ſolum Concilii Baſileenſis hiſtoriam perſequitur, verum etiam antegreſſi belli Huſſitici. Cum vero vir doctiſſimus vix abſoluto hoc Opere diem obierit ſupremum, amicus quidam ipſius Præfationem addidit, in qua monet, juſto durius cenſuiſſe *Infantium* de Huſſitis, non obſervantem, crudelitatem eorum provocatam fuiſſe factis hoſtium longe crudeliſſimis, adeoque eos tantum repreſſaliis, quas vocant, uſos eſſe. Exhibet idem Vitam *Infantii* noſtri, cujus hæc ſumma eſt. Natus erat in Gallia A. 1661 d. 13 Aprilis. Ex Gallia, in cujus Academia Salmurienſi ingenium excoluerat, egreſſus, aliquandiu hæſit Genevæ: hinc Heidelbergæ factus Concionator viduæ Electoris Palatini. A. 1689 Berolinum eum accepit doctorem Eccleſiæ publicum: ac ibi manſit per omnem vitam, nullis e conjuge ſuſce-

ſuſceptis liberis. Vita exceſſit d. 7 Aug. A. 1728. Non ſolum laude floruit egregii in cathedra ſacra oratoris, ſed etiam ſcriptoris eruditiſſimi politiſſimique. Siſtitur hic integer ſcriptorum ipſius Catalogus, in quibus præter Hiſtorias Conciliorum, modo memoratas, eminent *Nova Verſio N. T.* una cum ampliſſima Præfatione & Notis: cujus tamen laboris in ſocietatem venit Cl. *Beauſobrius*; & *Preſervatif contre la reunion avec la Siege de Rome.* Illud etiam, quod hic commemoretur, dignum eſt, quod paulo ante mortem ſomniavit, ſe juſſum eſſe pro concione ſacra illuſtrare illa verba *Ieſaiæ XXXVIII, 1: Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* Ex quo tempore operam dedit maxime ſtrenuam, ut finem ſuo huic Operi de Concilio Baſileenſi imponeret.

Erat quidem hoc Opus futurum minoris molis, ſi Autor ſoli bello Huſſitico ſolique Concilio Baſileæ habito deſcribendo incubuiſſet. Sed viſum eſt ipſi, ceteras quoque res in Eccleſia Europæa illo temporis tractu geſtas annectere. Nos quidem, his prætermiſſis, ea duntaxat, quæ titulus Operis indicat, paucis perſequemur. *Libro primo* oſtenditur, Bohemos ſeculo nono religionem Chriſtianam accepiſſe non a Latina Eccleſia, ſed a Græca, ſacraque ſua celebraſſe lingua patria, in eamque translatum habuiſſe ſacrum codicem, ritus quoque ac dogmata Græcæ Eccleſiæ feciſſe ſua; ſeculis decimo atque undecimo Romanos Pontifices invehere in Bohemiam ſtuduiſſe ritus Eccleſiæ Latinæ, ſed nequicquam; ſeculo XIII magnam multitudinem Waldenſium ſe contuliſſe in Bohemiam, ibique libenter eſſe receptos: unde Noſter apparere putat, minus addictos ſedi Romanæ fuiſſe Bohemos; ſeculo XIII toto S. Cœnam in Bohemia eſſe adminiſtratam ſub utraque ſpecie; &, cum ſeculi ſequentis medio Carolus IV Imp. introducere in Bohemiam conaretur communionem ſub una, fortiter reſtitiſſe Bohemos, & inprimis *Jo. Milicium* & *Matthiam Janovium*, Concionatores Pragenſes &, dum non ſolum in communionem ſub una, ſed & in flagitioſos ſacerdotum mores invehebantur, præcurſores *Joannis Huſſi*. *Libro ſecundo* Autor priora tempora vitæ *Huſſi* deſcribit, breviter ea occaſione diſ-

ſerens de ſectis Papæ adverſis hoc tempore exortis, Fratricellorum, Begardorum, Lolhardorum, de *Marſilio Patavino* & *Joanne Gandavenſi*, de Turlupinis, ac denique de Wicleſiſtis, certis quoque argumentis demonſtrans, *Wicleſi* ad *Huſſum* epiſtolam eſſe ſuppoſititiam. *Tertio* reliqua vitæ *Huſſi* usque ad ejus certamen Anti-Pontificium perſequitur, ſimul deſcribens Bohemiæ ſtatum illius ætatis, ac diligenter exponens hiſtoriam Wenceslai, Imperatoris, ejusdemque Bohemiæ Regis. *Quarto* narrat initium certaminis *Huſſi*, obſervans etiam, haud eum caruiſſe vitiis, ſed ſubinde injuſta ambitione incaluiſſe. *Quinto* non ſolum hiſtoriam *Petri Dresdenſis*, Pragæ una cum aliis contendentis, adminiſtrari S. Cœnam oportere ſub utraque ſpecie, exponit, ſed etiam docet, exſtincto *Huſſo* ipſam Academiam Pragenſem publice defendiſſe communionem ſub utraque. Errare vero eos addit, qui, *Huſſitas* laicos adminiſtraſſe S.Cœnam, tradunt. Hinc de *Picardis* agit, hoc tempore in Bohemia exortis, eosque ab *Huſſitis* diverſos eſſe, perſpicuum facit, ratus, enthuſiaſtas fuiſſe eos & fanaticos. Nunc demum *ſexto libro* deſcribendum ſuſcipit bellum *Huſſiticum*, cui initium dedit *Jo. Dominicus*, Cardinalis, e Concilio Conſtantienſi A. 1418 delatus in Bohemiam, & crudelitate ſua, qua utebatur in defenſores communionis ſub utraque, triſtiſſimum excitans tot annorum incendium. Ex eo enim tempore utraque pars in alteram ſæviendi nullum omiſit modum. Præcipuum vero *Huſſi* ultorem ſe præbuit *Joannes Ziska*, dux gregis *Huſſitici*, & conditor oppidi Taboris, ex quo *Huſſitæ* nominati ſunt *Taboritæ*. Hic *Ziska* A. 1419 cum ſuis copiis ingreſſus Pragam, caput Bohemiæ, ſummam expromſit crudelitatem in *Huſſi* adverſarios, maxime in magiſtratus & monachos. Huſſiticorum horum armorum felix progreſſus in *libro ſeptimo* exponitur, ſimulque quod Bohemi decreverint, non ſuſcipere Sigismundum, fratrem Regis nuper mortui, Wenceslai. *Libro* itaque *octavo* & *nono* narrat Autor obſidionem Pragæ a Sigismundo factam, ſed paulo poſt ſolutam, & ceteras, quas accepit a *Taboritis*, clades, coactus tandem excedere Bohemia. *Decimo* novum Sigismundi adventum deſcribit, novum item

ejus

Digitized by Google

ejus ob infelices rerum ſucceſſus reditum in Hungariam. *Undecimo* perſequitur res a *Ziska* proſpere geſtas in Bohemia & Moravia, ſimulque ejus mortem, quæ in annum 1424 incidit, & ſepulturam honorificentiſſimam: qua occaſione ingenium, religionem, virtutes & vitia ejus, deſcribit. *Duodecimo*, commemorato Concilio Senenſi, obituque *Petri de Luna*, Anti-Papæ, reverſus ad res *Huſſiticas*, enarrat prælium exercitus Imp. Sigismundi cum *Huſſitis*, iterum hic victoribus. *Tertio decimo* & duobus ſequentibus exhibet res a ſucceſſore *Ziskæ*, *Procopio Raſo*, cognomen *Magni* adepto, proſpere geſtas in Moravia & Sileſia. *Decimo ſexto* memorat initium Concilii Baſileenſis, eo fine inſtituti, ut pacaretur Bohemia. Prima ejus ſeſſio A. 1431 d. 14 Dec. habita eſt, ac A. 1433 d. 6 Januarii etiam invitati & fide publica muniti Baſileam venerunt principes quidam *Huſſitæ*, interque eos ipſe *Procopius*. Cumque Eugenius IV Papa huic Concilio ſe opponeret, factum eſt, ut Concilium hoc tum confirmaret decretum illud Concilii Conſtantienſis, quo Papa ſubeſſe Concilio, eique parere, jubetur, tum adverſantem ſibi Papam ſuo munere abdicare cogitaret. *Libro XVII* (qui Tomi ſecundi primus eſt,) narratur colloquium legatorum *Huſſitarum* cum Concilii Patribus, illorumque in patriam re infecta reditus: ſimulque docetur, A. 1434 Papam cum Concilio in gratiam rediiſſe. *Decimo octavo* deſcribitur pax inter Sigismundum Imp. & Bohemos A. 1436 facta, poſtquam is in horum quatuordecim conditiones conſenſerat: imo ipſæ *literæ Concordatorum* hic exhibentur. Sed pactum hoc, ab utraque parte ſancte religioſiſſimeque initum, a neutra ſancte ſervatum fuiſſe, noſter Hiſtoricus adjicit, Sigismundumque, cum Pragam veniret d. 23 Auguſti, & in fidem acciperet totam Bohemiam, ſtatim ibi violaſſe ſua promiſſa, nec fidem ſervaſſe iis, quos putabat eſſe hæreticos. Narrat quoque ſecutas Concilii ſeſſiones, earumque trigeſimam oſtendit eſſe contrariam definitioni Concilii Conſtantienſis. *Decimo nono* diſcordia Bohemorum a morte Sigismundi, A. 1437 d. 9 Dec. exſtincti, commemoratur, una eorum parte Regem ſuſcipiente generum Sigismundi, Albertum, eique Pragæ imponente coronam Re-

galem, altera ſibi Regem eligente Caſimirum, Poloniæ Regis fratrem, qui & cum exercitu intravit Bohemiam. Deinde ardor exhibetur Concilii in Papam Eugenium, A. 1439 in ſeſſione XXXIV exutum dignitate Papali, ſuffecto in ſeſſione XXXVIII Amadeo, Duce Sabaudiæ, qui & ſumſit nomen Felicis V, & e longiori, quam adhuc geſſerat, barba non parum ſibi demeti paſſus eſt. *Libro XX* deſcribitur regni Bohemiæ inſtabilis ſtatus a morte Alberti, filium ejus Ladislaum Bohemis tradere recuſante Imp. Friderico III, qui & perſuaſit Concilii Baſileenſis Patribus, ut conſentirent in novi convocationem Concilii. *Libro XXI* docet Autor, etſi A. 1443 d. 16 Maji ultima fuerit habita Baſileenſis Concilii ſeſſio, Patres tamen Baſileæ permanſiſſe usque ad annum 1449, quo Felix ſe abdicavit Pontificatu, & Nicolaum V paſſus eſt creari Pontificem. Hic etiam deſcriptum legimus *Rockiſani*, Archiepiſcopi Pragenſis, certamen religioſum cum Taboritis de transſubſtantiatione. *Libro XXII* primum Bohemos videmus arma ſua, & quidem mercede conductos, circumferentes per Germaniam & Hungariam; deinde legatum Papæ Nicolai V, reconciliaturum ipſi Bohemos ex toto. Sed non reſpondebat Papæ voto exitus, ipſius legato urgente unicum illud verbum *Crede*, Bohemis unicum illud *Proba*. Ubi obſervat Noſter, jamdiu priorem vocem fuiſſe *Eccleſiæ*, hoc eſt, eorum, qui ſe videri volunt eſſe Eccleſiam; poſteriorem vero fuiſſe eorum vocem, qui appellantur *hæretici*. Narrat hinc, quomodo *Georgius Podiebradius* occuparit Pragam, & ibi autoritatem ſuam ſtabiliverit, conſtitutus tandem ſummo cum imperio Rector regni Bohemiæ. *Libro XXIII* non ſolum deſcribitur colloquium lectu digniſſimum *Æneæ Sylvii*, legati Imperatorii, cum *Podiebradio*, itemque res a *Joanne Capiſtrano*, monacho Miſſionario, mirabili ſucceſſu geſtæ; ſed etiam commemoratur, Archiepiſcopum *Rockiſanum*, cum, Papam favere ſibi nolle, videret, miſiſſe legatos ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam, eique Bohemicam adjungere voluiſſe Eccleſiam. *Liber XXIV*, idemque ultimus, deſcribit copioſe Imp. Friderici III iter Romam ſuſceptum, & natas interea temporis turbas in Auſtria & Hungaria, ac deni-

que

Digitized by Google

que Ladiſlai adventum in urbem Pragam ad ſuſcipiendam coronam regiam. Hactenus Noſter *Infantius*. Cum vero is nullam fecerit mentionem *Adamitarum*, qui orti A. 1420 feruntur in Bohemia, Cl. *Beauſobrius* duas elegantiſſimas Diſſertationes ſubjecit: quarum in priore docet, narrationes de *Picardis* nulla veſte utentibus & ſimul venereæ voluptati deditiſſimis eſſe mendaciſſimas, veroſimillima ſimul ratione indicans horum mendaciorum origines; altera idem probat de *Adamitis* vetuſtiorum ætatum, ſimul notans *Balium*, qui in ſuo *Dictionario* delatus ad *Adamitarum* hiſtoriam, non Criticum ſe præbuit, ſed maxime credulum. Hic & docet, *Simonem Magum* diverſiſſimum eſſe a *Simone* hæreſiarcha; narrationes *Epiphanii de Adamitis* eſſe fide indigniſſimas; *Priſcillianum* & *Priſcillianiſtas* ſummorum & errorum & flagitiorum accuſari ſumma injuria; quæ denique de *Begardis* ac *Turlupinis* narrentur obſcenitates, eas eſſe fabuloſiſſimas. p. 304–406.

## *DE BONONIENSI SCIENTIARUM ET Artium Inſtituto atque Academia Commentarii.*

Bononiæ, ex Typographia Lælii a Vulpe, 1731. 4 maj. Alph. 3 pl 12, cum 9 Tabulis æneis.

De illuſtri Inſtituto ſcientiarum & artium Bononienſi jam bis in *Actis* noſtris facta eſt mentio: ſemel, ubi hiſtoriam hujus inſtituti, a doctiſſimo *Limerio* conſcriptam recenſuimus, (A. 1724 *M. Jan. p. 24*) iterum, cum Acta legalia & inſtrumenta ceſſionum donationumque, ab Excellentiſſ. Comite *Marſilio*, ſumma & nunquam ſatis prædicanda liberalitate factarum, exhibenda eſſent. (A. 1729 p. 215.) Nunc tandem, ipſius Academiæ autoritate, Commentariorum, jam diu deſideratorum, Volumen primum in lucem prodit, a *Franciſco Maria Zanotto*, Viro humaniſſimo atque eruditiſſimo, eodemque Academiæ a ſecretis, ſermone latino, proprio & perſpicuo, tam accurate conſcriptum, nemo ut præclarius defungi hoc officio potuiſſe videatur. Diſtributus eſt liber in Partes tres. Quarum una originem, progreſſum & formam Inſtituti adjunctæque

que ſcientiarum Academiæ exponit: altera ipſos complectitur Commentarios, de iis, quæ in Academia, ad diſciplinas varias illuſtrandas, tractata ſunt. In tertia denique Academicorum extant opuſcula: quæ numero longe plura eſſent, niſi pleraque ab autoribus ſuis fuiſſent jam alia occaſione edita. Inſtitutum Bononienſe, ſingulari ſtudio & munificentia Comitis *Marſilii*, anno hujus ſeculi duodecimo conditum, privilegiis Clementis XI, P. M. munitum, illuſtriſſimique Senatus Bononienſis cura atque autoritate perfectum, accedente etiam deinceps plurium, cum principum perſonarum, tum privatorum, liberalitate, brevi tempore mirifice crevit. De his rebus, atque adeo de ædibus, de egregia ſupellectili, Bibliotheca atque inſtrumentis, per plures cameras diſtributis, quæ incredibili ſolertia collegit *Marſilius*, de ſpecula aſtronomica, de legibus, de Profeſſoribus aliisque, quorum opera in Inſtituto adhibetur, item de Academia pictorum, ſculptorum & architectorum, ab eodem *Marſilio* A. 1710 conflata, & deinde cum inſtituto conjuncta, quinque Capitibus agit Cl. Autor. Academia ſcientiarum, olim privata & domeſtica, anno fere 1690 apud *Euſtachium Manfredium*, tum temporis admodum adoleſcentem, orta, vocabuloque *inquietorum* deſignata, deinde in ædes *Jacobi Sandri*, poſt, cum opera *Morgagni*, ad quem principatus pervenerat, junctisque ſtudiis *Manfredii* & *Stancarii*, reformata & novis legibus inſtructa, magis magisque floreſceret, in amplam *Marſilii* domum recepta, tandemque, hujus beneficio, poſt varias calamitates, certis legibus, Inſtituto eſt adjuncta. Hæc Academiæ fata, & quæ præterea eidem acciderunt, aliis quinque Capitibus *Zanottus* perſequitur: atque ita demum ad contexendos de actis nobiliſſimæ hujus ſocietatis Commentarios pergit. Ubi ſciendum, ea tantum in hoc Volumen fuiſſe congeſta, quæ inde ab Academia condita ad A. 1722, quo anno *Zanottus* factus eſt a ſecretis, ab Academicis partim de ſcripto recitata, partim memoriter dicta, vel etiam ex tempore diſputata, atque ad hoc tempus conſervata fuerunt: iis, quæ poſtea dicta aut lecta ſunt, in alium librum rejectis. Quanquam etiam ex his pauca doctiſſimus Autor adjecit, quæ veren-

rendum erat ne aliquid pretii cum novitate amitterent. De cetero, ut ſumma fide Academicorum placita propoſuit, ita ſuo potiſſimum arbitratu elegit, ſuoque modo cuncta explicuit atque ordinavit, nec propriam etiam interponere ſententiam in loco intermiſit. In iis, *quæ ad naturæ hiſtoriam ſpectant*, (ab his enim exorditur,) primo quidem de flava arena, in agro Bononienſi frequentiſſima, & paſſim in lapides ſatis duros concreta, tum de belemnitis ac de variis terrarum ſtratis, poſt de perlarum oculis ac de cicadis, de noſtalgia Helvetiorum, & de cryſtallo montana, diſſerit. Porro duo deſcribit itinera, alterum per montoſam Bononienſis agri partem, alterum ad Alpes S. Pellegrini: ac poſtremo etiam alia quædam breviter & ſine ordine adjungit, quæ in ſepara Capita non videbantur diſcernenda. In arena Bononienſi, quam ſolertiſſime ſcrutatus eſt *Jacobus Beccarius*, id inprimis obſervari meretur, intermixta eſſe paſſim corpuſcula teſtacea, marinis ac diluvianis non immerito annumeranda, ac pro cornibus Ammonis habenda; adeo minuta, ut pleraque dimidiam lineam vix æquent, multa, niſi adhibito microſcopio, ſub ſenſus non cadant; & quibusdam in locis ita frequentia, ut in arenæ unciis binis plus quam 1500 numerari potuerint. Cryſtallum montanam, ſi figuram particularum ſimplicem requiras, ſemper eſſe hexagonam, natura non alcalicam, quippe cum nullam acidis mutationem afferat, ac perperam pro medicamento uſurpari, diſſeruit *Montius*. In itinere ad Alpes S. Pellegrini multa notatu digna obſervavit *Galeatius*, quorum nonnulla exempli cauſa afferenda putamus. Huc pertinent, quæ de Saxoli ſalſa, de fontibus petrolei in monte Zibio, itemque de variis corporibus marinis, paſſim obviis, commemorantur. De cetero in altioribus montibus nullum apparuit hujusmodi corporum veſtigium. Quo non parum confirmatur obſervatio & ſententia *Marſilii*, qui marina corpora in montium quorumque altiſſimorum jugis nulla eſſe, nec reperiri niſi in mediocri atque haut ſcimus an poſt plures hujusmodi obſervationes ſatis accurate definienda altitudine, docuit. In Cimone monte, omnium, qui circa ſunt, celſiſſimo, non procul a vertice fons exſili-

re deprehenſus eſt, aquarum copia inſignis: itemque alius, in adverſa montis parte, etiam copioſior, altior, & majori impetu micans; atque id quidem tempeſtate calidiſſima & aridiſſima. Quod non ſatis commode cum illorum opinione convenire videtur, qui ingentia quædam receptacula ſub montibus imaginantur, quo pluviæ & liquatæ nives confluant, in fontes fluviosque poſtea exonerandæ. A Cimone ad Barigatiam, undecim paſſuum millia fere diſtantem, profectus eſt *Galeatius*, quem locum crebræ, nec hyeme minus, quam æſtate, improviſo e ſolo prodeuntes flammæ nobilem faciunt: qua de re obſervationes quædam proponuntur. Omittenda ſunt multa & præclara. Unum hoc loco addemus de lapide, a *Jo. Scheuchzero* deſcripto, quem in Auſtria, prope Viennam, magna copia effodiunt. Albus eſt & mediocriter durus, in quo, ſi accuratius examinatur, præter pauculum arenæ, nihil niſi marina corpora deprehenduntur, quæ contrita & invicem coagmentata in lapidis formam converſa ſunt. Hic alcyonia multorum generum, echini, pectines, manifeſte ſe produnt. Atque his lapidibus domus exædificari ſolent: neque ullum fere ædificium Viennæ eſt, inde non exſtructum. Quis crediſſet, urbem illam nobiliſſimam e marinorum corporum exuviis totam creviſſe? Sed ad alia transeundum eſt. In *Chymicis Marcus Antonius Laurentus* naturam aquarum Porectanarum (Porecta autem oppidum eſt in Bononienſi agro poſitum) ſingulari ſtudio inveſtigavit. In *Anatomicis Galeatius & Leprottus* de vaſis lacteis in homine inventis; idemque *Galeatius* de muliebrium ovariorum veſiculis; *Petrus Nannius* de glandularum ſtructura, diviſione atque uſu; *Antonius Pacchionus* de dura meninge, egerunt. Quibus variæ aliorum obſervationes anatomicæ accedunt. In *Medicis*, quid *Jo. Ant. Mundinus*, de quodam urinæ profluvio, *Cajetanus Tacconus* de arthritide, *Molinellus, Putius, Balbus, Morgagnus, Nannius, Albertinus*, de morbis variis & miris in humano corpore obſervatis, porro quid *Morgagnus* de aqua calcis vivæ, coagulationem lactis impediente potius, quam efficiente, *Stancarius* de fungo Melitenſi, tanquam tutiſſimo remedio adverſus profluvia ſangui-

gui-

Digitized by Google

guinis, itemque de opio, *Albertinus*, *Fantinus*, *Sandrius* & *Gornia*, de cortice Peruviano, herba acemella, & bezoario lapide, propoſuerint, commemoratur. Sequuntur *Phyſica.* Ubi primo loco de ſono agit *Zanottus*, oſtenditque, *Haucksbejano* potiſſimum experimento nixus, ſoni magnitudinem, ceteris paribus, ſequi proportionem compoſitam ex elaſticitate & denſitate aeris, in quo editur: calorem per ſe nihil mutare ſonos, niſi quatenus aerem vel rariorem facit, ſi liber ſit, vel magis elaſticum, ſi certo ſpatio concluſus: itaque in aperto aere calore ſonum minui, augeri in clauſo, itemque æſtate & interdiu ſonos fere minores eſſe, quam hyeme & nocte. De lapide Bononienſi poſtquam denuo varia experimenta una cum *Beccario, Laurento* & *Galeatio* feciſſet *Marſilius*, in nonnullis, quæ antea ſtatuerat, ſententiam mutavit, idque ut publice hoc loco ſignificaretur, præcepit. Talia hæc ſunt, lapidem in monte Paterno minime oriri, ut in Epiſtola, hic Lipſiæ edita, ſcriptum legitur, ſed externum eſſe & caſu quodam olim importatum: concretiunculas illas, paſſim obvias, quas antea pro lapidis primordiis habuerat, gypſi magis, quam lapidis, principia eſſe: lapidem a directo ſolis lumine magis accendi, quam a reflexo. Illud etiam obſervatum eſt, lunæ lucem lapidi nunquam inhærere, quantumvis collectum; cum ceteroquin ad accendendum hunc phosphorum ſatis mediocre lumen ſufficiat, tale, exempli cauſa, in quo paullo majores literæ oculis vix diſcerni queant. Porro notavit *Galeatius*, lapidem in vaſe vitreo, aere vacuo, luci expoſitum, nitorem omnino acquirere, ſed aliquanto minorem, quam in aere. Poſtremo *Zanottus* lapidem oſtendit non reddere lumen alienum, ſed ab alieno ſaltim] lumine accenſum ſua luce fulgere: quod partim ad *Carteſiana* de luce placita ſeſe accommodans demonſtrat, partim vero & inprimis ex hypotheſi *Newtoniana.* Namque duo lapides, in diverſo ſolis lumine, rubro & cæruleo, refractione ſeparato, per æquale tempus conſtituti, ac deinde in tenebras translati, minus quidem nitidi conſpecti ſunt, quam cum fuiſſent lumini pleno expoſiti, ceterum colore, qui fere albus erat, & lumine adeo pares fuerunt, ut nulla plane percipi differentia

 poſſet.

Digitized by Google

poſſet. Jam, quod ad reliquas obſervationes phyſicas attinet, *Codronchius* nonnulla propoſuit, quæ literis ex Hiſpania acceperat, de nova inſula, A. 1720, cum magno terræ motu, inter Azores orta, noctu flammas ejiciente, quæ mane tanquam fumus apparebant, neque ita multo poſt iterum depreſſa & ſub aquas recondita. *Stancarius*, de elaſticitate aeris, an denſitati proportione conſtanter reſpondeat, quæſivit. Idemque oſtendit, quo pacto conſtruenda ſint thermometra mercurialia perfecte occluſa, quæ varios caloris gradus, dilatatione vel conſtrictione aeris contenti, denotare poſſint. *Rondellus* de inſinuatione Mercurii in aurum hoc reperit, ſi fila auri tenuiſſima & ex parte tantum immerſa fuerint, progreſſiones Mercurii in iis nullas eſſe; in craſſiuſculis varias, pro vario poſitu; easque multum Mercurii pondere retardari. A phyſicis ad *Mechanica* pergit Cl. *Zanottus*. Hic motus leges, quæ in colliſione corporum obſervantur, ſermone populari, ſine formulis algebraicis, & ſine omni artificio mathematico, exponit ac demonſtrat, *Jo. Rizzettum* de cetero ſecutus, cujus hac de re Schediaſma, ſub finem, inter Academicorum opuſcula, extat: ubi id maxime agit, ut doceat, in colliſione corporum elaſticorum velocitatem relativam regreſſus non eſſe propterea plerumque minorem velocitate relativa congreſſus, quia corpora non ſint perfecta elaſtica, h. e. quia non perfecte ſeſe in priſtinam formam reſtituant, ſed quia id non faciant breviſſimo tempore, & quia pars elaſticæ virtutis in tremorem atque oſcillationem, teſte ſono, impendatur. Deinde controverſiam *Zanottus* recenſet, quam olim habuit *Gulielminus* cum *Papino*, de aquarum e tubis eruptione. Poſtremo de problemate agit, a *Manfredio* ſibi olim propoſito, cujus pleniorem, atque etiam ampliorem, quam poſtulatum erat, ſolutionem inter opuſcula exhibuit. Problema autem hoc eſt: conſtituto globo ſuper planum rectangulum, cujus latera hujusmodi ſint, ut venientem undecunque illum repellere poſſint, invenire directionem, quæ primum globo tribuenda eſt, ut is, ab rectanguli lateribus deinceps repulſus, poſt datum reflexionum numerum, ad datum tandem punctum perveniat. In *Analyticis* primum fun-

Digitized by Google

fundamenta atque originem totius Geometriæ & analyſeos ſuo modo explicat, illud potiſſimum oſtendens, jam ab antiquis Geometris principia recentiorum de infinite parvis, ſaltim tacite, poſita fuiſſe. Deinde commemorat, quid a *Gabriele Manfredio* præſtitum ſit in formulis quibusdam integrandis, & maxime in diſſolvendo binomio $x^n \pm a^n$ in quantitates eas, in quibus x nullum haberet exponentem alium niſi 1 vel 2. In *Geographicis & Aſtronomicis* locorum quorundam latitudines accuratius determinantur, ſimulque generatim oſtenditur, quo pacto *Manfredius*, *Caſſinianam* methodum longius extendens, non ſolum ex ſiderum quorumvis, ſed etiam ex punctorum cœli imaginariorum ſub luna occultationibus, ſive cum ea conjunctionibus, longitudines locorum inveſtigare docuerit. Porro de celeberrimæ illius lineæ meridianæ, quæ Bononiæ, in æde Divi Petronii a *Dominico Caſſino* olim conſtructa, ab eodemque poſt contractum aliquod ex diuturnitate temporis vitium correcta eſt, dimenſione & emendatione noviſſima *Manfrediana*; de obſervationibus nonnullis Aſtronomicis, inprimis de ecclipſi totali, quæ A. 1726 contingens, cum totalis eſſet, quippe luna prope perigeum & ſole in apogeo conſtitutis, tamen inſtar annularis apparuit, cum fulgore quodam, circumcirca lunam ambiente, & duodecimam circiter lunaris diametri partem æquante; de libratione lunæ, cujus cauſam, (cum quantitas ejus hypotheſi *Ricciolanæ* & *Newtonianæ* non ſatis reſpondere videretur,) partim quidem a vi, per quam luna eandem ſemper faciem ad alterum ellipſeos focum convertat, partim vero ab alia vi vorticis lunaris, deducere conatus eſt *Nadius*; & de Mercurio, A. 1723 in ſole a *Manfredio* obſervato; porro de eclipſibus, in Geographicis tabulis, *Casſiniana* & *Manfrediana* methodo, repræſentandis; itemque de annuis aberrationibus, in quibusdam ſtellis fixis, ex temporibus meridianis, a *Manfredio* vere quidem deprehenſis, & cum *Maraldi* obſervatis egregie conſentientibus, ad Copernicanorum vero hypotheſin de parallaxi annua parum accommodatis, exponitur. Reſtant *Meteorologica*. Quo loco *Zanottus* primum de globo igneo mentionem facit, quem *Paulus Baptiſta Bal-*



Digitized by Google

*bus* A.1719 deſcripſit; deinde de nocturna quadam luce, quam *Ant. Caſtelvetrius* noviſſima nocte A. 1722, aliisque ſequentibus, inſpexit, quæ, cum non immerito pro boreali aurora habenda videatur, prima omnium fuit ab Italis obſervata; poſtremo de duabus aliis certiſſimis illius generis auroris, quarum alteram, d. 14 Calend. Nov. A. 1726 toti pæne Europæ conſpectam, collectis variis ex omni Italia obſervationibus, *Beccarius* expoſuit, alteram *Euſt. Manfredius*, nocte ante Idus Mart. A. 1727 quam accuratiſſime & curioſiſſime a ſe obſervatam. Diximus de hiſtoria & Commentariis. Reliquum eſt, ut de Academicorum adjunctis opuſculis dicamus. Quorum tituli ſaltim, ne longi ſimus, indicandi erunt. Sunt autem ſequentia: *Victorii Franciſci Stancarii* de perlarum oculis; *Jo. Jac. Scheuchzeri* de Noſtalgia, hoc eſt, de triſtitia & tabe ex cupiditate redeundi in patriam, quem morbum Helvetis maxime familiarem primus ita nominavit & peculiari Diſſertatione Academica explicuit *Jo. Jac. Harderus* Baſileæ A. 1678; *Joſephi Montii* de cryſtallo montana; *Joannis Scheuchzeri* de lapide Viennenſi; *Petri Nannii* de glandulis; *Joannis Antonii Stancarii* de dura meninge; *Antonii Leprotti* de anevryſmate quodam arteriæ bronchialis, aliisque Anatomicis obſervationibus; *Dominici Gusmani Galeatii* de calculis in cyſti fellea & intra ejus tunicas repertis; ejusdem de cribriformi inteſtinorum tunica, quo pertinent Figuræ 3 Tab. III, infra explicandæ; *Jo. Bapt. Morgagni* de plerisque uvulæ & pharyngis muſculis; ejusdem de iis, quæ in Academia ab *Ant. Maria Valſalva* recitata ſunt; *Hippoliti Franciſci Albertini* de quibusdam difficilis reſpirationis vitiis, a læſa cordis & præcordiorum ſtructura pendentibus; ejusdem de cortice Peruviano; *Petri Ant. Michelotti* de ſanguinis ductuum morbis, ac de quodam ſanguinis vomitu potionibus gelidiſſimis curato; *Jac. Barthol. Beccarii* de motu inteſtino corporum fluidorum; *Jo. Rizzetti* de corporum colliſionibus & motuum communicatione; *Fr. Mariæ Zanotti* de motu compoſito; *Jac. Riccati* de virium elaſticarum legibus; *Dominici Gulielmini* epiſtola hydroſtatica, nondum edita; *Fr. Mar. Zanotti* de reflexionibus globi, qui in

plano

plano rectangulo pulſus, a prominentibus undique lateribus huc illuc repellitur; *Gabr. Manfredii* de formulis quibusdam integrandis; *Euſtachii Manfredii* de meridianæ lineæ, in æde Divi *Petronii*, dimenſione; ejusdem de noviſſimis circa fixorum ſiderum errores obſervationibus.

*Explicatio Figurarum.*

Fig. 1 exhibet portionem inteſtini jejuni humani, aperti & duabus exterioribus tunicis, membranacea ſc. & muſculari, exſpoliati, atque ſupra vitream laminam expanſi, ut ſtructura interioris cribriformis tunicæ, quemadmodum microſcopio obſervata fuit, oſtendi poſſit. TAB. III. Fig. 1.

AA. Portio ſuperior inteſtini, in qua villi & foraminula, atramenti beneficio conſpicua magis reddita, apparent. Foraminula tamen aliquanto majora villis, ſecus ac obſervantur, delineata ſunt, ut eorum figura melius conſpici poſſit.

BB. Portio inferior ejusdem inteſtini villis denudata, ut clarius foraminula manifeſtentur.

*a*. Plexus ſive racemus glandulæ Peyeranæ, gregariæ dictæ.

*bb*. Valvulæ conniventes, in quibus etiam foraminula ſubapparent.

*cc*. Glandulæ ſolitariæ, in denſiora & globoſa corpuſcula elevatæ.

Fig. 2 repræſentat portionem inteſtini ilei. Fig. 2.

CC. Pars ſuperior, villis exſpoliata.

DD. Pars inferior, villis & foraminulis ſparſa. Villi autem in hoc inteſtino rariores obſervantur, quam in jejuno, & omnes in capitula deſinentes.

*eee*. Tres glandulæ ſolitariæ, non diſſimiles illis, quæ in jejuno obſervantur.

*f*. Plexus major glandulæ gregariæ, ad quem duo inſigniores vaſorum ſanguiferorum ramuli *bb* diſtribuuntur.

*g*. Plexus minor ſimilis glandulæ, in qua tres tantum globuli minores apparebant.

Fig. 3 oſtendit portionem inteſtini coli. Fig. 3.

EE. Tota

Digitized by Google

EE. Tota facies interna cribriformis tunicæ, in qua foraminula ampliora & magis conſpicua, quam in tenuibus inteſtinis exiſtunt, ita, ut etiam ſine microſcopio ſubappareant.

*ii.* Glandulæ 5 ſolitariæ, quæ microſcopio nihil aliud apparuerunt, quam lacunæ ſeu foveolæ quædam, crebrioribus foraminulis & tubulis circumdatæ.

*ll.* Inciſura facta in cribriformi tunica, ex qua continuatio foraminulorum, cum ſubjectis tubulis, horumque tendentia ad nerveam tunicam, indicatur. Tubuli autem iſti in canibus & aliis animalibus magis, quam in homine, conſpicui ſunt, & non in craſſis tantum, ſed etiam in tenuibus inteſtinis obſervantur.

## *G. FRID. RICHTERI ADDITAMENTUM ad Schediaſma ſuum de motu compoſito; quod extat in Supplem. T. IX Sect. IX p. 345.*

CUm egregios Academiæ Bononienſis Commentarios, a Clariſſ. Autore ad nos miſſos, & paullo ante recenſitos, avide perlegerem, inter Academicorum opuſcula etiam ipſius doctiſſimi *Zanotti* Schediaſma de motu compoſito inveni, ubi meam de hoc argumento ſententiam, & quæ circa eam monenda videantur, quam humaniſſime proponit. Ac fateor profecto, virum perſpicaciſſimum rem ipſam penitus tenere. De modo ſaltim, quo eam explicat atque illuſtrat, perpauca, quæ mihi in mentem venerunt, bona cum ejus venia, hoc loco afferre fas ſit. Quod antequam facio, ut appareat, quid ego ipſe, poſt editum meum Schediaſma, ad limitandas quasdam propoſitiones, addendum cenſuerim, ea huc iiſdem verbis transſcribere non alienum arbitror, quæ ſuperiori anno, cum circa hunc locum verſaremur, calamo exceperunt auditores Prælectionum mearum Phyſicarum. Demonſtrato enim motu & directione corporis, duabus viribus nec contrariis nec conſpirantibus ſimul impulſi, eadem ratione, ut in Schediaſmate meo, Art. IV p. 347, hæc ſunt, quæ deinceps adjeci:

*Hinc*

*Hinc motus corporis cujusque, cujus directionem & celeritatem exponit recta CG, deſcripto circa eam, ut diagonalem, rectangulo quocunque CFGH, reſolvi in duos motus poteſt, a lateribus rectanguli, CF, CH, exponendos: hoc eſt, etiamſi corpus vi quadam ſimplici propellitur, ſecundum directionem CG, effectus tamen, in motu hujus ipſius corporis conſiſtens, non aliter ſe habet, quam ſi juxta directiones CF, CH, ſimul propelleretur, viribus compoſitis paullo ante definitis.* TAB. III Fig. 4.

*Quodſi motum corporis conſideramus, non ut effectum, ſed ut efficientem, non ut a viribus externis generatur, ſed ut jam exiſtit atque ad alios effectus producendos aptus eſt, tum commemorata motus reſolutio nihilo quidem minus locum habet, ſed ad hunc modum explicanda, ut, licet corpus motu quodam ſimplici feratur, directione & celeritate CG, effectus tamen, data occaſione producendus, non alius eſſe poſſit, quam ſi duos re vera motus corpus ſimul impreſſos haberet, quorum proportionem exponant rectæ CF, CH, & quorum altero deleto, alter ſupereſſe integer queat. Atque hoc pacto, non ſolum deſcripto circa CG rectangulo, ſed & alio parallelogrammo quocunque FCHG, motus CG in duos alios, CF & CH, ex parte vel conſpirantes vel contrarios, reſolvi cogitatione poteſt. Quoniam enim obſervatori, celeritate & directione CF vel CH promoto, celeritas & directio corporis videtur eſſe FG = CH, vel HG = CF, hinc, deleto omni motu, hoc eſt, ad quietem redacto corpore, reſpectu illius obſervatoris, eundem revera motum retinere corpus debet, quem ipſe habet obſervator,* &c. Fig. 5 & 6.

*Nunc ſi rurſus ad motum, ut a viribus externis generatur, reſpicientes, corpus aliquod in C collocatum viribus duabus ſimul impelli concipimus, hoc pacto, ut vires illæ ex parte vel conſpirent vel contrariæ ſint, id eſt, ut lineæ directionum, AC, BC, angulum quemcunque acutum vel obtuſum comprehendant, atque ut eam vires quantitatem habeant, ut altera, ſi ſola eſſet, motum ac celeritatem CF, altera vero, ſi pariter ſola eſſet, motum ac celeritatem CH, corpori communicaret, dico, motum corporis majorem quidem vel minorem fore, quam ſi vires iſtæ nec conſpirarent nec contrariæ eſſent, nequaquam ta-*

*men per diagonalem CG parallelogrammi FCHG recte exponi poſſe*, &c.

Hactenus verba Prælectionum mearum. Redeo ad Cl. *Zanottum*: cujus ſententia tametſi nihil a mea differt, nonnulla tamen indicabo, quæ, haud ſcio, an paullo minus commode ab eo ſcripta videri poſſint. Cum nego, motum corporis per diagonalem rhombi vel rhomboidis generari a duabus viribus, quarum proportionem & directionem latera illius parallelogrammi exponant, ita ut paullo ante declaratum fuit, putat Vir laudatus, me corpus motum conſiderare non in ſtatu, in quo eſt, ſed in ſtatu, *in quo non eſt*, nec pro viribus componentibus eas ſumere, quas corpus vere acceptas in ſe habet, ſed alias. Hæc ex parte quidem largiri haud difficulter poſſum: penitus non poſſum. Conſidero enim ſtatum, in quem corpus pervenit: ergo neque eum, in quo eſt, neque eum generatim, in quo non eſt. Conſidero motum corporis, non ut jam exiſtit, a cauſis quibuscunque productus, ſed ut a certo incurſu corporum externorum generatur. Denique eas intelligo determinatas vires, quæ corpori vim & motum communicant, non quas jam acceptas ipſum corpus in ſe habet. Porro neque illud concedere poſſum, quod Viro egregio videtur, Phyſicos pleroſque omnes, de motu compoſito diſſerentes, pro viribus componentibus non alias ſumere, quam eas, quas corpus vere in ſe translatas poſſidet, atque hoc pacto errore omni vacare. Ecquis enim eorum unquam in ejusmodi quæſtionibus expediendis, qua via & celeritate progredi debeat globus C, duabus viribus quibuscunque externis, A & B, ita ſimul impulſus, ut quo tempore illum ad F ſola vis A, eodem etiam ad H ſola vis B, motu æquabili propellere valeret, quis unquam dubitavit diagonalem parallelogrammi CG aſſignare, ad exponendam directionem & celeritatem quæſitam? Aut quis unquam docuit, hanc quæſtionem differre ab illa altera, qua via & celeritate progredi globus commemoratus debeat, ſi vires, poſt incurſum corporum A & B, vere in eum translatæ ſe habeant ut CF, CH? Quodſi hæ quæſtiones inter ſe differunt, ut reapſe differunt, utramque certe ſeparatim, &

& illam quidem ante hanc ſolvi debere, manifeſtum eſt. Nam prius & facilius intelligere licet, quo motu ferendum eſſet corpus, ſi a viribus ſingulis externis ſeorſim impelleretur, quam quæ vires, poſt actionem diverſarum virium externarum, ex parte vel conſpirantium, vel contrariarum, vere in corpus illud ſint translatæ? Atque ex his videbit, ut opinor, Cl *Zanottus*, argumentum, quod pertractandum ſumſi, phyſicum omnino eſſe, non hiſtoricum; neque hoc loco, ad defendendam vulgarem doctrinam, commode applicari illam legem poſſe, quam ceteroquin in autoribus quibusque interpretandis jure ſequendam arbitramur, ut, ſi quod dictum in utramque trahi partem queat, in eam ſemper trahatur, quæ ſit probabilior atque ad veritatem magis accommodata. Aut enim priorem eamque ſimpliciorem ex quæſtionibus illis duabus, paullo ante propoſitis, nunquam attigiſſe Phyſicos, aut eam cum altera confudiſſe & minus recte explicaſſe, ſine tergiverſatione fatendum eſt.

## Hiſtoriſche Nachricht von des Churfürſtenthum Sachſens Verfaſſung der hohen und niedern Juſtitz ꝛc.

ſive

## *HISTORICA DESCRIPTIO LEGUM, JUdiciorumque Saxoniæ; Autore CHRISTIANO GOTTLOB WABSTIO, J. U. D.*

Lipſiæ, apud Caſp. Fritzſch, 1732, fol. Alph. 5 pl. 16.

Quod omnino turpe & indecorum juris ſtudioſo habetur, domeſticas leges & jus, quo patria utitur, ignorare, id ipſum tam ſolenni conſtantique uſu apud noſtros ſervatur, ut pauciſſimi norint, quid ædibus in propriis pravi rectique geratur. Cujus nos rei cauſam non tam in communi quodam ſuarum & domeſticarum rerum omnium faſtidio & contemtu, quam in librorum, doctorum, loci, ſubſidiorum, omnium denique, quæ ad hanc viam ingrediendam animum facere, aut



Digitized by Google

ingreſſo adminiculari poſſe videntur, inſigni defectu jure meritoque ponimus. Si quid ergo aliud, id certe in JCtorum cordatiorum optatis eſt antiquiſſimum, ut non tantum leges patriæ colligantur, & publicæ luci exponantur, ſed etiam ut eorum, quæ ad judiciorum formam, legiſlationis modum, juris dicundi, judicandique rationem, pertinent, nihil inexplicatum relinquatur. Cepit eo nomine de Saxoniæ terris bene merendi conſilium, utroque pollice laudandum, Cl. *Wabſtius*, cauſſarum apud Dresdenſes patronus, illudque nec Minerva, nec Themide, invitis, executus eſt. Cujus Operis titulus, quem adſcripſimus, quamvis nihil niſi legum & judiciorum noſtratium aliquam deſcriptionem primo intuitu præ ſe ferre videatur, ipſum tamen, quod vocare ſolent, nigrum plura longe exhibet, & verius juris publici Saxonum principia, hiſtoriæ eorundem & privati juris potiora capita, tum & alia ejus argumenti non proletaria aut in triviis obvia continet. Abſolvitur elegans liber duabus Partibus, quarum altera de *legum* Saxonicarum, altera de *judiciorum* hiſtoria & facie exponit. *Primi* ergo *libri Capite I*, dum de auguſtiſſimo *Legiſlatore* agit, ſtatim ab initio multus eſt in eo, ut doceat, ad ordinum S. R. J. libertatem & jura pertinere, & quaslibet leges ferendi, & per has etiam communi juri ipſisque Receſſibus derogandi, poteſta-
p. 3. tem. Inde Saxonum αὐτονομίαν ab ultima origine arceſſit; & præterea, tum quæ ſint proſapiæ Albertinæ Ducum in legiſlatione partes, tum quæ ſuffragii, quo Status Saxoniæ pollere dicuntur, conſultatorii ratio, disquirit. Ad regiones deinde, earumque incolas, qui hoc jure teneantur, delatus *Cap. II*, Saxoniam ampliſſimo ſignificatu acceptam continere tradit *pri-*
7 ſeq. *mo* quidem veterem Electorum & Ducum ditionem, *die alten Erblande*, quo nomine Electoralem, Ducalemque Saxoniam, Misniam, Variſciam, & non contemnendam Thuringiæ partem, comprehendit. Quarum ſingulæ quo jure ad Saxonem venerint, quibus finibus contineantur, aut quos in circulos deſcriptæ, qua ratione reliquæ ditioni junctæ unitæque ſint, quæ earum ad Leucopetrenſem, Martisburgenſem, Cizenſem por-
18. tionem referantur, edocet. *Dein* quincuncem Hennebergiæ

Comi-

Comitatus,cujus hiſtoriam & fata exponit. *Tertio* Epiſcopatus tres, Miſenenſem, Numburgenſem & Martisburgenſem, in quorum terris jus territorii ſupremum Electori Duci data opera p. 20.
allatisque pluſculis in eam rem argumentis plene vindicat. Luſatiam *denique* utramque, quam Jo. Georgio I Electori 43.
primum pignori obligatam, mox plene ceſſam, traditamque A. 1623, conſtat. Singularum ergo regionum incolas alio jure regi & gubernari, facile credibile, ſed præterea notandum eſt, in Saxonia Vaſallos ad unum omnes, ſimultanee inveſtitos 22.
etiam, imo, quæ eſt peculiaris Autori noſtro ſententia, & horum liberos, vinculo ſubjectionis teneri, & cum Vaſallagii religione ſubjectionis etiam ſacramento obſtringi. Cum vero plerique Vaſallorum perantiquo & ultra tritavos longe nobili ſtemmate oriundi, imo & majori dignitate illuſtres ſint, ex his eos, qui Principis imperii aut Comitis axiomate fulgent, potioresque & ditiores nobilium, fuſe recenſet, atque, cum hic locus 34.
commode tulerit, de iis, quæ cum domo Schwarzburgica Saxonibus interceſſerunt, litibus easdemque componendi ratione, de Mansfeldico ſequeſtro, ortisque inde litigiis, de Solmenſibus, Stolbergicis, Barbyenſibus, Walterneuburgicis, breviter 35 ſeq.
quidem & ſtrictim, ſed non ſine doctrina judiciique ἀκριβείᾳ exponit. *Cap. III* argumentum & hiſtoriam ipſarum *legum* 47.
proponit. Sigillatim Eccleſiaſticarum, politicarum, feudalium, militarium, cameralium, &, quæ huc fere pertinent, plurium origines, immutationes, abrogationes, inſtaurationes, &, quæ hiſtoriæ juris comprehendimus nomine, fata proponit; denique cum aliis fere legibus Luſatia utraque vivat, etiam iſtarum hiſtoriam pertexit.

*Libri ſecundi Cap. I* Tribunalis ſupremi, Cancellariæ, ſeu, 54.
quod pragmatici noſtri non ſatis belle vocant, *Regiminis*, originem, incrementa, Præſides, Aſſeſſores, ſcribas, quos a ſecretis dicimus, eorumque ſingulorum munia, deſcribit. Antiquiſſimis temporibus Cancellarium, & quos a conſiliis habuere, ſe- 60.
cum nunc huc, nunc illuc, duxiſſe Principes, ſed ab A. 1486 inde Dresdæ ſemper conveniſſe ejusmodi Collegium ſupremum, animadvertit. Hoc judicium Vaſallorum immediatorum eo-



Digitized by Google

rumque filiorum, etiam literarum cauſa in Academiis degentium, competens eſt,& quædam ſibi ſoli retinuit Cancellariæ, 
p. 68. ut dicunt, reſervata, quæ Noſter late perſequitur. Agit etiam 
82. fuſe de modo cauſas nonnullas coram hoc judicio amice com- 
85. ponendi, (*von Vorbeſchieds-Verfahren*,) &,qui huic junctus eſt, Senatum Provocationum, ejusque hiſtoriam, hodiernam faciem & procedendi morem, Præſides etiam ab integro ſeculo ad *Bünavium* usque, qui hodie præeſt, omnes enarrat. Ve- 
99. nit inde *Capite II* ad *Curias Provinciales*, quarum ea eſſe origo videtur, ut in locum curiarum, ſive conventuum, ſingulis in provinciis inſtitutorum, ſurrogatæ videantur, certe curiarum ſuprema, quæ Lipſiæ eſt, ex provincialibus, qui Dresdæ, Eckardsbergæ & Lipſiæ coire ſolebant, conventibus A. 1488 conflata eſt, ſi plerisque, qui Saxonicas aut Lipſienſes 
108. res tractarunt, fides non denegari debet. Singularis eſt in his curiis proceſſus ratio, potiſſimum inhibitorii, quem cum pauci 
118. accurate deſcripſerint, Cl. *Wabſtius* ex inſtituto tradit. *Cap. III* de judiciis ſupremis Provincialibus hæreditariis, (*von den Erb-Landes-Regierungen*) Leucopetrenſi & Martisburgenſi, 
134. agit. *Cap. IV* de *Epiſcopatibus*, Miſenenſi, Martisburgenſi, Numburgenſi, quorum Præſides & Canonicos enumerat, juris dicundi morem atque *dicaſteria Epiſcopalia*, (*Stiffts-Regierungen*) quæ Wurzenæ, Martisburgi & Cizæ florent, de- 
150. ſcribit. Inde locus datur *Capite V Conſiſtoriis ſacris*. Ubi, quæ ſint cauſæ fori Eccleſiaſtici,& ſigillatim, quæ ſoli Senatui Eccleſiaſtico ſervatæ, Noſter refert. Conſiſtorium ſupremum Dresdenſe, cui Senatus Eccleſiaſticus ineſt, æque ac duo reli- 
185. qua Conſiſtoria commemorat. Inprimis etiam operæ pretium fecit, quod *militaria judicia* & eorum ſubordinationem ac ſingularia excuſſerit *Cap. VI.* In *Cap. VII* habes plura & ea quidem judicia, quæ vel ad regalium redituumque publicorum vindicationem, vel ad publicum ſplendorem conſervandum, vel in commerciorum utilitatem, comparata ſunt. Quæ cum omnia ad *Collegium Cameræ* pertineant, de eodem generatim, poſtea & ſigillatim de foreſtorum, vectigalium tributorum, ſcripturarum, portoriorum, ſalinarum, & quocunque alio

nomi-

Digitized by Google

nomine dicantur, redituum publicorum cauſis, tum de publicis vectoribus & jurisdictione Poſtarum, de Magiſterio officiorum, (*dem Hof-Marſchall-Amte*) de Buccinatorum foro, de judicio Mercatorio Lipſienſi, agit. *Cap. VIII* Judiciorum, quibus cauſæ *metallifodinarum* ſubſunt, recenſum agit, eorumque tria commemorat invicem ſibi ſubordinata. Primum eſt cujusque loci, quæ ſigillatim enarrantur, præfectura, (*Berg-Aemter*) ſed quæ univerſæ ſubſunt Præfecturæ rerum metallicarum ſuperiori, (*Ober-Berg-Amt*) quæ Friberga eſt, junctumque ſibi habet Scabinatum metallicum, ſed qui non niſi in iis, quæ ad metallorum jura pertinent, aliusque juris nil admixtum habent, cauſis jus dicit. Supremum omnium eſt Cancellaria metallaria, (*die Berg-Canzeley, das Berg-Gemach*) quæ ope præfecturæ ſuperioris Fribergenſis inferioribus præfecturis reſcribit. Delatus inde Noſter ad jurisdictionem quaſi patrimonialem, quam vocat, & *Cap. IX Cancellarias, Judicia Vaſallorum illuſtrium*, quos inter reliquos eminere ſupra annotavimus, proponit, ac de Schwarzburgicorum & Mansfeldicorum potiſſimum, tum & de aliorum Comitum jurisdictione, Cancellariis & judiciis, quædam monet. *Academiarum jura Cap. X* traduntur. Prærogativa ſingularis eſt ab Academiis ad comitia Dresdenſia legatorum, qua illis ut Prælatis, quos vocant, competit jus προεδρίας præ omnibus & oppidorum & nobilium deputatis, quid quod & ipſis Comitibus ac Dominis aliquando controverſiam moverunt. Quod vero ad Eccleſiaſticos Præſules referantur, inde ortum eſſe credibile eſt, quia olim Academiæ Pontificibus tantum non magis, quam Principi territorii, ſubfuiſſe videntur. Lipſienſi jurisdictionem omnem &, ſi placent nomina, merum mixtumque imperium recte tribui, Vitebergenſi criminalem negatam eſſe, conſtat. Lipſienſis jurisdictioni legem dant & fines certos pacta, inter ipſam & oppidanum magiſtratum conventa & aliquoties repetita. *Cap. XI*, poſteaquam de *jurisdictione patrimoniali* generatim (de qua V. Cl. *Heineccii* Diatribe aliquoties hic *Heinrici* nomine, librarii forte aut typothetæ vitio, indicatur) egit, addit quædam de magiſtratuum oppidanorum & Vaſallorum juris-

Margin: p. 204. (beside "ciis vectoribus … officio-"); 207. (beside "dicio Mercatorio … qui-"); 212. (beside "bus cauſæ …"); 229. (beside "ne, Cancellariis …"); 230. (beside "pi territorii …"); 236. (beside "tita. Cap. XI …")

p. 251. jurisdictione. *Cap. XII de Præfecturis* & Præfectis (*von Amts-*
254. *Haupt-und Amt-Leuten*) plura attulit, ſingulisque diœceſibus hodie præfectos eorumque jura & officia enumerat. *Cap. XIII*
267. *Commiſſarios* &, qui ab iis ſervatur, judicandi morem perſe-
271. quitur. *Cap. XIV.* in *Luſatiæ* utriusque *judiciis* late recenſendis animus occupatur. *Ultimum Caput* hiſtoriam *Scabinatuum* & *Facultatum* Juridicarum pandit. Præter Scabinos Hallenſes & Magdeburgenſes olim & Dohnenſis Scabinatus celebra-
291. tur. Sed qui fere a medio XVI ſeculi Lipſienſi junctus uni-
297. tusque fuit. De JCtis utriusque Academiæ, eorum ſententiis & reſponſis, obſervantiis Collegiorum, & ſententiarum divortiis, in fine monet. Adjecit his omnibus Cl. Autor appendicis loco cum alia quædam, quæ ipſi Operi verbotenus inſerere importunum & prolixum nimis viſum eſt, tum recenſum ſingulorum circulorum, &, quæ in iis ſunt, Præfecturarum, eorum etiam, qui has circumjacent, locorum, vicorum, pagorum &c. Quem quamvis perfectum omnique numero abſolutum nemo dixerit, niſi ſi quis univerſæ Saxoniæ angulos perreptaverit; eum tamen & ſua ſe utilitate commendare, & laude omni non defraudari debere, quivis intelliget. Quæ cum omnia ita ſint, poteſt inde, quo loco aut pretio labor Cl. *Wabſtii* ſit habendus, facile judicari.

## *JOANNIS HENRICI MYLII THEOPHILUS, ſive de Græcarum Juris Inſtitutionum earundemque Autoris hiſtoria, ætate, autoritate, fatis, dotibus, nævis, Liber ſingularis.*

Lipſiæ, proſtat in officina Weidmanniana, 1731.
Pl. 9½.

NOta eſt Jurium ſtudioſis, eſſe certe debet, *Theophili*, JCti & Anteceſſoris, Paraphraſis Inſtitutionum Juſtinianearum Græca, cum in aliis Jurisprudentiæ capitibus utilis, tum ad intelligendos apteque explicandos hos Inſtitutionum libros apprime neceſſaria. Adeo, ut quicquid ſit meliorum interpretum, eandem perſæpe in conſilium adhibere, eamque alii

ev

*ἐν παρόδῳ*, alii data opera illuſtrare ſoleant. Sed quemadmodum & optima vina ſuas fæces habent, ita & in hac ipſa verſione præbuerunt ſe JCtis nævi quidam & errores, ad quos notandos corrigendosque frequentem ſenatum habuere Inſtitutionum Commentatores. Quod vero juſto fere ſæpius factum eſſe, nec ullam facile ejusdem a *Juſtiniano* diſſenſionem inveniri, niſi quæ aut omnibus, aut certe non paucis, ſe minus probaverit, ipſum etiam ita frequenter & aſſidue, ut velut ex compacto rem agi crederes, erroris, fabularum, falſi, nugarum, poſtulari, indignisque ideo conviciis excipi, palam eſt. Quod cum vidiſſet hujus, quem percenſendum habemus libelli Autor, venit in ſuſpicionem, injuria aliquando & ſæpius forte, quam ſuo merito, notari *Theophilum*. Cepit inde conſilium, parare apologiam *Theophilo*, & a frequentibus, qui in eundem expediri ſolent, obelis, ſi quando merebitur, eundem vindicare. Quod ut feliciori ſucceſſu eveniat, quæ ad hiſtoriam ipſius *Theophili* & ejus libri pertinent, & quæ a multis quidem, ſed non eadem ab omnibus cura tradita ſunt, libello hoc ſingulari excuſſit, & majoris Operis quaſi appoſuit promulſidem. Quam cum *ſex Capita* abſolvant, eorum *primo* de Paraphraſtæ nomine commentatus, male a *Cujacio, Gothofredo*, aliisque, *Theophilizen* appellari contendit, atque eidem *συνωνύμους Theophilos*, in p. 2 ſqq.
juris libris obvios, percenſet: duobus, quæ proxime ſequuntur, Capitibus de vera ejus ætate exponit. Cum vero in duas hic partes ſcindatur univerſa JCtorum natio, quorum alii ipſum, qui cum *Triboniano* & *Dorotheo* inter primos juris architectos recenſetur, Anteceſſorem hujus Paraphraſeos autorem exiſtimant, alii longo temporum intervallo ab hoc ſejunctum, aliquot ſecula juniorem eſſe cenſent, eam Noſter ingreſſus eſt viam, ut *Cap. II* eos, qui longe poſt *Juſtinianea* tempora vixiſſe Paraphraſten conjiciunt, confutet, *Cap. III* vero hunc Paraphraſeos autorem, Imperatori *σύγχρονον*, & non alium ab Anteceſſore *Theophilo* fuiſſe, affirmet, argumentisque vero non diſſimilibus oſtendat. Certe, quanquam commodum ejus rei locum nactus, ipſe *Theophilus* non ſignificaverit, eſſe ſe *Triboniani* illum ſocium & coadjuvam, hoc tamen ſui ipſius ſilen- 8.

p. 11. tium ei non obeſſe, aliorum exemplo docere Noſter ſatagit, &, quod ſolet eſſe primarium & princeps, argumentum, quo a compluribus, quæ ineſſe dicuntur Paraphraſi, vitiis ſequiore eum tempeſtate vixiſſe concludunt, & falſum eſſe, & quantumvis verum, nihil conficere autumat, ſimul, ſed ἐν παρόδῳ quaſi, errorum quorundam cauſam agit. §. 3 Inſt. procem. recte
13. a *Theophilo* τριέτη & melius, quam in Latinis Inſtitutionibus, *quadriennium* legi, ſtatuit; Prætori peregrino jus Edicti vindicat; Græcis potiſſimum, ſed Latinis etiam, ſolenne eſſe monet, expreſſe addito licet adjectivo, omittere tamen & ſubaudire verbum *Lex*, idque exemplis comprobat, & inde factum eſſe contendit, ut, cum *Theophilus* τόν Αἴλιον Σέντιον laudaret, (ſub-
14. intellige: νόμον,) *Connanus* aliique de Autore legis *Ælio Sentio*, uno homine, id interpretarentur, cum tamen ab *Ælio* & *Sentio*
20. Coſſ. lata ſit. *Cap. III* in arcem quaſi cauſæ ſuæ delatus Autor ea, quæ inter celebres Juris architectos eidem locum permittere videntur, argumenta edit, noſtros & ἡμετέρους tamen ſæpe quidem συγχρόνους, & ſuperſtites *l. 39 de Stipulat. Servor. l. 6 §. 2 de Excuſat.* &c. ſed nonnunquam & alios dici, vel *Caji* noſtri exemplo docet; & addit, Domini εὐσεβεστάτου, γαληνοτάτου, μεγίστου, elogia non facile, niſi vivo, dari ſolere; *Theophilum* eos, qui *Juſtinianum* in imperio anteceſſerant, Principes pleroſque omnes divos & θείας λήξεως vocare, ſed ipſum ita nunquam appellare; ſequiorum Principum mentionem facere nullam, proximos *Juſtiniani* prædeceſſores πρὸ βραχέος, βεβασιλευκότας dicere, &, quæ *Juſtinianus* propoſuerat, Conſtitutiones ut ἔναγχος, *nuper*, emiſſas citare.
23. Etiamſi *l.* 2 §. 9 de V. J. Enucl. dicatur *Theophilus* Inſtitutiones *extendere*; hoc tamen argumento effici quicquam poſſe negat Noſter, cum quod *extendendi* verbo hac tempeſtate ea competat poteſtas, ut idem ac docere, explicare, ſignificet, tum quod Græca d. L. 2. Conſtitutio voce διδάσκειν utitur, cui nil
29. eſt cum extenſione commune. Ex §. 2 Conſt. de Emend. Codice, junctis aliis LL. ſuſpicatur, non tantum *Juſtiniano* ſuper-
32. ſtite vixiſſe, ſed ante eum quoque deceſſiſſe. *Cap. IV* munia ejusdem & elogia perſecutus, cur clariſſimus audiat, diſquirit,

&

hunc titulum nunc iis, qui ſunt etiam infra ſpectabiles, nunc illuſtribus & ſummis aſſignari tradit, & de Anteceſſoris, & Græcorum Αντικενσωρος axiomate quædam addit. Ab autoris p. 37.
hiſtoria ad paraphraſin deſcendit *Cap. V*, quam autoritate & præſcitu Imperatoris compoſitam autumat; tum editiones a primo, quo JCtis hoc opus innotuit, tempore omnes, easque ſuis ipſius oculis uſurpatas, ſubjicit, & *Angeli Politiani*, 37.
*Viglii Zwichemi*, *Rutgeri Reſcii*, *Petri Nanni*, *Jacobi Curtii*, *Neidhardi*, cujusdam, (ſed vide p. 46,) utriusque *Gothofredi*, *Petri Nancelii*, *Jacobi Mentelli*, *Caroli Annibalis Fabrotti*, *Joannis Doujatii*, *Juſt. Hen. Böhmeri*, aliorumque plurium, in hunc librum merita late commemorat, ac e publica re futurum eſſe cenſet, tum variorum horum integra Commentaria collecta publicæ luci exponere; tum alia quædam, aliis o- 44.
mnino intacta, aut non recte tradita, his addere, a quo quidem conſilio olim capiendo non videtur ipſe abhorrere. Dixit etiam de Verſionibus, & ex *Curtiana* aliquos nævos tollit. 47.
Poſt hæc omnia, quo ſit Paraphraſis habenda loco & numero, diſputat *Cap. VI*; opus eſſe ceteroquin integrum, niſi quod 51.
ἀκέφαλον, & ſcribarum commentis aliquoties deturpatum, ſcribendi genus impurum & omnino græcobarbarum, neque tamen ideo a Græcæ linguæ ſtudio jurium gnavum cultorem abſterreri debere, exiſtimat. Dotes libri & virtutes refert, ſed nec tacuit vitia & errores, atque ita propediem ipſas, quas molitur, Vindicias promittit.

## *DE AGNO AD ARÆ CORNUA LIGANdo, ad illuſtrandum Pſalmum CXVIII, in memoriam ſecularem exhibitæ A. cIↄ Iↄ XXX Auguſtanæ Confeſſionis.* D. BERNHARD WALTHERUS MARPERGER, *in Aula Regio-Saxonica ſacrorum Antiſtes Primarius, Conſil. Eccleſ. & ſupremi Conſiſt. Dresd. Aſſeſſor.*

Dresdæ, apud Chriſtophori Zimmermanni hæredes, & Jo. Nicol. Gerlachium, 1730, 8.



Digitized by Google

Alph. 1 pl. 9.

QUo certius atque teſtatius eſt, Salvatorem Optimum Maximum totius Scripturæ Sacræ ſcopum ac nucleum dicendum, eo præclarius inſigniusque de ſacra Chriſti civitate meritus eſt præſentis diligenter elaboratæ & tanquam elucubratæ Commentationis, quam *ſuccinctam Theologiam Meſſianam enucleatam* jure meritoque appellaveris, ſumme venerandus Autor. Is enim, memoriam *Jubilæi ſecundi* Auguſtanæ Confeſſionis, quod ante hos duos annos Evangelico-Lutherana celebravit Eccleſia, poſteritati commendaturus, Pſalmum ſupra centeſimum decimum octavum, pietatis excitandæ tum delegerat argumentum, utpote in quem B. *Lutherus* olim in eremo Coburgenſi egregium conſcripſit Commentarium, eo ipſo tempore, quo Auguſtæ Vindelicorum Elector Saxoniæ, *Joannes Conſtans*, glorioſæ beatiſſimæque recordationis, veritatis Evangelicæ, e tenebris in lucem revocatæ, feliciter obibat vadimonium. Hujus igitur magni fidei herois atque Theologi ſucci pleniſſimas meditationes in præmiſſa Præfatione omnibus modis commendavit, ipſe vero originalem textum, debitis præſidiis inſtructus, limatiſſimo judicio explanavit ac vindicavit verendus ſacrorum Saxonicorum hodie Præſul. Brevis quidem illa eſt ſcriptio, ſed in his numeranda libris, qui non mole, rerumque ſine delectu concervatarum farragine, omnem amittunt gratiam, verum earum exquiſitiſſima ſelectione ſeſe cum maxime commendant. Quorum intereſt ſcire, quanam accuratione in Theologia Exegetica verſandum, & quo modo genuinæ Antiquitates Judaicæ in ſacrum illius uſum convertendæ ſint, iis hic vivum, quod imitentur, & ad quod ſe componant, ſiſtitur exemplum. Quo igitur magis noſtrarum erit partium, hujus utiliſſimi ſcripti brevem, more noſtro, cum erudito Lectore communicare recenſionem. Abſolvitur illud quinque Capitibus, in certas paragraphos diſtinctis, quorum cuique finito Notæ ſemper, ex interiori eruditione Theologica, & antiqua Hebræorum hiſtoria, petitæ, ſubnectuntur.

p. 1–70. *Cap. I* vaticinium de Agno ad aræ cornua ligando ſumma-

matim indicat ex *Pſalm. CXVIII*, *27*, ubi verba ita ſe habent: אסרו חג בעבתים עד קרנות המזבח׃ Quæ cum *Sante Pagnino* ſic tranſlata exhibentur: *Ligate agnum funibus, usque ad cornua altaris.* Hujus de morte Salvatoris futura, deque vinculis ejus ſacrificalibus, oraculi iſte verus, proprius ac literalis eſt ſenſus: *En adeſt, jam dudum exoptata, Deum placatura, Victima. Præſentem ſe ſiſtit, & ad ſubeundam mortem paratiſſimum,* Agnus ille Dei, *pro hominum* ſalute mactandus. *Vos, qui hoſtili in hunc Servatorem animo eſtis, agite, funibus eum conſtringite, vinctum, in Jus, ad mortem, rapite, lataque judicis ſententia, cruci ſuffigite. Hanc Agnus iſte immaculatus aram, hucdum per cornua altaris Levitici præmonſtratam, proprio conſperget ſanguine;* ſemet ipſum *pro nobis, in hoſtiam piacularem,* Deo Patri *oblaturus, & ſua nos morte ab æterna morte liberatos, in vitam & ſalutem æternam aſſerturus.* *Cap. II* ex ipſis Odæ ſacræ viſceribus hunc ſenſum p. 71–191.
non ſine nervo inveſtigat. Reſpicit illa ſigillatim, ex Summe Reverendi Autoris ſententia, *ultimos ante Servatoris mortem dies*, illumque Miniſterii ſui terminum, quo circumſcriptus, ſe ipſum obtulit, ſacerdotali officio ſuo facturus ſatis. Hanc ſuam hypotheſin evincit ex antecedentium commatum, a primo usque ad viceſimum ſextum, comparatione, annexaque conſequentium collatione, iis argumentis, quæ maxima ad convincendum valent virtute. Filum hoc Exegeticum *Cap. III* 191–369.
excipit Hiſtoricum, ubi materia agni ad aræ cornua alligandi ex Hiſtoria ſacra, quæ eſt lux veritatis ac vetuſtatis nuntia, cum cura illuſtratur. Eventus cum prædictione omni ex parte confertur, evinciturque, Hiſtoriam Evangelicam vel in minimis circumſtantiis cum vaticinio mirifice convenire. Tum vero ad hanc magis illuſtrandam antiquus Judæorum ritus agnorum colligandorum, & humeris in Templi atrium deferendorum, & deſcribitur, & imaginibus in Tabula I æri inciſa repræſentatur, & ad ligationem Agni Dei antitypicam inſigni cum efficacitate applicatur. 212.

*Cap. IV* declaratam interpretationem novis rationibus firmatam ſiſtit, adhibito inprimis Parallelismo Biblico, & inſtituta 370–594.

 accu-

accurata variorum utriusque Codicis oraculorum ſyncriſi. Ac verbalis quidem Parallelismus antecedit, ubi primum vox כר, qua Agnus denominatur, curatius expenditur, ubinam illa immolandum *ſacrificium*, & ſignate *ſacrificalem agnum*, deſignet. Atque hæc ipſa notio ex *Exod. XXIII, 18*, & *XXXIV, 25*, præcipue eruitur, tum vero & aliorum locorum oſtenditur conſenſio. Ad Parallelismum realem ſpectat tota de ligatione & immolatione Iſaaci hiſtoria, *Gen. XXII* deſcripta, quæ ligandum Dei agnum ita perſpicue depingit, ut eum quaſi coram intueri liceat. Ubi hoc inprimis annotandum, & accurata cujusvis eruditi lectoris conſideratione digniſſimum nobis videtur, quod *modum* Agni divini *ad aræ usque cornua ligandi* ex hac Iſaaci hiſtoria ſummus derivaverit Autor. Ara Abrahami in monte Moriah exſtructa *quadratam* habebat *aream*, cujus ad *ſingulos quatuor angulos ſtipitem ligneum longiorem* terræ impegit. Erectis illis *quatuor palis majoribus*, infixit *ad latera* areæ quatuor, *ſudes minores*, quas, ne altaris moli cederent, *virgultis intertexit* & *circumplicavit*, atque ita ſimul angularibus palis alligavit. Hi *quatuor angulares pali*, ultra lignorum ſacrificalium ſtruem, multoque magis ſupra altaris ipſius molem ac ſuperficiem, *prominentes* conſpiciebantur. Iſtæ igitur prominentiæ קרנות המזח dici merentur. Harum antiquarum rerum imaginem exhibet Tabula II æri in-
p. 413. ciſa. Cum his Crucis quatuor extremitates conferuntur, &
427. Tab. III ænea deſignantur. Eam cærimoniam illuſtrat locus *Gen. XXII, 9*, & *ſacrificii jugis* immolatio, quæ ex Miſchna,
432. Tamid. Cap. IV, 1, ſ. verbis deſcribitur, & imagine Tab. IV ſiſtitur, coll. Tamid. II, 2. Funibus Dei Agnum ad aræ crucis cornua ligatum fuiſſe, ipſe antiquus crucifigendi ritus argumento eſſe videtur.

In *Cap. V*, eoque ultimo, id ſibi datum credit Summe venerandus Autor, ut Interpretes quosdam, eosque & veteres & novos, in auxilium vocet, & etiam atque etiam circumſpiciat, quinam aut ab ipſo recedant, aut ab ipſius ſtent opinione. Ab illis ſolidiſſime vindicat, horum vero conſenſione ſuam confirmat interpretationem. Quo labore egregie functus, addit adhuc

adhuc nonnullis, quæ omiſſa erant, ac ſerie Capitum deſignata, Commentationem finiit. Ex his igitur, quæ ſummatim indicavimus, omnes, quotquot judicando valent, perſpiciunt, hunc digniſſimum fuiſſe Pſalmum, quem ipſe meditandum & ſibi ſumeret, & aliis ſinceris Jeſu Chriſti, ejusdemque in crucem acti, amicis conſiderandum proponeret, Evangelica jubila mirum in modum aucturus. In votis haberemus, ut omnes Pſalmi Meſſiani, arcanique veteris Oeconomiæ Typi, tanta cum cura, tam exquiſita eruditione, tam mira denique ſtili facilitate, elegantia & gravitate, explanati, Servatoris ornarent civitatem. Hanc igitur, qua puriorum partium eſt, univerſam devinctiſſimam ſibi redderet magnus ac celeberrimus ille Theologus, ſi, quo huic præclaro inſignique labori vacare poſſet, tantum ſucciſivi otii graviora, eaque concatenata, ipſi concederent negotia.

## *DE QUINTO DECIMO MENSIS ABH Hebræorum Diei expiationis comparato, D. BERNHARD WALTHERUS MARPERGER, in Aula Regio-Electorali Saxonica ſacrorum Antiſtes Primarius, Conſil. Eccleſ. & ſupremi Conſiſt. Dresd. Aſſeſſor.*

Dresdæ, apud Jo. Chriſtophori Zimmermanni heredes, & Jo. Nicol. Gerlachium, 1730, 8.

Plag. 7.

ANtecedens Commentatio multo elaboratiſſima huic exarandæ cauſam dedit Summo Venerando Autori. Itaque conſultum duximus, hanc illi ſtatim ſubjungere. Exiſtimat nimirum ille, eosdem plane dies eſſe, *quintum decimum Menſis Abh*, ſicut in Miſchna vocatur, & *quintum decimum Menſis Abib* ſeu *Niſan*, quo agnum Paſchalem typicum, divino juſſu, comedebant Iſraelitæ, atque hunc deinceps *diem Agni Dei emortualem, diem veri ac unici ſacrificii piacularis, atque adeo diem expiationis Novi Teſtamenti conſummatiſſimum.* Hanc ipſam ſententiam ſuam jam in Tractatu ante recenſito, Cap. III

§. XI

Digitized by Google

§. 11 not. 10 p. 288 & 289, in medium attulerat. In præſenti
vero ſcriptione rationes, quæ ipſum, ita ut ſentiret, impulerunt, plenius commemorare, operæ duxit pretium. In tria
p. 1–19. Capita eam diviſit. Et quidem *Cap. I* Textum Miſchnæ ex
מסכת תענית in סדר מועד nonum locum occupante, illiusque Pereck IV Hal. VIII, una cum Commentariis & anno-
19–53. tationibus, a *Surenhuſio* allatis, recenſet. *Cap. II* ſenſum Miſchnæ literalem ceu fictum & ſubleſtum explodit, atque adeo
urget, traditionem, ſi de *quinto decimo Menſis quinti* intelligatur, male cohærere. Res omnis quatuor conficitur argumentis, iisque validiſſime corroboratis. Primum hoc eſt:
22–26. *non potuit dies feſtus Iſraelitarum, e duobus maxime unus,
incidere in menſem, quem Talmudiſtæ ipſimet totum quantum quantum lugubrem, luctuoſum, tragicum, & ad mæſtitiam, ob caſus amariſſimos, omnem compoſitum, ſignant, atro-
27–30. que carbone denotant.* Alterum: *Quem Rabbini fingunt,
menſis quinti decima quinta luce, diem maxime feſtivum, in favorem virginum matrimonio collocandarum, conſtitutum ac celebratum perhibent. Prorſus autem incredibile, menſe Abh infortunatiſſimo, Iſraelitas filiarum ſuarum fortunam experiri, aut procorum ipſis animos conciliare voluiſſe; quod, non niſi auſpicatiſſimis temporibus fieri debere, ipſa ſuadebat
30–36. ratio.* Tertium: *nullo modo inter ſe cohærent, ſolennitas
ludibunda ficti diei feſti menſis quinti, & graviſſima illa ſa-
37–46. cra, tremendaque myſteria diei expiationis.* Quartum: *E-
vaneſcunt, quinti decimi diei menſis quinti cum die expiationis comparati, ficta gaudia, ſi conſideres, nihil minus diem expiationis fuiſſe, quam diem lætitiæ, falſiſſimumque eſſe, illo die virgines candidatas exiviſſe in vineas, ut choreas agerent, & juvenes ad matrimonia cum ipſis contrahenda al-
46–53. licerent.* Quintum ita connectitur: *Miſchnah in Codice
Taanith, Per. IV Hal. V, quinto decimo menſis quinti, jam Feſtum ligni ad uſum altaris afferendi*, quod Ξυλοφορίων ἑορτή, *Joſepho* Antt. Lib. II Cap. 17 p. 194, *aſſignavit; prætereaque vetuſtiſſimus Codex, Megillath Taanith dictus, Cap. V, aliam illi diei ſolennitatem nullam adſcripſit. Ergo ſequi-*

*quitur, ut Autor Miſchnæ Per. IV Hal. VIII, per diem quintum decimum menſis Abh, alium prorſus diem, quam qui in quintum menſem incidat, intellexerit.* Ex his igitur rationum momentis Cap. III concluditur, ſenſum Miſchnæ Allegoricum valere, qui in XV Abib & X Tiſri inter ſe comparatos, exactiſſime quadret. Nihil certius eſt, quam hoc, in Pandectis Talmudicis, more populis Orientis omnibus ſolenni, emblematicam inveniri dictionem. Miſchna hic idem, quod Moſes, docet. Hic dies XV menſis Abib eſt *κατ' ἐξοχὴν* חג ליהוה feſtorum dierum omnium primus ac princeps, *Exod. XII, 14, Num. XXVIII, 16, 17.* Dies vero Expiationum eſt Iſraelitis Sabbathum Sabbathi, *Lev. XVI, 31, XXIII, 32.* Idem quoque Miſchna affirmat, *Iſraelitis non eſſe tam feſtivos dies, quam hos ambos.* *Abibh* & *Abh* unam habent & derivationem & ſignificationem. Habet hic *Antanaclaſis* locum. *Abibh* a quibusdam ab אב, *pater*, derivatur, quia eſt *pater* ſeu *primus* menſium. Adeſt forſitan etiam ſcribendi compendium, ut *Abh* pro *Abibh* legendum ſit. His explanatis, ex Rabbinis petita producuntur teſtimonia. Per gaudia illa feſtiva non corporis, ſed animi, non carnales, ſed ſpirituales, intelligendæ ſunt deliciæ. Uterque enim dies, & quintus decimus Abh ſive Abibh, & dies Expiationum, ſingularia Novi Teſtamenti præfigurabat beneficia. His ipſis diebus virgines Hieroſolymitanæ, יוצאות *exeuntes* in vineas, choreas in iis agentes, nec non albis veſtibus incedentes, amorem erga Salvatorem ſpiritualem, indeque manans gaudium ſpirituale, declararunt. Hinc lucem capiunt loca *Apoc. XIV, 1 ſq. XIX, 7.* Allegoricam hanc expoſitionem confirmant, præter ipſam Miſchnæ clauſulam, R. Bartenora, & Gemara. p. 54-99.

In fine additur mantiſſa ſupplementorum quorundam Commentarii de agno ad aræ cornua ligando, qua prolata, explicit excellentiſſimum hoc reconditæ in Miſchna doctrinæ veterum Fidei ſpecimen. Quod reliquum eſt, ut plura id genus agnitæ a majoribus Judæorum veritatis, & in Talmude, ſigillatim Miſchna, traditæ quoque, ſed a poſteris cæcis

 inſu-

Digitized by Google

infuſcatæ obſcuratæque, lucidiſſima veſtigia, ſi qua jam collegit, ad religionem Chriſtianam confirmandam publicæ luci exponat, Summe Venerabilem Autorem communi orbis eruditi nomine oramus atque obteſtamur.

## *J. C. S. OBSERVATIONES QUAEDAM, quibus TACITI & VELLEJI loca aliqua reſtituuntur.*

I. CUm in *Gundlingianis* perlegendis verſarer, incidi in Part. XXXVI Obſerv. I pag. 2, ubi *Taciti* locum illum mendo liberare conatur: *Inter quæ refertur ad patres de pœna feminarum, quæ ſervis conjungerentur. Statuiturque, ut ignaro domino ad id prolapſa in ſervitutem ſui conſenſiſſet, &, qui nati eſſent, pro libertis haberentur.* Annal. XII Cap. 53 ſ. I.

II. Ipſe doctiſſimus Autor pro *libertis* legi vult *liberis*, & fatetur tamen §. VII, *falli omnes, qui jam Claudii avo receptum credunt, ut partus mulieris ingenuæ cenſeretur ingenuus, cujus pater fuiſſet ſervus.*

III. Mihi e difficultatibus, quas doctiſſimus Autor diligenter perſequitur, expediri videntur ii, qui mecum legere malint, *&, qui nati eſſent, proles patris haberentur.* Nam cum mater talis ſervili conditioni adſtrinxiſſe videretur ſeſe, fœtus autem ſervi eſſet; conſequens erat, ut proles item ſerva eſſet. Inepta quidem lex eſſet, quæ ipſam rerum naturam perverteret. Perverteretur autem natura rerum, ſi e ſervo, cujus omnia domino acquiruntur, naſcerentur homines liberi. Hoc ipſum conſideraſſe, Critici eſſe puto.

IV. Pergit vir literatiſſimus ad *Velleji* II Cap. 31: *Converterat Cnæi Pompeji perſona totum in ſe terrarum orbem, & per omnia majore vi habebatur.* Multa hic item diſputat: ſed ad extremum legi jubet *major vi*, id eſt, autoritate. Interdum tamen *virtute* niti nos mavult aut *vi* bellica.

V. Omnino nomen *vis* explicari debet hic e verbis *Velleji* ſubſequentibus: *Raro enim invidetur eorum honoribus,* quo-

*quorum vis non timetur.* Ibi autem *vis* ſignat *facultatem omnium rerum, in quas incumbere ſemel ſtatuiſſet Pompejus.* Sic *Cic.* Mil. Cap. 25: *Si hæc arma, ſi Capitolinæ cohortes, ſi excubiæ, ſi vigiliæ, ſi delecta juventus contra Milonis impetum armata eſt; magna in hoc certe vis & incredibilis animus & non unius hominis vires atque opes indicantur.* Ibid. Cap. 30: *Nec vero quisquam aliter arbitrari poteſt, niſi qui nullam vim eſſe ducit numenve divinum.* Adde inſequentia, ubi multa ſunt loca, quæ docent, *vim* dici *facultatem rerum, quas velis.* Idem *Cicero* Lib. III Ep. 11 ſ. 11: *Si quidem,* inquit, *ut ſcribis, omnes vires civitatis ſe ad Pompeji ductum applicaverunt.* Id eſt, cives opulentiores & majore autoritate ac facultate præditi. Etenim ex omnibus rerum illius ævi ſcriptoribus ſatis liquet, perficere potuiſſe Pompejum, quicquid cupere cœpiſſet. Atque, ut facilius conſequeretur omnia, quæ expetiſſet, cum Cæſaris affinitatem, tum Craſſi conjunctionem appetiit. Vid. *Dio.* Lib. *XXXVI* pag. 12; ubi narrat, a plebe Senatum pene discerptum fuiſſe propter Pompejum. Et L. XXXVII pag. 55; ubi propter Pompeji commendationem Piſonis comitia dilata eſſe dicuntur. Adde pag. 62, & *Cic.* VI Ep. 6 ſ. 6. Ipſa denique diſtractio illa animorum Senatus a Cæſare, cui paulo ante Senatus tantopere faverat, (*Cic.* I Ep. 7 ſ. 25, 26) qua, Pompejo inſtigante & urgente, bellum periculoſiſſimum & pernicioſiſſimum exarſit, vim Pompeji ſatis indicat, id eſt, autoritatem ac potentiam reipublicæ gravem & calamitoſam. Et quanquam æquo animo honores deponere videbatur; attamen in novis appetendis immodicus erat. *Vellej.* II Cap. 33 ſ. 4. Neque Romani propter potentiam & gratiam quicquam ei negare poſſe videbantur. Quamobrem ſana ſunt omnia. Saltem divellenda modo litera una, quæ temere fortaſſe cum finitimo nomine coaluit. Legerim igitur, ſi liceat, *& per omnia major e vi habebatur.*

VI. Alter *Velleji* locus, cui lucem afferre conatur *Gundlingius,* e Libro II Cap. 45 repetitus eſt. *Idem,* inquit, *intra biennium ſera Cn. Pompeji cura, verum & cupito interitu, votisque Italiæ, ac decretis Senatus, virtute atque actio-*

*ne Annii Milonis tribuni plebei, dignitati patriæque reſtitutus eſt.* Hic *ſera Pompeji cura* dicitur, quia Pompejus ſtantem ac pugnantem *Ciceronem* deſeruerat, afflictum vero excitare conabatur, precibus ac pollicitationibus *Quinti Ciceronis* adductus. *Cic.* I Ep. 9 ſ. 17. Verba vero *& cupito interitu* valde corrupta ſunt. Ea tamen retinenda putat Vir illuſtris, dummodo *verum* per *ſane* explicetur. Sed durior ea lectio & alienior tamen videtur aliis. Malim legi *verum & cœpti interrita.* Hæc enim lectio hiſtoriæ illorum temporum eſt conſentanea. Nam Clodius ille formidabilis erat & ſceleratiſſimus homo. Hic autem mentione reductionis *Ciceronianæ* magnopere offendebatur. Animo igitur robuſto & invicto erat opus ad minas & vim & inſanias Clodii contemnendas. *Dio.* XXXVIII pag. 86, & XXXIX pag. 105. Neque vero Latina lingua repugnat huic conſtructioni *cœpti interrita.* Nam *nandi pavidus* eſt apud *Tacit.* Hiſt. V, 14, 4. Vide alia in Grammaticis Latinis. Ipſe *Vellejus* adamat hujusmodi locutiones, v. g. Lib. I Cap. 3: *acer belli juvenis*, & I Cap. 12: *ipſe modicus virium*, & II Cap. 11 ſ. 1: *immodicus gloriæ*, & II Cap. 37: *filius Tigranis, ſed diſcors patris.*

## NOVA LITERARIA.

NUper Monachus quidam Italus, e civitate Lucenſi, *Sebaſtianus Paoli*, Congregationis Clericorum Regularium B. Mariæ Virginis Lucenſis ſocius, ineptas quasdam & pueriles *Annotationes Criticas* in nonum Librum *Hiſtoriæ civilis Regni Neapolitani*, a doctiſſimo Viro, *Petro Giannonio*, olim editæ, impudenter typis vulgaverat, quas propter earum exilitatem parvi faciendas, nec ulla reſponſione dignas, exiſtimabant prudentes iſtarum rerum æſtimatores. Verum cum Fraterculus is, tanquam miles glorioſus, per plateas & compita nonnullarum civitatum Italiæ jactabundus de inſulſis illis ſuis Annotationibus loqueretur admodum magnifice, & rem a ſe egregie geſtam oſtentaret palam; in animum induxit tandem *Giannonius*, homunculo illo doctrina longe ſuperior, famam ſuam vindicare a ſcurrilibus obtrectationibus belluæ feroculæ, & monachalem hanc impudentiam graviter contundere. Factum hoc ab eo haud ita pridem libello eleganti,

ti, in quo & *Annotationes Paolianas* & *Reſponſionem* legimus, qualem nugator ille merebatur. Sales ei multos & lepores ineſſe, quicunque legerunt, confeſſi nobis ſunt omnes.

Mutinæ jam in eo eſt *Philippus Argelatus*, Bononienſis, ut in lucem publicam, cura Cel. *Muratorii*, emittat Tomum XIX (ſeu XXI) Rerum Ital. qui ſupra ceteros, jam publice exſtantes, magnam copiam MSS. Commentariorum continebit, multumque delectationis pariter ac utilitatis afferet hiſtoriæ Italorum ſtudioſioribus. Illorum ſiſtimus hic Catalogum: 1) *Hiſtoria Fratris Andreæ Billii*, patria Mediolanenſis, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, in *novem Libros* digeſta, ab anno 1402, usque ad annum 1431; nunc primum prodit e MSto Codice pergameno *Bibliothecæ Ambroſianæ*, cum duobus aliis MSStis Codd. *Novarienſi* uno, & altero ornatiſſimi Viri, *Comitis Caroli Pertuſati*, collata. 2) *Matthæi Palmerii*, Florentini, *de Captivitate Piſarum*, ſive de bello contra Piſanos geſto a Florentinis anno 1406, Commentarius; nunc primum prodit ex MSto Codice *Florentino*. 3) *Vita Caroli Zeni*, Patritii Veneti Clariſſimi, ad *Pium II* Pont. Max. Autore *Jacobo Zeno*, ejus nepote, Feltrenſi & Bellunenſi Epiſcopo, ab anno circiter 1334, usque ad annum 1418; nunc primum in lucem prodit ex MSto Codice *Seminarii Patavini*. 4) *Annales Senenſes* ab anno 1385 usque ad A. 1422; per *Anonymum Scriptorem* deducti, & nunc primum publica luce donati e *MStis Libris Senenſibus*. 5) *Brachii Peruſini* Vita & geſta ab anno 1368, usque ad annum 1424, Autore *Joanne Antonio Campano*, Epiſcopo Interamnenſi, ſeu Aprutino, antea edita, nunc in omnium commodum recuſa. 6) *Leodriſii Cribelli* de Vita, rebusque geſtis *Sfortiæ*, bellicoſiſſimi Ducis, ac initiis *Franciſci Sfortiæ Vicecomitis*, ejus filii, Mediolanenſium Ducis illuſtriſſimi, *Commentarius*, nunc primum prodit e MSto Codice Bibliothecæ *Chriſtianiſſimi Regis*. 7) *Chronicon Tarviſinum* ab anno 1368, usque ad annum 1428, Autore *Andrea de Reduſiis de Quero*; nunc primum in lucem exit ex *MSto Codice Collaltino*. 8) *Chronicon Forolivienſe* ab anno 1397, usque ad annum 1433, Autore *Fratre Hieronymo Forolivienſi*, Ord. Prædic. nunc primum in lucem eductum ex MSto Codice *Comitis Brandolini*



Digitized by Google

*de Brandolinis.* 9) *Leonardi Aretini* rerum ſuo tempore geſtarum *Commentarius*, ab anno 1378, usque ad annum 1440, antea editus, nunc autem emendatius ad fidem *MSti Codicis Bergomatis.* 10) *Hiſtoria Florentina*, Italice conſcripta, Autore *Anonymo*, ab anno Chriſti 1406, usque ad annum 1438, nunc primum luce donata e *MSto Codice Bibliotheca Eſtenſis.* 11) *Chronicon Piſtorienſe* a condita Urbe, usque ad annum 1446, Autore *Jannotio Manetto Florentino*; nunc primum prodit ex *MSto Codice Florentino.*

Haud contigiſſe unquam meminimus, ut una domus tam ferax ſubtiliſſimi ingenii Mathematicorum fuerit, quam eſſe jam Lutetiæ Pariſiorum illam *Claraltiorum* (*Clairaults*) accepimus. Tulit enim hæc patrem menſurarum ſcientia ſummum, cum filiis duobus, in primo adhuc ætatis flore conſtitutis, ſed maturo doctrinæ robore firmatis, & magnum quid minitantibus orbi erudito. Et de patre quidem ſatis nobis compertum eſt ex literis Gallorum, tantam ei per omnem Galliam mathematicæ doctrinæ exiſtimationem eſſe, ut communi nomine civibus ſuis dictus ſit *Boetius Pariſienſis*, &, quoad ipſe vixerit, exterorum nemo Lutetiam ingreſſus ſit, qui non eo præ ceteris in hac arte uſus ſit præceptore. Patris inſiſtentes veſtigiis filiorum uterque, incredibilem de ſe ſpem excitant penes Gallos ſuos, & nuper demum converſi ad hæc ſtudia per ætatem admodum teneram, tantos brevi tempore in ſublimiori hac ſcientia ſecere progreſſus, ut nihil dubitandum ſit, ſi nobile hoc iter poſthac diligenter proſequi non intermiſerint, ad Mathematicorum vel præſtantiſſimorum famam acceſſuros olim quam proxime. Publica uterque jam ante aliquod tempus exſtare ingenii monumenta juſſit. Alter, natu maximus, ſedecim annorum juvenis, edidit in forma quadruplicata librum: *Recherches ſur les courbes a double courbure*, tanta abundantem novarum rerum & inventorum copia, ut, qui legit librum, ei ſimile prodigii videatur Autoris ingenium. Nec minora expectari ab altero filiorum poſſunt, cujus, quæ nuper prodiit, Diſſertatio, hunc in modum inſcripta: *Diverſes Quadratures Circulaires Elliptiques & Hiperboliques*, nihil vulgare & ubivis obvium, ſed ſelecta quæque, & ex intimis Geometriæ penetralibus petitas Obſervationes continet.



Digitized by Google

## *JO. MATTHIAS GESNERUS*
Lectori Salutem.

PRodit tandem, poſt varias diverſi generis objectas moras, nova Latinorum rei ruſticæ Scriptorum editio. Prodit, inquam, & nihil modo niſi vim majorem metuit, cum, quæ a nobis expectari poterant, præſtita ſint, quantum per temporum & rerum noſtrarum varietatem licuit, omnia, ut nihil jam, præter typographorum operas, ſuperſit. Poteramus facile, & decreveramus, paucos menſes tacere, dum ipſe liber in manus hominum perveniret, ac de labore noſtro judicandi illis faceret copiam. Sed dandum hoc fuit juſtis quibusdam rationibus viri, ſui nominis in hoc genere gloriam ſtrenue reſuſcitatum euntis, *Caſp. Fritſchii*, uti moneremus viros doctos, apud quos propter eam, quam modo commemoravi, cauſam parum eſt, quin fidem promiſſa noſtra decoxerint, nunc ita omnia eſſe inſtituta atque comparata, ut, in quantum certi quidquam de ſe polliceri mortales poſſunt, confidere queant, proxime ſe deſideratum Opus habituros, h. e. *Catonis*, *Varronis*, *Columellæ*, *Palladii*, *de re ruſtica*, *libros*, quibus jam accedunt *Gargilii Martialis fragmentum adhuc ineditum*, & *Vegetii de Mulomedicina libri*, ita parum obvii, ut non multum a MStorum raritate & ipſi abeſſe videantur. Habebunt autem hos libros perpetua & reliquarum editionum & MStorum plurium varietate ita inſtructos, ut vix ulla præcedentium editionum carere videatur, qui noſtram habeat, ac tamen propter adhibita compendia facilia, & lectorem eruditum nihil remorantia, typorumque ipſorum rationem, ea res parum admodum ſpatii occupet, &, a reliquis ſecreta notis, eos non impediat, ſi qui illo eruditionis genere non delectantur. Notas damus tum quæ adhuc editæ ſunt omnes, *Ge. Alexandrini*, *Phil. Beroaldi*, *Pet. Victorii*, *Joſ. Scaligeri*, *F. Urſini*, *Auſonii Popmæ*, *Jo. Meurſii*, *Caſp. Barthii*, nec non *Jo. Frid. Gronovii*, aliorumque complurium, quas per varios libros ſparſas vel Cl. *Schættgenii*, vel noſtra conduxit induſtria, tum novas virorum præſtantiſſimorum, *Aug. Buchneri*, *Th. Janſ. Almeloveenii*, *Gisb. Cuperi*, inprimis *Jul. Pontederæ*, quæ vel ſolæ novam editionem ſatis exornare poterant, aliquot item *Jac. Facciolati*, ingenio illius & elegantia dignas, quibus, ne disjungam tria Patavii ſui, atque Italiæ adeo, ornamenta, ſtatim adjiciam *Jo. Bapt. Morgagnum*, epiſtolis aliquot eruditiſſimis, illarumque,

qui-

quibus *Celſum* exornavit, ſimillimis, ruſticos noſtros, *Vegetium* præcipue, proſecutum. Neque carebit hæc editio inſigni fructu præclaræ diligentiæ *Chriſt. Schættgenii*. De noſtris denique obſervationibus malim ipſos exiſtimare lectores. Nam *noſtræ fercula cœnæ*

*Convivis malim quam placuiſſe coquis.*

Illud unum dicam, nos prætermiſſa fere a viris doctis ſectatos, & lucem noſtris ruſticis non tam aliunde, quam ex ſe ipſis, quod certiſſimum interpretandi genus putamus, afferre ſtuduiſſe. Quod dum agimus, natus eſt etiam index, qui pro *Lexico ruſtico* eſſe in poſterum poterit, in quem etiam ea fere *Ge. Alexandrini, Ph. Beroaldi*, & aliorum, retulimus, quæ non tam ad locum aliquem Scriptorum noſtrorum interpretandum, quam univerſim ad intellectum ſingularum vocum, pluribus locis occurentium, videbantur pertinere. Ceterum *Gargilii Martialis*, fragmenta damus, qualia Vir Summus *Jac. Perizonius* cum Cl. *Schættgenio* communicaverat. Ad *Vegetium* autem *Gudianas Cod. Corbejenſis* lectiones, quantivis illas quidem pretii, ſubminiſtravit nobis idem ille *Fabricius*, cujus humanitati etiam atque liberalitati debemus copioſam & luculentam Codicum MStorum ad Græca Γεωπονικῶν excerpta collationem, ex *Gudianis* ipſam quoque theſauris depromtam, qua ſemel iterumque in hoc ipſo labore ſumus uſi. Ipſe nimirum eſt vir merito ſuo venerabilis, de quo haud injuria proverbium uſurpaverint poſteri, ut, quemadmodum *Colophonem* additam dicebant olim, quo nihil amplius rei deeſſe ſignificarent, ita *Fabricium* addidiſſe is intelligatur, qui, ne quid abeſſet ab opere ornamenti, diligenter curaverit. Sed hujus viri laudes tali folio committere nihil attinet. Potius illud moneamus Lectores, neque cultum Operi huic defuturum, quem chartariorum, tum typographorum ſculptorumque præſtare ars poteſt. Itaque librum *Piccarti*, cui principatum fere artis deferunt hodie, manu non in fronte modo ornatum pictura ad rem noſtram faciente videbitis, verum paſſim etiam nummis, aliquam rei ruſticæ veteris memoriam habentibus, diſtinctum. *Varronis* autem ornithona, antiquæ elegantiæ non contemnendum ſpecimen, poſt aliorum curas, nunc demum ſerio, quod nobis quidem videtur, damus illuſtratum. Denique in univerſum elaboratur omni ſtudio, ut poſt tantas interjectas moras *ſat cito* veniſſe videantur ruſtici, quia *ſat bene.*

* * *

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Julii Anno MDCCXXXII.*

## *RERUM ITALICARUM SCRIPTORES ab Anno Æræ Chriſtianæ D ad MD. LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, Sereniſſ. Ducis Mutinæ Bibliothecæ Præfectus, collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit.*

## *Tomus XVII.*

Mediolani, ex Typographia Societatis Palatinæ, 1730, fol. Alph. 7 pl. 14, cum fig. æn. 2.

FElix, ſi quisquam alius, in amplificanda patriæ gloria *Muratorius*, Italorum decus, cui, quicquid boni atque præclari in Italia tulit ætas ſuperior, e tenebris & ſepulchris ſuis ſponte venire in manus ſolet, & cujus ſegetem, magno patriæ & exterorum gaudio, creſcere inter metendum videas. Nuper perlati ad nos Scriptorum Italiæ *Tomi* XVII & XVIII, ſuis uterque divitiis refertus, mirifice augent tanti nominis honorem, & ad illuſtrandam Italorum hiſtoriam multum utique momenti habent. Qui, cum nihil degenerent a dignitate reliquorum, de quibus paſſim commemoravimus, & multa diximus, ut merebantur, honorifice, neutiquam defraudandi nobis videntur jure ſuo, &, ſi quid nos curamus rerum ante nos geſtarum ſcriptores bonos atque diligentes, & in levioribus interdum occupatur labor noſter, ab his ipſis, quos nuper demum ab injuria ætatis vindicavit *Muratorius*, utpote in magno habendis pretio, & luce jam olim digniſſimis, abſtinendum judicamus quam

minime. Memores itaque moris noſtri, jam, quæ *Tomo* XVII, illuſtri Januenſium Reipublicæ inſcripto, continentur, ſummatim indicabimus, ſubſequentis *Tomi*, ſimili bonarum rerum copia inſtructi, mentionem deinde facturi. Primo loco comparet *Chronicon Patavinum*, *Italica lingua conſcriptum*, *ab Anno 1311 usque ad Annum 1406; Autore Andrea de Gataris*; quod primum nunc prodit ex MSpto Codice Bibliothecæ Eſtenſis. Adjectam huic legimus eandem Hiſtoriam, qualis ſcripta fuit a *Galeatio Gataro, Andreæ* patre, itidem ex MSpto Codice Bibliothecæ Eſtenſis nunc primum luci redditam. Merito ſuo nobile hoc *Gatarorum* par jungas ſcriptoribus, qui Patavinæ civitatis hiſtoriam ex inſtituto perſecuti ſunt, vel præſtantiſſimis, *Livio*, *Rolandino*, Monacho Patavino, *Albertino Muſſato*, *Guillielmo* & *Albrigeto Cortuſiis*, aliisque permultis, vel editis jam dudum, vel magno rei literariæ detrimento obſcuras habitare juſſis Bibliothecarum latebras. Incidit *Galeatii*, patris, ætas in annum 1380, quo rem publicam adminiſtrabant Carrarienſes Principes, & , ſi fides habenda *Bernard. Scardeonio* in Antiquit. Patav. Lib. II Claſſ. 11, vir fuit probus, & Orator magnus, multis etiam functus legationibus, & eximiis tam in Principes ſuos, quam in Venetam Rempublicam, nobilitatus meritis. Is ipſe *Scardeonius*, cum mentionem facit Hiſtoriæ hujus Patavinæ, tacet prorſus de *Andrea*, filio, cui tamen haudquaquam neganda eſt gloria elimati diligentius multumque locupletati Operis. Ipſo enim teſte conſtat, in enarrandis rebus Patavinis perveniſſe *Galeatium* ad annum usque 1405, quo ipſo peſtilentiæ, per illa tempora pervaſtantis Patavium, furor eum ſuſtulit, quæque ab illo tempore ad finem usque belli Patavini & flebile gentis Carrarienſis exitium geſta ſint, ab ipſo demum fuiſſe addita, operamque datam, ut, quæ ſcriptis prodita a patre fuerant, in lucem exire poſſent quam emendatiſſima. Ejusdem *Andreæ* teſtimonio illud nobis de gente *Gatarorum* conſtat, ortum duxiſſe e civitate Bononienſi, & floruiſſe hic anno maxime 1200; *Galeatium* patre natum *Andrea*, avum, ſeu, quod veroſimilius, proavum habuiſſe *Montinum de Gataris*, qui A. 1229 civium ſuorum vi

ex-

Digitized by Google

expulſus patria, primus conceſſerit Patavium; hic *Galeatium* cum patre in Doctorum & Advocatorum collegium adſcitum, publicisque multis admotum muneribus, frequentes obiiſſe legationes,& multa præclare geſſiſſe pro honore gentisPatavinæ; denique *Joannem Galeatium* cum patre & fratribus numero quatuor A. 1404 ſtipendio meruiſſe in caſtris Patavinæ Reipublicæ, eidemque a Franciſco, Carrarienſium Principe, primum exercitus vexillum commendatum. Ipſum cognomen *Gatari* quod attinet, non infelix Cel. Editoris conjectura eſt, petitum huic genti a *Catharis* fuiſſe, ignoto nemini Hæreticorum genere, & a Manichæorum pravitate alienis parum, ſeculoque maxime XII omnem pervagatis Langobardiam, quorum ne intercidat prorſus memoria, publicum Mediolani in platea Mercatorum monumentum legitur, A. 1232 Oldrado Prætori poſitum, viro rempublicam gnaviter adminiſtranti, qui, ut habetur in marmore, *Catharos, ut debuit, uxit.* Haud enim abhorret adeo a veriſimilitudine, ex majoribus *Gatarorum* alicui, ut illa ferebant tempora, additum id agnominis vel ob factum turpiter commiſſum, vel præpoſtera civium petulantia. Codices MSpti, quibus uteretur in edenda hac Hiſtoria, ad manum illuſtri *Muratorio* tres fuere, iidemque ſinguli ex Bibliotheca Eſtenſi ipſi commodati, & tam genere dicendi, quam argumentis rerum, longe inter ſe diverſiſſimi. Erat enim ex his alter copioſe & diffuſe ſcriptus, rerumque nove additarum ampliſſimas narrationes continebat; alter, ordinem eundem ſecutus, autorem habere ſtudioſiorem elegantiæ & concinnitatis videbatur; tertius denique, etſi nec verborum, nec rerum, tam prodigus, habebat tamen aliquid ſuavitatis, & vel ſola inelegantia & ſimplicitate ſua delectabat lectorem ſuum. Quæ cum mira omnino eſſet & vix audita antehac unius ejusdemque libri diverſitas; nihil dubitandum exiſtimavit Editor doctiſſimus, quin alter Codicum, cujus plana eſt & paullo reſtrictior narratio, *Galeatii*, patris, ſit, *Andreæ* autem, filii, ille alter verboſior, ditiorque momentis multis hiſtoricis & accuratiſſima narratione belli ad Foſſam Clodiam ſive Clugiam Venetos inter & Januenſes geſti, quam, in chartis *Danielis Chi-*

*natii* inventam, in ſuos *Andreas* probe uſus converterat. De tertio Codice, ejusdem *Andreæ* aut teſtante ubique aut mentiente calamum, at multum diſcrepante a reliquis, neque tamen negligendo prorſus, ſed rebus inſtructo paſſim ejusmodi, quæ ſcriptorem facile æquævum loquuntur, non habuit, quæ diceret, *Muratorius*, niſi quod credibile exiſtimet, quæ ipſe olim diligenter ſatis & prolixe conceperat, immutata poſtea ab *Andrea*, & in aliam traducta formam eſſe. Putavit tamen e re lectorum fore, præferre huic Codicem alterum, & in manus noſtras ea tradere, quorum præ ceteris magna eſſet rerum curate diligenterque expoſitarum commendatio. Addidit eidem *Galeatii*, patris, hiſtoriam, utpote ſat dignam hoc honoris genere, & nativo ſermone ſuo lectoribus futuram voluptati, quin ea nos paſſim edocentem, quæ ipſi aut prætermiſſa penitus,aut non ea,qua par erat, cura expoſita *Andreæ* fuerant. De univerſo *Gatarorum* Opere ita exiſtimat Cel. *Muratorius*, in compoſitiſſimis numerandum, &,ſive ad elegantiam ſermonis, ſive ad rerum expoſitarum amplitudinem oculos convertas, non quem *Gataris* anteponat,ſcriptorem habere Patavinam Rempublicam, hisque conſtare teſtibus poſſe, tuliſſe barbara illa ſecula Hiſtoricos, nec ætatis macula infectos quicquam, nec indignos adeo, quos vel noſtri ævi ſcriptoribus in exemplum, quod imitentur, proponamus. Sermone conſcriptos eſſe hos libellos Italico, mirum videri iis poteſt, quibus non ignotum eſt ſummum illud, quod viguit ætate illa per univerſam prorſus Italiam, Latine dicendi ſcribendique,vel qualitercunque,ſtudium; ſed habuere omnino id*Gatari* præ ceteris ſui ævi ſcriptoribus præcipui, quod, Romani ſermonis forſan imperitia, vulgaris linguæ fuerunt amantiſſimi. Quod vero dialecti Patavinæ nulla hic animadvertas veſtigia, ſcriptaque ſint omnia concinno ſatis,pro temporum illorum barbarie, ſermone Italico, id limæ tribuendum vel *Andreæ*, filii, vel eorum, quibus commiſſum interdum negotium deſcribendi fuit. Denique, quæ legis hinc atque illinc in *Gatari* ſenioris Hiſtoria, carmina, laudibus ſacra Principum Carrarienſium, ea, ne mireris, ſuis paſſim laborare vel metri, vel ſcripturæ, vitiis. Lectionis enim hæc in libris

MSptis

Digitized by Google

MSptis omnibus tam fuiſſe, nos docet *Muratorius*, corruptæ atque depravatæ, ut &, quæ ſanata hic & in elegantiorem redacta ordinem, ipſi conſliterint labore magno, &, quæ ſcripturæ eſſent prorſus deſperatæ, his nihil ipſe, quantumvis acutus alioqui, parare medicinæ ſciverit. *Gatarorum* Opus egregium excipit haud minoris pretii labor *Georgii Stellæ, Annales* nempe *Genuenſes, ab A. 1298 usque ad finem A. 1409 deducti*, quos deinde *Georgii* frater, *Joannes*, ad annum proſecutus eſt 1435, e MSptis Codicibus, uno Veronenſi, binis Ambroſianis, & Genuenſi uno, jam primum in conſpectum eruditi orbis prolati. Laudabili conſilio horum Annalium jam nobis copiam facit honeſtiſſimi ingenii Vir, *Muratorius*; quandoquidem, ſi adjungas hos Annalibus Genuenſibus *Gaffari*, & Chronico *Jacobi de Varagine*, quibus Genuenſis Reipublicæ res maxime commemorabiles inde ab ejus initiis usque ad annum 1298 enarrantur copioſius, jam olim *Muratorii* beneficio in manus noſtras traditis, habes jam ſuis numeris abſolutam & ad annum usque 1435 deductam illuſtris Italorum Reipublicæ Hiſtoriam. Liber is exſtare non uno in loco Italiæ dicitur; eum vero, unde deſcripta hæc *Muratorio* in uſus publicos, Codicem dedit Bibliotheca Veronenſis *Joannis Saibantis*, viri multis nominibus laudatiſſimi, a quo precibus ſuis obtinuit *Marchio Scipio Maffæus*, Veronenſe decus incomparabile, ut ornandos expoliendosque in commune commodum Annales hoſce liberaliter permitteret Cel. *Muratorii* induſtriæ. Autorem libri is ipſe Codex dicit *Georgium Stellam, filium quondam Facini Stellæ, Cancellarii communis Januæ.* Contra alii *Notarium publicum, & quondam Facini Notarii filium, civem Januæ*, perhibent. Satis hæc cum nomine & cognomine patrem munusque *Stellæ* indicant. Excellentis vir doctrinæ fuit; nec deſtituendum hac laude eſſe patrem *Facinum*, ex inſigni munere *Cancellarii*, quod hominum fuiſſe ætate illa non niſi literatiſſimorum conſtat, haud difficile cognoſcas. Ad hiſtorias ſcribendas hoc aptior putandus eſt *Stella* noſter, quo longius a ſe abeſſe juſſerat ignobile illud partium ſtudium, in enarrandis Reipublicæ, multarum factionum turbidiſſimis

procellis in tranſverſas quasque partes jactatæ, rebus geſtis occupatus. Quæ a Guelfis & Gibellinis illa circiter tempora tentata fuere non ſine Italiæ univerſæ pernicie, ea, Gibellinis etſi natus parentibus, ita hic ſingula commemorat, ut neutri addictus parti videatur, nec eorum, quæ nefarie ac improbe geſta ab utrisque eſſent, quicquam relinquat intactum, ſed ea ipſa deteſtetur maxime acriterque perſtringat. Cujus rei multa poſſent, eademque manifeſta ſatis, ex ipſo Opere aſſerri teſtimonia, ſi quidem noſtrum eſſet, ea agere, quæ,ſi recte judicamus, eſſe potius Lectorum videntur. Quodſi igitur de eo dubitandum nemini, fuiſſe *Stellam* noſtrum veritatis ubique ſtudioſiſſimum, Annales hos, quis non videt, vel ſolo hoc nomine æſtimandos eſſe quam maximi. Idem *Stella*, quod ex Annalium Præfatione conſtat, *de Sanctis & illuſtribus ſuæ patriæ viris* meditatus eſt Opus, cui num manum poſtea admoverit, & an ejus olim publicandi aliqua nobis ſpes ſuperſit, nos quidem cum Editore doctiſſimo ignoramus. Mortem ejus incidiſſe in annum 1320, in iisdem Annalibus frater ejus *Joannes*, ejusdem Reipublicæ Cancellarius, teſtatur. Huic ipſi enim Operis iſtius tribuendam eſſe partem haud exiguam, qui negare audeat, nemo eſt, etſi, quanta ſit laboris, a *Joanne* hic ſuſcepti, portio, nondum adeo ſit expeditum. Quantumvis enim, in anno 1405 ſubſtitiſſe *Georgium*, ſit veroſimile, propterea quod ipſe ſcribat in Annalibus, hoc anno ſibi ad aliquod tempus laborem hunc ſepoſitum, & ſatis perſpicua ſint, quæ inſcripta in Codice Veronenſi, ſimilique alio, leguntur: *Georgii Stellæ Facini Genuenſis Chronica de Genua, edita Anno a Verbi Dei Nativitate MCCCCV*, ſuppetatque in Bibliotheca Vaticana Codex, nihil eorum continens, quæ poſt annum 1405 ſcripta ſunt; in aliam tamen conjecturam nos inducunt Genuenſis & Ambroſiani Codices, quos finiri in commemoratione eorum videas, quæ A. 1409 contigerunt, id quod argumento eſſe poteſt, hoc demum anno poſitum a *Georgio* negotium ſcribendi eſſe. *Muratorius* noſter, ut evitaret hos ſcopulos, nec temere hic diceret ſententiam, ad *Joannem* retulit, quicquid poſt A. 1409 (ulterius enim non progreſſus *Georgius*) legitur



Digitized by Google

gitur memoriæ hic proditum. Ceterum, cum conferre inter ſe Hiſtoriæ hujus Codices quatuor licuerit *Muratorio*, Veronenſem unum, unum Genuenſem, binosque Ambroſianos, factum hinc, ut, quæ depravata legerentur in altero, ex altero feliciter potuerint emendari, prodieritque adeo univerſum hoc Opus, quam fieri potuit, elimatiſſimum. Pretium vero hujus a *Stellis* compoſitæ Hiſtoriæ Genuenſis penes Italos fore hoc majus ſcias, quo certius comparantibus eam cum *Folietæ, Juſtiniani*, aliorumque ſcriptorum Genuenſium, laboribus illud apparet, quicquid his ipſis bonæ frugis ineſt, id maximam partem hauſtum ex *Stellanis* hic fontibus eſſe, &, ſi ſua ſibi vindicent horum conditores Annalium, reliquos omnes ſimiles futuros illi deplumato graculo. Ultimum in hoc Tomo locum occupat perbreve *Chronicon Ripaltæ ab A. 1159 usque ad A. 1405*, nunc primum luce donatum ex MSpto Codice Malaſpineo. Ripalta hæc, cujus hiſtoriam & fata perſequitur libellus iſte, pagus eſt quatuor millia paſſuum Taurino diſtans, prope Ripolim, meridiem verſus & occidentem. Locus monaſterio maxime nobilis, religioſe olim culto, & per Chronicon hoc ſæpiſſime commemorato. Comiti paret, ex gente oriundo Urſina; ſed exemtos ab ejus dominio vivere hic conſtat Ciſtercienſes nonnullos Monachos, largiſſimum ex terra fructum percipientes, ſed oneris ferentes prorſus nihil. Forſan horum aliquis potiores hujus loci viciſſitudines manu notavit, gracilemque opellam hanc poſteris reliquit. Nam, quis fuerit hujus Chronici autor, id certo dici non poteſt, neque is labor, utpote tenuis ac fere nullus, ſingulari laudi ceſſerit auctori ſuo. Leviter indicata hic legas rerum geſtarum momenta potiſſima, &, quæ in uſus tuos poſſis convertere, pauca admodum invenias. Neque tamen penitus hoc quicquid eſt libelli, abjiciendum putamus, nec de eo gratias Editori optimo, &, cui acceptum is tulit, Marchioni *Joſepho Malaſpinæ*, habendas nullas eſſe, quippe perſuaſum nobis habentes certiſſime, ex hiſtoriarum monumentis nihil formæ eſſe tam neglectæ & inelegantis, unde non aliquando uni vel alteri eruditorum ſuus expectari fructus poſſit.

*DISSER-*

Digitized by Google

## *DISSERTATIO HISTORICA DE CAPItalium criminum abſolutione; Autore F. JOSEPHO AUGUSTINO ORSI, Ordinis Prædicatorum.*

Mediolani, apud Joſeph. Richinum Malateſtam, 1730, 4. Alph. 1 pl. 17.

IN varias abeunt ſententias antiquitatis Eccleſiaſticæ conſulti de deſcribenda veteris Eccleſiæ circa pœnitentes diſciplina ſoliciti. Quæ licet admodum diverſæ ſint, ad duas tamen claſſes generatim revocari poſſunt. Nonnulli enim, e. g. *Albaſpinæus, Petavius, Valeſius*, in ea verſantur opinione, quod ſeveriſſima diſciplina circa pœnitentes, qua graviorum criminum rei a communione in perpetuum excludebantur, ſub Apoſtolorum tempora, & ad *Tertulliani* fere ſeculum obtinuerit. Quæ a *Zephyrino*, Pontifice, quod ad mœchiam ſpectat, paululum relaxata, *Cypriani* vero temporibus majores ad lenitatem progreſſus habuerit. Alii, e g. *Morinus*, contra tuentur, Eccleſiam non a ſeveriſſima diſciplina in mitiorem progreſſu temporis declinaſſe, ſed contra a lenitate ad majorem ſeveritatem progreſſam eſſe. Mitioribus enim pœnis ab Apoſtolorum ævo ad *Montanum* usque, gravioribus a *Montano* ad *Novatianos*, graviſſimis denique poſt *Novatianum* ſchisma ſuppliciis in lapſos animadvertiſſe. Cui quidem poſteriori ſententiæ
p. 84. doctiſſimus *Orſi* ſuum addit calculum. Ejus enim inſtituti ratio eſt, oſtendere, Catholicam Eccleſiam tribus prioribus ſeculis capitalium criminum reis pacem & abſolutionem neutiquam denegaſſe. Contra *Albaſpinæum* igitur, *Petavium*, *Lupum*, *Martene*, & alios, diſputat.
2. Præfat. E quibus tamen *Albaſpinæum* præcipue adverſarium ſibi elegit, qui in integro propemodum libro ſecundo Eccleſ. Obſervat. in eo verſatur, ut ſeveram & inexorabilem diſciplinam in veteris Eccleſiæ uſu jam inde ab Apoſtolis fuiſſe demonſtret, & omnem ab hoc ritu feritatis & inhumanæ crudelitatis notam infamiamque depellat Non ſolum vero doctiſſimus *Orſi* in obſervationes *Albaſpinæi* data opera inquirit, verum etiam oblata opportunitate

de

de quibusdam controverſiis Chronologicis huc facientibus diſputat. Ne autem his diſputationibus lector a ſcopo præcipuo abducatur, hæc parerga ſingularibus titulis & Digreſſionibus, uti vocat, perſecutus eſt.

Noſtrum erit, non ſolum ſummam hujus eruditæ Commentationis paucis minimum verbis recenſere, verum etiam quibusdam exemplis in medium prolatis docere, quomodo Clariſſ. Autor inſtituto ſuo ſatisfecerit. Quatuor autem Sectionibus hic Commentarius abſolvitur. Atque, ut de prima ſectione principe loco agamus, in illa propugnat, duobus prioribus ſeculis Apoſtolicas Eccleſias ob graviſſima ſcelera excommunicatis, quos perpetratorum peccatorum ſerio pœnituit, aditum ad Eccleſiæ communionem non denegaſſe. Quod ut probet, ſeptem Capitibus varia comparis ætatis ſcriptorum teſtimonia exhibet, quibus de diſciplina veteris Eccleſiæ circa pœnitentes in Achaia, Macedonia, Galatia, Aſia, Eccleſia Romana, Ponto, Eccleſ. Antiochena, Alexandrina & Gallicanis dedita opera agitur. p. 1–86.

Ex quo enim *Cap. I* obſervavit, ſtilo Eccleſiaſtico, mœchiam, idololatriam & homicidium, peccata capitalia præcipue appellari, a quibus homines pœnis canonicis quondam deterrebantur, & quorum remittendorum poteſtatem Montaniſtæ & Novatiani Eccleſiæ denegarunt; ad alteram Pauli ad Corinthios Epiſtolam ſe convertit, ex illa ſententiam ſuam probaturus. Exiſtimat ad in altera hac Corinthios Epiſtola Apoſtolum pace & abſolutione inceſtum Corinthium donare, quem in priori Epiſtola a communione ſubmotum Apoſtolus ſatanæ in interitum carnis dederat. Ipſi *Tertulliano* Montaniſtæ hoc argumentum Catholici doctoris objecerant, qui in libro de pudicitia omnem movet lapidem, ut huic objectioni occurrat, & variis argumentis tuetur, inceſtum, quem in poſteriori ad Corinth. Epiſtola Paulus abſolvit, alium eſſe ab eo, quem ob inceſtum in priori Epiſtola damnaverat. Duplici autem argumento Cl. Autor *Tertullianum* refutat. Primo enim adducit Patrum quorundam teſtimonia, qui tenent, de uno eodemque Corinthio in utraque Epiſtola agi. Tum obſervat, ſi vel maxi- 4 ſeq.

me concedatur, de alio aliquo inceſto in poſteriori ad Corinthios Epiſtola agi, ex hac Epiſtola tamen confici poſſe, Mœchos, Fornicarios, Inceſtos, non ita olim fuiſſe excommunicatos, ut, licet pœnitentiam agerent, illis perpetuo aditus ad communionem denegaretur. *Cap. IV* probare conatur, ſecundum
p. 31 ſeq. *Hermæ* doctrinam mœchos non fuiſſe repellendos a pœnitentia, nec pœnitentes a communione. Non inter omnes conſtat de vera *Hermæ* de hac materia ſententia. *Tertullianus* in libro de pudicitia nimiam in adulteros indulgentiam *Hermæ* vitio vertit. Ab aliis contra habitus eſt tam in apoſtatas durus & inhumanus, ut eum a Montaniſtis & Novatianis nihil abfuiſſe tueantur. Clar. Autor noſter propugnat, *Hermam* neque diſciplinam erga adulteros plus æquo laxaſſe, cum iis demum veniam ſpoponderit, qui dignos egiſſent pœnitentiæ fructus; neque etiam Montaniſtarum & Novatianorum inhumanitatem ſuam feciſſe. *Hermam* enim ſæpenumero in libris ſuis profiteri, pœnitentiam a perditis ac profligatis hominibus raro aut difficile concedi, attamen, ſi re ipſa pœnitentiam egerint, illos veniam utique conſequi.

86–150. Sectione ſecunda inquirit, quæ ſub finem ſeculi ſecundi & ſub initium tertii Eccleſiæ Carthaginenſis circa pœnitentes diſciplina fuerit. Et eam in rem *Tertulliani* librum de pœnitentia & ejusdem de pudicitia Commentarium obſervationibus ſuis illuminat. Etenim *Tertullianus* duplici in libro de
87 ſeq. capitalium criminum abſolutione egit. *Sed adeo inter ſe pugnant*, ipſius Clar. *Orſi* verbis utimur, *quæ in utroque Opere docuit, ut non de una eademque Eccleſia, ſed plane diverſis, & quæ contrariis legibus ac inſtitutis ducerentur, differere videatur: & quam luculenter docet in libro de pœnitentia, pacem olim fuiſſe ab Eccleſia delictis omnibus, ſeu ſpiritu ſeu carne commiſſis, idololatris etiam & homicidis, indultam, tam id aperte negat in libro de pudicitia.* Librum enim de pœnitentia, cum adhuc orthodoxus eſſet, elaboravit. Librum vero de pudicitia cum ſcriberet, jam *Montani* ſequebatur caſtra. Ex libro igitur de pœnitentia Clariſſ. Autor demonſtrat, orthodoxos ſeculi ſecundi doctores adulteris, homicidis & idololatris

tris aditum ad communionem Eccleſiæ non denegaſſe, modo prius pœnitentiam egiſſent. Quam quidem ſententiam ſuam ut tueatur, præcipue navat operam, ut objectionem, quæ ex *Tertulliani* libro de pudicitia *Cap.V*, non ſine veritatis ſpecie, moveri poterat, infirmet. Inibi enim *Tertullianus* tuetur, nequaquam ſibi conſtare Eccleſiæ Catholicæ diſciplinam, quod pacem concederet adulteris, quam homicidis & idolalatris denegabat. *Aſſiſtit*, inquit *Cap. V*, *Idololatra, aſſiſtit homicida, in medio eorum aſſiſtit & mœchus: pariter de pœnitentiæ officio ſedent, in ſacco & cinere inhorreſcunt, eodem fletu gemiſcunt, eisdem precibus ambiunt, eisdem genibus exorant, eandem invocant matrem. Quid agis, molliſſima & humaniſſima diſciplina? aut omnibus eis hæc eſſe debebis, beati enim pacifici: aut, ſi non omnibus, noſtra eſſe. Idololatram quidem & homicidam ſemel damnas; mœchum vero de medio excipis, idololatriæ ſucceſſorem, homicidæ anteceſſorem, utriusque collegam?* Videlicet propugnat, a vero prorſus abludere eorum reſponſionem, qui *Tertullianum* manifeſti adverſus Eccleſiam mendacii reum traducunt, & obſervat, vetuſtiorum temporum diſciplinam fuiſſe, ut lapſi communione Eccleſiæ privati & pœnitentiam agentes exſpectarint Eccleſiæ publicam pacem, nec ante de illorum reconciliatione ageretur, quam fidei ac religionis hoſtes, Chriſtianorum conſtantia fatigati, vexationem finiiſſent. *Tertullianum* igitur nihil aliud tradere, contendit, quam tempore perſecutionis lapſis reconciliationis aditum fuiſſe interclufum. Quod etiam recte ſe habeat. Finita autem publica vexatione nemini lapſo, ſerio pœnitentiam agenti, communionem Eccleſiæ denegatam fuiſſe, ex ipſis *Tertulliani* verbis probat, qui in libro de pudicitia commemorat, a Catholicis monſtri ac portenti loco haberi eam pœnitentiæ ſpeciem, quam venia carere Montaniſtæ ſtatuebant.

(margin: p. 115 ſeq.; 137.)

Sectione tertia ex iis, quæ a Clero Romano & *Cypriano* Carthaginenſi Antiſtite contra extremam Novatianorum ſeveritatem, geſta ſancitaque ſunt, probare annititur, nullis lapſis ad Eccleſiæ communionem, poſt actam pœnitentiam, reditum fuiſſe interclufum. Ut de iis, quæ in hac Sectione a Clariſſ. 151–257.



Digitized by Google

Autore erudite diſputantur, exemplo quodam conſtet, exponemus, quomodo privilegium Martyrum, pacem excommunicatis dandi, deſcribat. p. 185 ſeq. Tenet, illam pacem peccatorum abſolutione minime conſtitiſſe. Id quod etiam ex Epiſtola Cleri Romani inter *Cyprianicas* 36, alias 30, probat. Inibi enim ſtatuitur, pro nihilo habendam eſſe pacem a Martyribus conceſſam, ſiquidem eam Martyres contra Evangelii legem & diſciplinam indulſiſſent. In eo tantum pax & communio, quam Martyres lapſis dabant, poſita fuiſſe Cl. Autori videtur, quod eos martyres aſpectu ſuo, alloquio, ſalutatione, convivio & orationum quoque conſortio, dignarentur, adeoque iis privatam, non autem publicam, communionem concederent. Hanc pacem & communionem lapſis a Martyribus inconſultis Epiſcopis fuiſſe conceſſam, & hanc quomodocunque impetratam veluti præjudicium quoddam lapſos prætexuiſſe ad plenam perfectamque reconciliationem ab Epiſcopis obtinendam. Hanc a Martyribus ſibi conceſſam privatam communionem lapſos nonnunquam inſolentius urſiſſe, & eo audaciæ proceſſiſſe, ut, quamvis ab Eccleſiæ pace adhuc excluſi eſſent, pacem tamen in cœlis ſe jam habere dicerent, quia in cœlis erant Martyres, qui eos, dum viverent, in ſuam receperant communionem. Atque ex hac obſervatione, de ſententia Doctiſſ. Autoris, intelligi poſſunt ea, quæ *Cyprianus* in ſuis Epiſtolis his lapſis objicit; quod ſchismatico plane ſpiritu altare contra altare erigant, & Eccleſiam adverſus Eccleſiam inſtituere cogitent, perinde ac ſi alia eſſet Eccleſia, quæ Martyrum communione frueretur, alia, quæ cum Epiſcopis communicaret.

258–310. Sectione *quarta* id præcipue agit Doctiſſ. *Orſi*, ut oſtendat ſub finem ſeculi tertii capitalium criminum reis graviores fuiſſe pœnas, quam primis Eccleſiæ ſeculis, conſtitutas. Cujus quidem mutatæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ rationes non ſolum ex invaleſcente tum temporis corruptione morum, ferme abrogatis aut valde attenuatis Martyrum & confeſſorum privilegiis, infrequentia & raritate perſecutionum, verum etiam ex hæ-
299 ſeq. reſi Novatiana, repetit. Ultimo hujus Sectionis & integræ Commentationis Capite ſigillatim quærendo inveſtigat, an in Eccle-

ſiæ

Digitized by Google

ſiæ poteſtate & arbitrio poſitum ſit, pacem ſive abſolutionem quibusdam peccatorum generibus denegandi? Ad quam quidem quæſtionem negando reſpondet, & Scripturæ ſacræ & *Auguſtini* autoritate motus. Studet etiam conjectura quadam oſtendere, verba, quibus uſi ſunt Illiberitani Concilii Patres: *nec in fine accipiant communionem*, non impedire, quo minus credamus, perpetuam hanc fuiſſe veteris Eccleſiæ diſciplinam; nemini pœnitenti reditum ad Eccleſiæ communionem denegare. p. 307.

Ad obſervationes Chronologicas progredimur, quas Autorem noſtrum ſingularibus, uti vocat, Digreſſionibus proponere, ſupra obſervavimus. Ut autem paucis verbis nos expediamus, unice commemorabimus, quid de ſingulis quæſtionibus Clar. *Orſi* ſtatuat, benevolos Lectores, quibus hæc talia arrident, ad ipſius doctiſſimi libri lectionem invitaturi. Digreſſione prima de Marcionitarum hæreſis ortu & progreſſu disputat, &, rejectis *Petavii* & *Pagii* conjecturis, tenet, anno æræ communis 143 *Marcionem* in Ponto & Aſia diſſeminaſſe *Cerdonis* opiniones, quas Romæ imbiberat. Digreſſione ſecunda ex inſtituto inquirit, quo anno *Tertullianus* Montaniſtis adhærere cœperit, & librum ſuum de corona militis publici juris fecerit? Ex quo enim Cl. *Pagii* ſententiam refutavit, qui primam hujus libri editionem ad annum 202 refert, in annum 198 omnes characteres notasque Chronologicas exactius convenire judicat. Digreſſ. tertia Doctiſſ. *Orſi* inſtitutum eſt, demonſtrare, *Tertulliani* librum de pudicitia poſt ſedatam quidem, ſed nondum omnino extinctam, Severianam in Africa Chriſtianorum vexationem, h. e. anno circiter inter 207 & 210, lucem adſpexiſſe publicam. Quo quidem tempore etiam de opinione Cl. Autoris liber *Tertulliani* de Pallio exaratus eſt. Digreſſione quarta de tempore ſeu menſe, quo Romam uterque Decius reliquerunt adverſus tyrannos & barbaros pugnaturi, ſingulari induſtria agit. *Pagium* præcipue refellit, qui Imperatorum diſceſſum ad finem Octobris anni 251 differt. Ex *Cypriani* enim Epiſt. 54, al. 52, ad *Antonium* probat, Roma abfuiſſe eo tempore Imperatores, cum Clerus Romanus *Cornelium* Epiſco-

41-68. 104-114. 120-136. 202-233.

pum eligeret. Qui quidem *Cornelius*, cum, ut cum *Pearſonio* in annalibus *Cyprianicis* docet *Pagius*, jam die quarta Junii E-
p. 260-281. piſcopus Romanus evaſit. Digreſſ. quinta & ultima de Illiberitanæ Synodi ætate verba facit, &, rejecta *Pagii* a que *Baluzii* ſententia, ſub initium ſeculi quarti, ante indictam a Diocletiano decennalem perſecutionem hanc Synodum habitam eſſe, propugnat.

## *PALIGNESII MONITA GENEALOGICA Autori Vindiciarum Arboris Genealogicæ Auguſtæ Gentis Carolinæ-Boicæ, quas videlicet Vindicias hic ſcripſerat contra ſyſtema, quod Sereniſſimorum Bojorum Principum fundatorem ponit Luitpoldum, & negat eſſe Carolum M. ediditque Monachii in fol. 1730. His autem Monitis Principum Genealogias probandi ratio explicatur; in Vindiciis allata documenta recenſentur, expenduntur que; de probo inficialis argumenti uſu ex optimorum Philoſophorum lectionibus præcepta repetuntur; opinio Vindiciis cum aliis rejiculis traditionibus committitur; magnus Liutpoldus in priſtina, utpote genuinus Sereniſſ. Gentis Boicæ fundator, jura ſua reſtituitur; ſecus ſtatuentes Vindiciæ univerſim placide emendantur.*

Aleſtadii, ex officina Agheleni, 1732, 4 maj.
Alph. 2 pl. 2, cum nonnullis Tabb. æneis.

QUi magnorum Principum ſtemmata propaginesque deſcribunt, in illuſtri quidem ſplendidoque verſantur argumento, ſed ſæpe in difficiles ancipitesque incidunt rationes, hærent identidem in ſalebris, atque ſe facile diſceptationibus objiciunt. Primum enim, quis neſcit, quanta plerumque caligine, uti aliarum rerum multarum, ita & illuſtrium ſtirpium, origines circumfundantur? Deinde & illi, qui hujusmodi familiarum Genealogias contexendas ſibi ſumunt, non eodem ſem-

ſemper animo conſilioque inducti, neque iisdem inſtructi præſidiis, rem aggrediuntur. Unde facilis & larga diſſerendi copia haud deeſſe potuit Viro cuidam docto, *de neceſſitate ſcepticiſmi in ſtudio Genealogico* commentanti. Noſtrum non eſt, ejus generis exempla altius repetere. Oculis enim animisque noſtris jam obverſatur Sereniſſimorum Bavariæ Ducum ſtemma; cujus initia alii aliter explicarunt. In his ipſis *Actis, A. 1730, Menſe Septembri, pag. 428,* recenſuimus *Vindicias Arboris Genealogicæ Auguſtæ Gentis Carolino-Boicæ*, Monachii eodem anno evulgatas; in quibus, contra ſyſtema alius autoris Geneographi, Arnulphus, Dux Bavariæ, quem malum cognominant monachi, ſator quidem Sereniſſimæ Gentis Boicæ conſtituitur, ſed ita, ut idem ad patrem Arnulphum, Imperatorem, & inde continuo nexu ad Carolum Magnum, tanquam atavum, referatur. Quam ſententiam nunc impugnat *Palignefius*; cujus verum nomen quamvis adhuc ignoremus; eruditionem tamen exquiſitam, quam hæc ipſa Commentatio abunde teſtatur, omnino magni facimus. Is vero, propoſitis XXXIII monitis, haud tralatitia opera demonſtrandum ſuſcepit, potius Liutpoldum, Comitem, Marchionem, Ducemque orientalis Bojoariæ, quam Arnulphum, Imperatorem, fuiſſe Arnulpho illi Malo patrem. Quod argumentum uti magno eruditionis apparatu tractat; ita, præter ea monita, quæ ad expediendam controverſiam pertinent, non pauca alia inſpergit lectu perjucunda. *Monito I* orditur generatim agere de ratione Principum Genealogias probandi; ac, quemadmodum notat, Vindiciarum autorem nimis acriter cauſam ſuam contra diſſentientes videri egiſſe, quaſi in ea omnis Sereniſſimæ gentis Boicæ gloria vertatur, ita gratulatur ſeculo noſtro, quo Principes exuerint fabuloſarum originum præjudicium; cum, exempli cauſa, Sereniſſ. domus Lotharingica hodie repudiet generis ſui ortum olim ab Antenore petitum, Regia domus Allobrogum haud amplius incunabula ſua a Wittekindo Saxone deduci geſtiat, Hannoverana & Eſtenſis ſtirps certiores, quam inde usque ab Accio Romano recenſitos, probet natales; aliive magni Principes, & ipſi Galliarum Reges, hodie proclivi in veritatem

Pag. 9.

16.

ritatem

ritatem conſenſu permittant, ut, originibus non ſatis demon-
p. 20. ſtratis, ſtemmata ſua nunc corrigantur. Deinde docet, licet incertus ſit gradus, quo Liutpoldus Carolingorum attingat proſapiam, eum tamen nullo modo dedecori eſſe poſſe Sereniſſimæ Genti Boicæ: cum ab antiquiſſimis ſcriptoribus in enumeratis Arnolphi Imperatoris expeditionibus bellicis crebro commemoretur; A. 895 Enchildiconi in Ducatu & Marchionatu Bajoariæ ſurrogatus fuerit; contra Hungaros res geſſerit fortiſſime; a Ludovico Infante in tabulis Regiis *illuſtris Comes*, & *charus propinquus*; ab aliis, *Regis nepos*, quamvis ancipitis notionis vocabulo, dictus ſit; ac cujus præterea conjugem deinceps viduam, teſte *Chron. S. Galli* ad A. 913, dignam habuerit Conradus, Rex, cui fidem matrimonii dederit. *Mo-*
24. *nito II* de probationibus, quæ in hac diſceptatione deſiderari poſſint, ita univerſe agit Autor, ut primo loco poſtulet, ad examen recte ineundum ante omnia ſtudium partium eſſe deponendum; deinde, ad eruendam veritatem originis familiarum, probationes vel ex hiſtoria, vel ex inſtrumentis, petendas eſſe; tum autem ex vera hiſtoria petitam autoritatem au-
29. toritati inſtrumentorum eſſe parem. *Monito III* ſigillatim de probationibus, quibus ad præſens negotium conficiendum ſit opus, differit, eoque conſilio octo proponit regulas. Sic *Axiomate I* docet, ſcriptores coætaneos, qui vel ipſi interfuerint rei geſtæ, vel hanc eodem tempore a videntibus acceperint, præ ceteris fide dignos eſſe habendos. *Axiom. II*: ſuppares, & ætati, qua res fuerit geſta, viciniores ſcriptores, in Hiſtoria & Genealogia, ſecundum autoritatis locum obtinere. *Axiom. III*: hujusmodi autem ſupparium ſcriptorum tempus, ex *Launoji* ſententia, ducentorum circiter annorum ſpatio definiri poſſe. *Axiom. IV*: ejus generis ſcriptorum aliquis ſi teſtimonium perhibuerit, quod vel cum aliorum Hiſtoricorum ſcriptis congruat, vel ab ordine naturæ, a rerum ſerie, & rebus aliunde jam certis, non abhorreat, tunc ejus autoritati refragari non licere. *Axiom. V, VI* & *VII*: poſteriorum ſcriptorum narrationes parum quidem momenti prioribus addere; haud tamen reſpuendas eſſe, ſi a coævorum teſtimonio non diſſentiant;

contra

Digitized by Google

contra recentiores, qui poſt ſecula aliquot a re geſta nati ſunt, niſi cum coævis conveniant, fide eſſe indignos. *Axiom.* VIII: in teſtium ejusdem ævi & paris autoritatis conflictu aſſenſus noſtri duces eſſe debere & experientiam, quæ eſt notatio momentorum, quæ in ejusmodi rebus accidere ſoleant, & naturam rei geſtæ, in qua attendendum, an ea ſit indifferens, nec indoli ac rationi rerum contraria. Quod ſi agatur de traditione rei geſtæ eo tempore, cujus nullus extet ſcriptor, eam, niſi accedat revelatio divina, neceſſario vel inter res non factas, vel ſaltem inter incertas, habendam eſſe. Hæc *Axiomata* referre, operæ pretium duximus: quamvis enim hiſtoriarum Genealogiarumque leges nimis adſtrictas & quaſi ſcrupuloſas præſcribere nonnullis videri queant; negari tamen haud poteſt, eas adverſus ſcepticiſmum hiſtoricum & Genealogicum non modo peropportunas, ſed aliquando etiam maxime neceſſarias eſſe. Porro vero Monitor eruditiſſimus *Monito* IV, p. 38. ubi hæc ſua Axiomata incipit ad præſens argumentum accommodare, concedit quidem, *Reginonem Prumenſem* adhuc unum tantum exiſtere ſcriptorem coævum, qui ad A. 907 teſtetur, Liutpoldum, orientalis Bojoariæ limitis Comitem Ducemque, Arnoldi Mali patrem fuiſſe; docet tamen, non tam leve in ejus teſtimonio eſſe momentum, quin fidem mereatur, cum, nullo alio ſcriptore æquali contradicente, nec refragante rerum natura & ſerie, id affirmarit; cum vero poſtea alii ſcriptores idem tradiderint, neque ab ullo alio idoneo & coævo teſte acceperint contrarium, conſectaneum eſſe, eos reprehendi non debere, etiamſi forte ſolum *Reginonem*, (quæ tamen res valde ſit dubia,) hujus narrationis habuiſſent autorem. *Monito* V vindicat Monitor locum *Reginonis* ab obje- 42. ctionibus Autoris Vindiciarum, qui, verba ejus a ſequioris ævi deſcriptore interpolata eſſe, ſuſpicatus erat. *Palignefius* enim ait, orthographiam vocabuli *Bavari*, vel *Bawari*, quam Vindex negaverat convenire in ætatem *Reginonis*, non in hoc ſolo loco, ſed & medio ejusdem *Reginonis* Chronico, ad A. 891, & in aliis iſtorum temporum ſcriptoribus, reperiri, neque eorum teſtimonia reddere ſuſpecta; adhæc ipſum *Reginonem*

 in

in Epiſtola ad *Dalberonem* fidem facere, ſe Annales ſuos ad annum 908 produxiſſe; ut nulla juſta cauſa ſit ſuſpicandi, hujus anni proximique temporis narrationem his Annalibus aliunde acceſſiſſe.
p. 49. *Monito* VI diluit Autor eas probationes, quibus autoritas Annaliſtæ Saxonis, & *Ottonis Friſingenſis*, tradentium, Liutpoldum Arnoldi Mali patrem fuiſſe, dubia fuit reddita. Ait enim is, plane incertum eſſe, utrumque hunc ſcriptorem ſuam de Arnoldi patre notitiam ex eodem fonte, nempe *Reginonis* Annalibus, hauſiſſe; cum res plures, quas *Regino* non attigerit, commemorentur ab utroque. Sigillatim oſtendit, adverſus *Friſingenſem* præter cauſam peti argumentum ab invidia; quaſi hic, ut obtrectaret laudibus Comitum Schirenſium, poſterorum Arnulphi Mali, eos vocarit tyrannos perſecutoreſque Eccleſiæ, ideoque negarit, hos ipſos ab Arnulpho Malo, & per hunc a Caroli Magni proſapia, deſcendiſſe. Sic
76. & *Monito* VII *Viti Arnpeckii* cauſam ſic agit præſtantiſſimus *Palignefius*, ut ſtatuat, eum fidem mereri, quatenus *Ottonem Friſingenſem*, & hunc, quatenus coævos teſtes, ſint ſecuti.
94, 98. *Monitis* VIII & IX contraria argumenta, quæ tanquam documenta ſtabiliendæ ſententiæ ſuæ attulerat Illuſtris Vindex, ad diſquiſitionem vocat, ac, cum hic primo loco teſtem excitaſſet *Jo Trithemium* ex prooemio Chronici Bavarici, regerit Monitor doctiſſimus, autoritatem *Trithemii* in hoc argumento eſſe nullam, utpote qui decimo ſexto demum ſeculo floruerit, hoc eſt, ſeptingenteſimo anno ab Arnolphi Cæſaris obitu, nec indicarit verum autorem teſtemque ſuæ ſententiæ, ac præterea, confictis quibusdam antiquitatis monimentis, jam alibi fidem ſuam in Genealogiis exponendis ſatis reddiderit ſuſpe-
101. ctam. *Monito* X teſtimonium Chronici Schirenſis, cujus fragmentum jam cum *Conradi Philoſophici* Chronico typis exſcriptum, refellitur, quippe cujus Chronici autor ſit incertæ ætatis, aut certe non adeo antiquus, prout ad autoritatem ei conciliandam requiratur; cum præſertim linguæ Germanicæ in eo idiotismus, ac nominatim hæc loquendi formula: *eine gefürſtete Gräffchafft*, novitatem ejus prodere videatur. Et quamvis Chronicon hoc ætatem ab A. 1283 deducendam præ

ſe

Digitized by Google

ſe ferat; id tamen nihilominus ab ævo Arnulphi Imperatoris quadringentos annos abeſſe. Similiter, a *Monito* XI ad XXIV, p. 110 ſeqq.
id copioſe agit Cl. Monitor, ut demonſtret, *Andreæ Presbytero, Hermanno Schedelio*, Autori Chronici Tegernſeenſis, anno 1481 abſoluti, *Vito Eberſpergenſi*, qui in Chronico MS. nitatur autoritate *Vincentii* ſpeculi hiſtorialis, item *Henrico Pantaleoni*, *Leonardo Wurſbainio*, *Ludovico Tolnero*, *Lehmanno* in Chronico Spirenſi, *Hieronymo Henningeſio*, *Octavio Stradæ*, *Friderico Lucæ*, *Chriſtiano Matthiæ*, fruſtra in hac cauſa denuntiari teſtimonium; cum multo ſint recentiores, & a temporibus Arnulphi Imperatoris remotiores, quam ut planum facere poſſint, hunc fuiſſe patrem Arnulphi Mali, Ducis Bavariæ: multitudinem enim hujusmodi teſtium nullum pondus addere traditioni incertæ vel commentitiæ. Inter hæc, dum *Paligneſius Monito* XIII contra Chronicon Tegernſeenſe MS. & aliud nullius nominis & ætatis diſſerit, quasdam tabulas, quæ 126.
circiter ſeculo XV in charta calamo pictæ aſſervantur in Auguſtiſſ. Bibliotheca Vindobonenſi, quaſi animi cauſa profert, in quibus Principes Bavarici ab Hercule, & Armeniæ Regibus, adjectis variis inſignibus, deducuntur. At, cum in Vindiciis propoſitæ fuiſſent duæ *Arbores Genealogicæ* ejusdem auguſtæ Domus Bavaricæ, in monaſterio Tegernſeenſi adhuc ſuperſtites, quarum una in tabula lignea Gothico charactere, altera in membranis picta, ſtirpem totam cum gentilitiis inſignibus exhibeat, & utraque Arnulphum Malum non ad Luitpoldum Ducem, ſed ad Arnulphum Imperatorem, referat; doctiſſimus Monitor *Monito* XXV animadvertit, non ſimul a Vindice 169.
proditas eſſe notas harum tabularum Chronologicas; inſignia autem gentilitia iis addita argumentum eſſe novitatis haud obſcurum. Paria affert de aliis tabulis, in monaſterio Schirenſi adhuc reliquis; in quibus, ait, occurrere ſcripturam, & verba, quæ ſequius ſapiant ævum, & a ſeculi XII idiotismo longe recedant, iisdemque ſimiliter, contra morem priſcum, appoſita eſſe inſignia gentilitia, eaque tribus vel quatuor poſt ſeculis demum uſitata, maxime, cum nemo adhuc docuerit, inſignium uſum in clypeis apud Germaniæ Principes ante ſecu- 171.



Digitized by Google

lum undecimum obtinuiſſe. Præterimus alia, quæ de antiquo
p. 198. inſignium uſu ibi curioſe exponuntur. *Monito* XXVII oſtendit Autor, earundem imaginum in præſenti diſquiſitione nullum eſſe uſum, quia quinto plus minus ſeculo poſtea ſint depictæ, quam repræſentata diviſio provinciarum inter Arnulphi
211. Imperatoris filios fieri potuerit. Tum *Monito* XXVIII arguit idem, nec Vindicem juvari Diplomate electionis Imperatoris, Ludovici IV; etſi hic ibi dicatur *de alto & generoſo ſanguine divorum Regum & Principum procreatus* : potuiſſe enim Regium ſanguinem dici multis aliis nominibus, extra hoc principium a Carolo M. petitum; nec liquere, utrum procreatio illa Regia ex maſculino, an ex feminino, genere, ac ſigillatim de ſtirpe matris, Mathildis Auſtriæ, ſit intelligenda? *Monito* XXIX Monitorum Autor de Arnolpho, Liutpoldi patre incerto, quem viri doctiſſimi Arnoldi Mali avum certum tradidere, modeſte nihil aſſerens, id tamen evincit contra illuſtrem Vindicem, eum non Gallum, (ea, qua nunc venit vocabulum, ſignificatione) ſed Germanum, ſive Bavarum, fuiſſe; ſententiamque adſtruit argumentis, petitis ex Northmannorum hiſtoriâ penitiſſime inſpecta, & diligentiſſime excuſſa, ex illius ævi utriusque Franciæ ſtatu, ex ſitus locorum ratione, ex curato temporum, annorum & dierum, calculo, ex verbis Arnolphi Cæſaris, ex momentis circumſtantibus, affinibus, ſimilibus, adverſantibus, antecedentibus, conſequentibusque, ita, ut ad oſtendendum nil obſtet, quin aſſentiamus illis, qui ſtatuunt, Liutpoldi patrem fuiſſe Seniorem Arnolphum, neque Hiſtoricis, neque Dialecticis, quicquam in eo examine reliquum ſiat. Inſequenti Capite XXX docet *Palignefius*, argumenti inficiantis neceſſarium uſum eſſe in diſceptationibus hiſtoricis; ei tamen argumento idem certos ponit limites, quos hoc loco exponere, minus opus eſt. Qua ratione concludit, vel ſolum ſcriptorum per quatuor ſecula ſilentium de rebus quidem & momentis adeo neceſſariis memorabilibusque, ut hiſtoria ſine eorum commemoratione aut ſcribi, aut haberi, potuerit nulla, arguere, ſententiam Vindicis eſſe ſuſpectam. Quodſi enim Arnulphus Malus, & Wernerus, fuiſſent legitimi filii Arnulphi Impe-

Imperatoris, iique ex Agnete, filia Imperatoris Byzantini, procreati; mirum eſſe, cur res tanti momenti, ob ſublimes conjugii natales, a coævis ſcriptoribus prorſus in annalibus ſilentio fuerit præterita; cur, tot enumeratis expeditionibus Arnulphi Imperatoris, nusquam horum filiorum fiat mentio; quam ob cauſam idem Imperator Zuentipoldo & Ratpoldo, filiis nothis, quam his legitimis, regnum aſſerere maluerit; quare pater, cum pro Ludovico Infante jam nato, & pro anteceſſoribus ſuis, fecerit vota, horum filiorum plane oblitus videatur; cur fileantur iidem, ubi, Arnulpho Imp. ægrotante, & mox mortuo, ordines Imperii de ſucceſſore idoneo eſſent ſoliciti; cur tunc ipſe Arnulphus Malus, & Wernerus, nihil moverint contra Ludovici Infantis electionem, nec illorum meminerint Ordines Imperii in Epiſtola ad Joannem IX, P.M. data; denique, cur nec eorundem habita fuerit ratio, cum Ludovico Infanti procuratores regni conſtituerentur; & quæ ſunt alia iſtius ſilentii momenta. Ut vero porro conſtet, nihil profici, etiamſi contra ſilentium coævorum ſcriptorum traditio de Agnete, uxore, & Arnulpho Malo, Werneroque, tanquam filiis Arnulphi Imperatoris, per aliquot ſecula poſteriora invaluerit, *Monito* XXXI hæc ipſa poſteriorum Hiſtoricorum narratio cum aliis traditionibus tandem exploſis confertur; cum diu vel attritas, vel vexatas rejectasque, traditiones habeat hiſtoria Eccleſiaſtica Gallica, habeat Romana & Germanica, habeantque reliquæ. Hinc erudite, & ingenue, atque identidem jucunde, ab eximio Monitore recenſentur expenduntur-que traditiones, de *Dionyſio Pariſienſi*, diutiſſime, at falſo tamen, pro *Areopagita* habito; de Cyriaco & undecim millibus Virginum; de Conſtantini M. baptismate per Silveſtrum, P. R. de ejusdem Imperatoris donatione; de Salisburgenſis Eccleſiæ origine; de cauſa formulæ: *regnante Chriſto*; de bello Trojano, & excidio Ilii; de Leopoldi Pulchri, ejusque fratris, Alberti, mutuo flagitio; de mendaciſſima Venetorum pictura, qua fabulam turpis inter Fridericum I, Imperatorem, & Alexandrum III, P. M. concordiæ tradidere: quam fabulam etiam Senenſis civitas noſtris temporibus in publico palatio p. 274.

 depin-

Digitized by Google

depingi temere curavit, cum ſine dubio ad Pontificis illius Romani, tanquam civis Senenſis, infamiam magis, quam gloriam, renovandam faciat: præterea ibi exponitur traditio fabuloſa de venundata a Rudolpho I Imperatore, Italiæ civitatibus commentitia libertate; item de Johanna, Papa, femina.

p. 323. Denique ſequitur *Monitum* XXXII, in quo totum conficitur negotium hujus diſceptationis: unde ſtatim in primo hujus Operis alloquio huc ablegabantur lectores, ſi quibus integrum librum legere haud vacaret. Nunc enim etiam argumentis affirmantibus, probationibusque directis, res agitur. Primum igitur affertur, aut potius repetitur, locus ex Annalibus Fuldenſibus, ubi ad annum 889 hæc legimus: *Exeunte menſe medio, Rex apud villam, quæ dicitur Forahheim, generale Concilium habuit, ibique diſputans de ſtatu regni ſui conſultum eſt, ut eodem tenore primores Francorum, prout Bajoarii, juramento confirmarent, ne ſe detraherent a principatu & dominatu filiorum ejus, Zwentebulchi quidem & Ratoldi, qui ei de concubinis erant nati. Quod quidam Francorum ad tempus renuentes, tandem Regiæ ſatisfacientes voluntati, dextram dare non recuſabant, eo tamen modo, ut ſi de legali ſua uxore heres ei non produceretur.* Eadem etiam in Annalibus Bertinianis ad A. 889 narrantur. Hinc liquere ait diſertiſſimus Monitor, tunc temporis nullos fuiſſe filios Arnulpho Cæſari legitimos; ergo nullum Arnulphum atque Wernerum ex Agnete, uxore ficta, natos. Fieri enim vix potuiſſe, ut Imperii Ordines prætulerint filium Utæ, Reginæ, nondum conceptum, filiis natu majoribus, ex Agnete, Imperatorio ſanguine genita, diu ante natis, & ad imperandum idoneis; nec ordinibus univerſis aliam fuiſſe cauſam, cur ſucceſſionis jura denegarint, aut deferre procraſtinarint Centipoldo & Ratpoldo, quam quod hi ex illegitimo matrimonio nati eſſent. Altero loco Autor nixus teſtimonio ſcriptorum æqualium & ſupparium, ut Annalium Fuldenſium & Metenſium, ac *Reginonis*, ad A. 900, probat, eo tempore Arnulphum Cæſarem, quo vita functus eſt, nullum alium habuiſſe filium legitimum, præter unum Ludovicum puerulum, ex uxore Uta ſex ante annos ſuſ-

ce-

ceptum; cum in Annalibus modo memoratis hæc diſerte extent: *Ludovicus, filius*, (Arnulphi Imper.) *qui unicus tunc parvulus de legali uxore natus illi erat, in regnum ſucceſſit.* Si hic unicus legitimus ſupererat filius, ergo nullus erat Arnulphus, nullus Wernerus. Tertio loco, ex eodem *Reginone*, ad A. 907, ex *Froumundo*, Tegernſeenſi monacho, ex *Ditmaro*, Merſeburgenſi Epiſcopo, ex Chronico monaſterii S. Galli, ex Annaliſta Saxone, *Ottone Friſingenſi*, *Conone*, Archiepiſcopo, in Chronico Saliſburgenſi, & *Arnpeckio*, demonſtrat, non Arnulphum Cæſarem, ſed Liutpoldum, Ducem Bavariæ, fuiſſe patrem Arnulphi Mali. Tacemus nubem ſcriptorum, *Ottone Friſingenſi* & *Arnpeckio* juniorum, qui idem tradunt. Quarto loco, per argumentum affirmans, autoritate Chronici *Lambeciani* Regum Francorum, Chronici Laurishamenſis, Supplementi *Reginonis*, Annalium Wittichindi, Chronici Slavorum, Chronici *Hermanni Contracti*, aliorumque, oſtendit, cum Ludovico Infante in Germania omnem exſpiraſſe Caroli Magni ſtirpem; adeoque nec ad hanc referri poſſe Arnulphum Malum, ſatorem Sereniſſimæ Familiæ Boicæ. Poſtremo coronidem Operi imponit *Monitum* XXXIII, quod in explicandis quibusdam quæſtionibus, quæ in princeps argumentum incidunt, verſatur. Ad quas vero, æque ac ad totum libellum, remittimus Lectorem harum rerum curioſum, quem hanc Commentationem perlegiſſe non pœnitebit. Etſi enim nobis in decidenda hac controverſia quæſitorum judicumque partes ſumere nolumus, omnem cauſam aliis conjiciendam dijudicandamque relicturi; fatemur tamen, facile apparere, Autorem horum Monitorum, quisquis eſt, in antiqua pariter atque recenti hiſtoria, atque in omni humanitatis genere eſſe verſatiſſimum, nec ſine laude id egiſſe, ut hoc ipſum Opuſculum, non minus vivido ac polito dicendi genere ſcriptum, quam chartæ typorumque nitore, ac variis viticulis & figuris ornatum impreſſumque, Aleſtadii, ſive potius, quod conjicimus, Vindobonæ, ex officina Ghelenii, prodierit. Icon, quæ primam paginam, ac libri titulum, ornat, eſt Joci, amorem concomitantis, ex veteri elegantiſſima gemma ſumpta, quam expreſſam reperimus

a *Leo-*

Digitized by Google

a *Leonardo Auguſtino Senenſi* in Gemmis & ſculpturis antiquis, cum earum enarratione in latinum verſa a *Jacobo Gronovio*, editisque Amſtelodami 1685, Parte I pag. 127. Qua *Palignefius* erudite ſibi videtur voluiſſe viam communire ad tractationis, joco mixtæ, methodum. Imago, quæ totum librum claudit, Apollinis & Marſiæ fabula eſt, non ſemel jam dudum ad eruditorum certamina exprimenda uſurpata. Eſt itidem ad ſimilitudinem antiquæ gemmæ pulcherrimæ ex amuſſi delineata, prout exſtat apud eundem *Leonardum Auguſtinum* Parte II pag. 9, una cum eruditiſſima expoſitione, pag. 23 n. 9, qua oſtenditur, quam notabilis, & priſcæ eruditionis plena, ſit illa icon, ut quæ ſub ſpecie Apollinis Cæſarem Neronem, ſub forma Marſiæ Citharedum audaculum, referat. Unde omnia in hoc Opuſculo, etiam quæ cuipiam ludicra videri poſſunt, antiquam ſapientiam eruditionemque ſapere, res manifeſta eſt.

## *JO. CHRISTOPH. WOLFII, PAST. AD D. Cathar. & Scholarchæ, Curæ Philologicæ & Criticæ in IV priores S. Pauli Epiſtolas.*

Hamburgi, apud Jo. Chriſtoph. Kiſnerum, 1732, 4. Alph. 4 pl. 14.

Alterum hoc eſt egregii Operis Volumen, quod citius S. Rev. Autor erat daturus, ſi per valetudinem licuiſſet. Exhibet illud Commentationem in Epiſt. Pauli ad *Romanos*, utramque ad *Corinthios*, & illam ad *Galatas*. Eadem hic obſervatur ratio, eadem probatur induſtria, imo, prout argumentum ipſum poſtulabat, etiam major, quam in enarratione Voluminis I *A. 1725 Actorum* noſtrorum *p. 348* laudare meminimus. Scilicet contextus Græci, qui hodie ex probatioribus Codicibus receptus eſt, integritas a recentiorum quorundam, ingenio & conjecturis ſuis nimis indulgentium, corruptelis vindicatur, phraſes Scriptorum ſacrorum, in impuritatis ſuſpicionem temere a nonnullis vocatæ, externorum bonæque notæ Græciæ Autorum exemplis aſſeruntur, variæ Interpretum, eæque potiores,

Digitized by Google

res, ſententiæ enarrantur & examini ſubjiciuntur, eademque opera genuinus ſenſus eruitur. Cum hujus rei exempla ſingulæ paginæ exhibeant, ſupervacaneum fuerit, in aliquibus eorum hærere. Id affirmare ex vero poſſumus, locis vexatioribus inſignem & ſubinde novam lucem afferri. In fine hujus Voluminis accuratum examen inſtituitur cogitatorum, quæ *L. M. Artemonius*, i. e. *Lucas Mellerius*, ſ. *Samuel Crellius*, in *Initio Evangelii S. Johannis reſtituto* nuper in locos quosdam harum Epiſtolarum Paulinos attulit. Sunt illi *Rom. I*, 4, *IX*, 5, 1 *Cor. II*, 11, & *XVI*, 24. Eos *Crellius* in hodiernis Codicibus prave ex parte ſcriptos, & tum ex ingenio, tum præeunte, in duobus tantum, uno Codice Alexandrino MS. emendandos eſſe audacter aſſeverat, oſtenſurus hac ratione, neceſſe eſſe, ut ad reſtituendam genuinam ſacrorum N. T. Scriptorum lectionem ſolo ingenio & conjecturis nitamur. Ita nempe amoliri ſe credebat invidiam illius conſilii, quo idem tentaverat in locum Evangelii *S. Johannis I*, 1. Ibi enim verba: καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, ita mutanda eſſe contendit, ut legatur: καὶ Θεȣ̃ ἦν ὁ λόγος, quamvis fateatur, nec Codicem ullum manu exaratum, nec verſionem ullam, nec quenquam ex Patribus, loco illo olim uſis, hanc lectionem referre. Sed non felicius eum in his, quam in loco *Johanneo*, verſatum eſſe, diligenter & planiſſime oſtenditur. Primum locum *Rom. I*, 4, ita nove interpungit & legit *Crellius*: Περὶ τȣ̃ υἱȣ̃ αὐτȣ̃ (τȣ̃ γενομένȣ ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα, τȣ̃ ὁρισθέντος υἱȣ̃ Θεȣ̃ ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης) ἐξαναστάσεως ἐκ νεκρῶν, Ιησȣ̃ Χριστȣ̃ τȣ̃ Κυρίȣ ἡμῶν. Mutat itaque parentheſeos notam adhuc receptam, voces duas ἐξ ἀναστάσεως in unam compingit, & præpoſitionem ἐκ ante vocem νεκρῶν intrudit. Hic vero inter cetera oſtenditur, emendationem hanc, quam venditat, ne quidem cum Græcæ linguæ rationibus conciliari poſſe. Si enim Paulus voces has περὶ τȣ̃ υἱȣ̃ αὐτȣ̃ ἐξαναστάσεως ἐκ νεκρῶν conjunctas eſſe voluiſſet, ſcripturus erat convenienter Græcæ linguæ περὶ τῆς τȣ̃ υἱȣ̃ αὐτȣ̃ ἐξαναστάσεως. *Quando enim Græci nomen aliquod* Subſtantivum *vel* Participium, *nonnullis vocibus* interjectis, adhibent, articulum ὁ, ἡ, τὸ, *qui ad*

 Sub-

Subſtantivum *vel* Participium *illud pertinet, vocibus interjectis præponere ſolent*; quæ S. Rev. Autoris verba ſunt p. 802. Ita Paulus *Rom I, 10,* ſcribit: διὰ τῆς ἐν ἀλλήλοις πίςεως, non autem διὰ ἐν ἀλλήλοις πίςεως, & v. 18: τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων, non vero τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων. Oſtenditur quoque, *Crellium*, ſi Græce ſciviſſet, præpoſitionem ἐκ, nullo prorſus Codice præeunte, non intruſurum fuiſſe, cum τὸ ἐκ in voce ἐξαναςάσεως referri ſecundum Græcæ linguæ rationes ad vocem νεκρῶν potuiſſet. In altero loco *Rom. IX, 5,* ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς, legi idem cupit, ὧν ὁ ἐπὶ πάντων Θεὸς, ut ſic vox Θεὸς non ad Chriſtum, proxime ante commemoratum, ſed ad Deum O. M. referatur, & omne illud prædicatum, ὧν ὁ ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμὴν, pro prærogativa Judæorum ſingulari habeatur, non minus, quam antecedentia illa: ὧν ἡ υἱοθεσία, καὶ ἡ δόξα κ. τ. λ. ὧν οἱ πατέρες, καὶ ἐξ ὧν ὁ Χριςὸς τὸ κατὰ σάρκα, ὧν ὁ ἐπὶ πάντων κ. τ. λ. Contra hæc demonſtratur ad oculum, ſi hæc voluiſſet Paulus, eum omnino antecedenti vocum ſtructuræ convenienter ſcripturum ita fuiſſe: καὶ ὧν ὁ ἐπὶ πάντων Θεὸς κ. τ. λ. quemadmodum ſcripſit: ὧν οἱ πατέρες, καὶ ἐξ ὧν ὁ Χριςός. Monetur præterea, phraſin: Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμὴν, non pro nudo prædicato, ſed pro *doxologia*, quæ ad Chriſtum pertineat, haberi debere, cum ratio alioqui reddi non poſſit, cur appoſita ſit vox ἀμὴν. Suffecerint hæc, ut intelligatur, quomodo in denudandis reliquis *Crellii* inventis Noſter verſatus ſit. Optandum eſt, ut idem ſpem aliquando impleat, quam fecit de vindicandis ab ejus corruptelis reliquis N. T. locis, quos vel in Evangeliis & Actibus Apoſtolicis, vel in ceteris Epiſtolis, temere ſolicitavit. Venit præterea in mentem recordari, ex *Adriani Beverlandi* Otiis Oxonienſibus MSS. eximium ſpecimen ſuppeditari p. 483 ſqq. quod ad *1 Cor. XI, 14,* illuſtrandum pertinet, ſpemque fieri integræ Commentationis, tanquam varia eruditione refertæ, & reliquis ejus ſcriptionibus, impudicis illis maximam partem, anteferendæ. Eam ſane nemo non cupide exſpectarit. Promittitur etiam alibi nova & emendatior ex MSS. *Thomæ Magiſtri* Eclogarum de vocibus Atticis editio. Monendus denique eſt Lector,

Digitized by Google

ctor, Volumen primum harum Curarum cum maxime prelum apud nos exercere ſecundum, a mendis illis, quibus operæ illud deturpaverant, liberatum, ab omnibus autem Supplementis & acceſſionibus immune. Has enim S. Rev. Autor ſeorſim in poſterum edendas in Præfatione pollicetur.

*GEORGII RAPHELII, ECCLESIARUM Luneburgenſium Superintendentis, Annotationes in S. Scripturam, Hiſtoricæ in Vetus, Philologicæ in Novum Teſtamentum, ex Herodoto collectæ.*

Luneburgi, ſumtibus & typis Sternianis, 1731, 8.
Alph. 2 pl 6.

HAudquaquam præterit linguarum ſanctarum cultores, non defuiſſe Philologos clariſſimos, qui Novi Fœderis ſtylo Græco & barbariſmos & ſolœciſmos imputarent; quibus autem Eccleſiæ noſtræ Theologi, ſtrenui veritatis defenſores, pro virili ſua, usque ſeſe oppoſuerunt, ſatis advertentes, cum Scriptura S. ſit divinitus inſpirata, ita, ut verba etiam ſuggeſſerit ſcriptoribus ſacris Spiritus S. vitia hæc, ſi exiſterent, ipſi autori primario fore tribuenda. Alii, qui Hebraiſmos continuo clamitant, reliquis aliquanto quidem modeſtiores videntur, & paulo minus in ſtylum Scripturæ S. injurii, digni tamen, quibus *Eraſmi Schmidii* dicterium: *ignorantia Græciſmi eſt mater Hebraiſmi*, ſubinde occinatur. Ut ergo cuivis pateret, neque voces barbaras, neque conſtructiones regulis Grammaticæ Græcæ & uſui adverſantes, in ſtylo N. Teſt. reperiri, melius remedium adhiberi non poterat, quam ut a Græcæ linguæ cultoribus peritiſſimis ſtylus Græcorum ſcriptorum præſtantiſſimorum cum ſtylo Evangeliſtarum & Apoſtolorum componeretur. Quos inter ſibi nomen clariſſimum comparavit Antiſtes & Superintendens Eccleſiarum Luneburgenſium meritiſſimus, *Georgius Raphelius*, triplici literarum monumento ſane egregio, quod in literati orbis & reipublicæ ſacræ commodum luci publicæ expoſuit. Primo ſcilicet typis mandari curavit *Annotationes* philologicas in N. Teſtamentum *ex Xenophonte*,

Hamburgi 1709. Deinde *Annotationes* philologicas in N.Teſt. ex *Polybio* & *Arriano* collectas, itidem Hamb. 1715 edidit. Nunc tertio Luneburgi, ſumtibus & typis Sternianis, *Annotationes* in Scripturam S. univerſam, ex *Herodoto* deſumtas, in publicum prodire juſſit. Quantæ utilitatis hoc inſtitutum in univerſum ſit, quantæ laudis, viri docti dudum agnoſcunt. Ut *Memorias Trivoltianas*, ut *Relationes Innoxias*, ut *Kirchmayeri*, *Wolfii*, & aliorum literarum Græcarum cognitione clarorum virorum, judicia & elogia taceamus, duo tantum teſtimonia afferre nobis liceat, alterum quidem Collectorum Hiſtoriæ criticæ, (*Hiſtoire critique de la Republique des Lettres*,) qui Tom. IX p. 360, *ſi tous ceux*, inquiunt, *qui ſe ſont appliqués à la lecture des Auteurs profanes*, *depuis le retabliſſement des belles Lettres*, *avoient ſuivi la methode de Mſr.* Raphelius, *il y auroit peu de phraſes & même peu de mots dans toute l'Ecriture, dont on n'eut deja eclairci le veritable ſens:* alterum vero Celeb. Viri, *Jo. Alberti Fabricii*, qui literas ad *Raphelium*, III Id. Januar. A. 1715 datas, his verbis claudit: *Si plures noſſem Tui ſimiles, non deſiſterem eos hortari, ut ſimiliter ſcriptores Græcos alios, Lucianum, Dionyſium Halicarnaſſæum, Dionem utrumque, ne de ceteris jam dicam, cum dictione ſcriptorum ſacrorum Novi Fœderis contenderent* &c. Venerandi *Raphelii* exemplum ſequi etiam non puduit ipſos Anglos, præſertim *Blackwallum* & *Hutchinſonum*, quorum hic Notis ſuis in *Xenophontis Cyropædiam*, Oxonii A. 1727 editis, ſingulas *Raphelii* Annotationes e *Cyropædia* excerptas inſeruit, diſſimulato tamen Autoris nomine, niſi quod in Præfatione mentionem ejus ſemel facit.

Ut autem idea utiliſſimi libri, de quo nunc agimus, Lectoribus exhibeatur, partium noſtrarum eſſe duximus, paucis ſequentia commemoraſſe. Dedicatus eſt Viro Conſulari apud Luneburgenſes, *Hartwicho a Töbing*. In doctiſſimo Præfamine duo præcipue aguntur, quorum alterum eſt, ut demonſtretur, ex hiſtoriis *Herodoti* ſacras Veteris Teſt. hiſtorias paſſim illuſtrari, & autoritatem ac certitudinem ſacrarum literarum in bonis mentibus hinc non parum confirmari: alterum, ut pro-

probetur, ex ſtylo *Herodoti* dictionem N. Teſtamenti, quacum maxime convenit, explicari, & a ſuſpicione vitioſæ Græcitatis liberari poſſe. Hinc in duas Partes diſſilit tota libri tractatio. *Prima Pars* complectitur Annotationes, & quidem Hiſtoricas, in V. Teſtam. quæ eo tendunt, ut imperantium & aliorum clarorum Virorum, nec non regionum, nomina, plantarum nobis incognitarum indoles, temporum locorumque circumſtantiæ, ritus diverſorum populorum, proverbia, & id genus alia hiſtorica, quorum in libris Moſis, Prophetarum, Hagiographis, nec non Apocryphis, mentio ſit, ex Antiquitatibus, in *Herodoto* obviis, illuſtrentur. Sic laudatur e. c. quod *Herodotus* accuratam turris Babelis deſcriptionem dederit. In *Gen. XXXVII, 25*, לט Ladanum explicatur, quod ſit genus aromatum, quo Arabes uſi ſunt ad multifaria unguenta, præcipue vero ad ſuffitionem. *Gen. L, 3*, circa ſepulturam Joſephi annotatur, non ſolum tempus, ſed totam condiendorum corporum rationem, apud Ægyptios uſitatam, fuſe *Herodotum* expoſuiſſe. Quando *Deuter. XXIII, 18*, verba: *ne inferto mercedem ſcorti*, explicantur, additur, hac lege opus fuiſſe propterea, ne Iſraelitæ imitarentur execrandam impietatem Gentilium, qui fœdum hujusmodi lucrum in ſacros uſus convertebant. Cujus rei teſtes laudantur *Herodotus* & *Lucianus*. Brevitatis ſtudio ex hac libri Parte plura delibare ſuperſedemus.

*Pars altera* complectitur Annotationes in N. Teſt. dignas omnino non excerpi tantum, ſed legi, ſingulas: pauca interim exempla in medium proferemus. Ad verba *Matth. V, 19*, λύσῃ μίαν τῶν ἐντολῶν, notat Vir S. R. apud *Herodotum* etiam judices, aut illos, quorum eſt de legibus reſpondere, dici λύειν τὸν νόμον, ſi quid licere pronuntient, quod tamen ſit contra legem, idque ad Phariſæos & legisperitos eleganter applicat. Ad *Matth. V, 41*, originem verbi ἀγγαρεύειν clariſſime explicat ex *Herodoti* libro VIII. *Matth. XIII, 38*, οἱ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ non eſſe Hebraismum probat, quod apud *Herodotum* in oraculo quodam ὕβριος υἱὸς, *contumeliæ filius*, dicitur pro homine contumelioſo. *Actor. XIII, 25*, verba: τίνα με ὑπονοεῖτε εἶναι; οὐκ εἰμὶ ἐγώ, B. *Lutherum* recte ait & congruenter lin-



Digitized by Google

guæ Græcæ, remoto interrogandi ſigno, vertiſſe: *Ich bin nicht der, dafür ihr mich haltet*, & hanc interpretationem propterea merito probare Affinem ſuum, *Frider. Chriſtoph. Neubourium*, Prætorem Regium Gottingenſem, Collegam noſtrum ſummopere venerandum, in *Bibliotheca Bremenſi Claſſ. I p. 250*: cum τὸ τίς, pro ὅς, vel ὅστις, apud Græcos ſatis uſitatum ſit, etſi Vir magnæ doctrinæ, *Jo. Chriſt. Wolfius*, in Curis Philologicis *p. 1191* aliter ſentiat. Inveniuntur plura alia in hoc libro notatu digna, e. c. geminus & diverſus particularum nonnullarum uſus, ſingularis vocum quarundam emphaſis, ἅπαξ λεγόμενα, cetera, dextre ex *Herodoto* explicata. Sed pauca hæc ex eruditis his Annotationibus obſervaſſe ſufficiat.

Coronidem huic literarum monumento imponit *Semicenturia Annotationum Philologicarum in N. Teſtamentum, maximam partem ex Euſebio collecta*, quæ, ſicut cetera, legi maxime merentur. Nos Autori Summe Reverendo, qui lucubrationes haſce inter infeſtos febris acceſſus conſcribere non gravatus eſt, quo de Eccleſia Chriſti bene mereri quam diutiſſime pergat, conſtantem valetudinem, animitus optamus atque precamur.

## *JOANNIS PHILIPPI BREYNII, M. D. Acad. Imperial Nat. Cur. & Societ. Reg. Lond. Sodalis, Diſſertatio Phyſica de Polythalamiis, nova Teſtaceorum claſſe. Adjicitur Commentatiuncula de Belemnitis Pruſſicis, & Schediaſma de Echinis methodice diſponendis.*

Gedani, apud Cornelium a Beughem, 1732, 4. pl. 9, cum Tab. æneis XII.

PRoximo non ſolum elapſo, ſed & hoc labente, ſeculo non defuerunt Viri ingenioſiſſimi, qui lapidum figuratorum, ut vocant, ſtudium certatim excultum & amplificatum dederunt; quos inter *Nicolaus Steno, Auguſtinus Scilla*, & *Joannes Woodwardus*, maximopere ſunt celebrandi. Nec utilitate carent inſigni ejuſmodi conatus; ſiquidem ex diligenti & accurata horum

horum corporum inquiſitione & inſpectione eorum naturam & veram originem, modum, occaſionem, & tempus, quibus in terra depoſita fuerunt, diverſas alterationes, mutationesque, quas pro ratione & varietate ambientis medii ſub terra paſſa ſunt, & hiſtoriam animalium vegetabiliumque marinorum anecdotam addiſcimus. Supplementorum ejusmodi teſtaceorum ſpecimina exhibet Clariſſ. *Breynius* in præſenti Diſſertatione, ſex Capitibus circumſcripta, cum annexis de Belemnitis Pruſſicis Commentatiuncula, & de Echinis Echinitisque Schediasmate, poſtquam quædam de methodo Teſtacea in Claſſes diſtribuendi præfatus fuerat. Notum eſt, animalia, exſanguia *Ariſtoteli* ejusque aſſeclis dicta, a Zoographis ad quinque claſſes reduci, quarum I Inſecta, II Mollia, III Teſtacea, IV Cruſtacea, & V Zoophyta, complectitur. Miſſis jam ceteris, Teſtacea ſeu Conchylia definit Noſter, quod ſint animalia, involucro lapideo ceu domicilio, quod ipſum partem animalis conſtituit, & teſta dicitur, prædita, vel in mari vel aqua dulci, vel in ſicco degentia, eorumque VIII ſumma conſtituit genera ſeu claſſes; videlicet I Tubulum, II Cochlidium, III Polythalamium, IV Lepas, V Concham, VI Conchoidem, VII Balanum, & VIII Echinum. Ex quibus claſſibus cum de Polythalamiis potiſſimum agat Clariſſ. *Breynius*, pauca nunc ex eo referemus. Polythalamium ipſi teſta eſt tubuloſa, polythalamia, conica, recta, vel in ſpiram regularem convoluta, cum ſiphunculo, thalamos transeunte; teſtam vero polythalamiam vocat, cujus cavitas in varias cavitates ſeu concamerationes, thalamos dicendas, mediantibus parietibus intergerinis ſeu diaphragmatibus pariter teſtaceis, dividitur, extimo thalamo animali receptaculum præbente, ceteris vacuis, ſed ſiphunculo ſenſim gracileſcente ad apicem usque perviis. Horum claſſi inſerenda genera ſubalterna ſunt I Orthoceras, II Lituus, III Ammonia, & IV Nautilus; quorum bina poſteriora genera Hiſtoriæ Naturalis Scriptoribus hactenus cognita fuere, quibus nunc Noſter addit bina priora, tanquam nova. Lituus enim ipſi eſt polythalamium, a baſi primum in lineam fere rectam extenſum, dein vero in ſpiram externe apparentem convolutum, &

ſic

ſic dicitur a ſimilitudine figuræ externæ cum lituo, augurum antiquorum inſigni augurali, a quo etiam Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi ſua inſignia hodierno adhuc die uſitata mutuaſſe videntur. Lituites vero vocatur lapis, in cavitatibus litui ſub terra genitus, tum externam ejus figuram, tum internam organicam fabricam, referens, teſtæ reliquiis,ſive adhuc ſuperſtitibus, ſive diſſolutis & conſumtis. Orthoceras, quaſi rectum cornu diceres, eſt polythalamium ad lineam rectam, vel proxime ad rectam accedentem extenſum; orthoceratites vero eſt lapis in cavitatibus orthoceratis ſub terra concretus, ejus tum externam figuram, tum internam fabricam, referens, teſtæ reliquiis ſive adhuc ſuperſtitibus ſive diſſolutis & conſumtis. Differentiæ eorum, quorum IX conſtituuntur, potiſſimum a poſitione ſiphunculi, thalamos tranſeuntis, dein a figura conica, lentius vel citius decreſcente, denique ab articulis ſeu thalamis amplioribus vel ſtrictioribus,dependent. De hisce binis novis Polythalamiorum ſpeciebus ut cum L. B. unam alteramque figuram communicemus, operæ pretium erit.

*Explicatio Figurarum.*

TAB. IV. Fig. 1. Tab. IV Fig. 1 repræſentat Lituitem marmori Oelandico immerſum, naturali magnitudine expreſſum, qui initio longo ſatis ſpatio a baſi

a. recta procedit fere ad

c. deinde vero in ſpiram duorum gyrorum

c. d. in plano horizontali, & quidem inſtar Ammoniæ, *ita*, ut latera nullibi ſe tangant, convolvitur.

e. Sunt thalami ſeu concamerationes fornicatæ, ſenſim magnitudine decreſcentes,formatæ a diaphragmatibus verſus baſin concavis, apicem vero convexis.


f. Siphunculus inter marginem internum & axem, diaphragmata & thalamos tranſiens & ſenſim decreſcens.

TAB. IV. Fig. 2. Fig. 2, & ſequentes, primam orthoceratitis ſpeciem, ſiphunculo axem tranſeunte graciliori, lentiſſime decreſcentis, thalamis olim, nunc articulis amplioribus, ſiſtunt, qui in Pomerellia inventus, ex 50 circiter articulis compoſitus fuiſſe videtur.

Fig. 2.

T

Fig. 2



Digitized by Google

Digitized by Google

Fig. 2. Baſis ejus eſt dimidia ſui parte ſaxo adhuc immerſa, teſta ſua orba, excepta parte, qua ſaxo adhæret; ejus inferior pars articulationibus deſtituta, duabus in ſuprema parte exceptis, extimum thalamum, quem olim animal implevit, exprimit, & penem humanum cum glande repræſentat.

Fig. 3. Ejus pars tenuior, aliquot articulis conſtans, qui olim tot fuere thalami. Fig. 3.

Fig. 4. Articuli ſupremi pars convexa cum nota ſiphunculi. Fig. 4.

Fig. 5. Articuli infimi pars concava, pariter cum ſiphunculi nota. Fig. 5.

Fig. 6. Pars anguſtior cum teſtæ reliquiis ſuperſtitibus, ubi teſta ſtriis circularibus, ſed lævioribus in ſuperficie, ornatur. Fig 6.

Fig. 7. Apex coni, in quo articuli ſenſim decreſcunt. Fig. 7.

Fig 8. Bini articuli per axem diviſi cum tranſeunte ſiphunculo. Fig. 8.

De Belemnitis Pruſſicis dum agit Clariſſ. Autor, eundem definit per Tubulum marino-terreſtrem, conicum, in baſi cavitate inſtructum conica in tenuem ſiphunculum ad apicem usque excurrentem deſinente. Et cum Echinus ſit teſta duobus tantum foraminibus ſive aperturis pro ore & ano perforata, genera ejus, ſola natura duce, ſecundum dictorum foraminum poſitionem, ſicque numero ſeptem conſtituenda eſſe, perhibet.

## Angenehme, curiöſe und nützliche Nachrichten von Phyſical- und Medicinaliſchen, auch dazu gehörigen Kunſt- und Literatur Geſchichten.

h. e.

*MISCELLANEA PHYSICO-MEDICO-Mathematica; collecta a D. ANDREA ELIA BUCHNERO, Inſt. Med. Prof. Publ. Facult. Med. Aſſeſſore, & S. R. I. Acad. Nat. Curioſ. Collega.*

*Quadra III & IV Anni 1727.*



Digitized by Google

Erffordiæ, apud Carolum Fridericum Jungnicolium, 1731, 4.
Alph. 2 pl. 2, cum Tabb. æn. 2.

IN hoc Volumine pag. 422 diſquiritur, num pluvia ſulphurea, menſe Julio delapſa, ſit ſignum fœcunditatis? pag. 423 de vacciniis tam indigenis quam exoticis Theæ orientalis ſuccedaneo; p. 431 de Aquis ſoteriis Weydenberga-Baruthinis; p. 433 de Hermaphrodito putatitio; p. 436 de veſicæ calculo non parvo in ulcere veſicæ inter muſculum pyramidalem & rectum a natura protruſo; p. 437 de vulnere cordis ſubito lethali; p. 480 de naſturtico Indico flore pleno; p. 483 de Thermis Teplizenſibus; p. 486 de alaudis Lipſienſibus, & ſic dictis diurnis & nocturnis; p. 490 de ſcatula quadam monetaria incantata; p. 548 de Balſamina flore luteo; p. 554 de Pica gravidæ ad piper; p. 559 de Mola in vetula; p. 575 de proventu frumenti Wallachici; p. 653 de murium campeſtrium copia; p. 668 de veneficio ex arſenico dato absque ulla cadaveris intumeſcentia; p. 669 & 725 de Fonte medicato Mega-Albershoffenſi; p. 672 de inſolito cadaveris cujusdam pondere; p. 727 de Partu ſeptimeſtri; p. 731 de ano in vaginam uterinam implantato; & p. 745 de ſignis prognoſticis tempeſtatum majorum, agitur.* Porro deſcribitur p. 427 Muſa Indiæ Orientalis, ſeu Ficus Indica, Viennæ florens; p. 472 intima Conjunctio Veneris cum ſtella primæ magnitudinis ſeu ſpica Virginis; p. 478 Conjunctio Saturni retrogradi cum ſtella quintæ magnitudinis B. *Bayer*; p. 542 immerſio primi ſatellitis in umbra Jovis; p. 543 occultatio quarundam Plejadum a Luna; p. 560 machina Regiomonti in Hungaria aquam e fodina elevans, quæ igne circumagitur. Hinc p. 488 duo cadavera noctu rediiſſe, & homines ſtrangulaſſe, proinde concremata eſſe; p. 729 ſurditatem cum aphonia in paroxyſmis apoplecticis permutatam; p. 732 incontinentiam urinæ curatam impotentiam virilem inſecutam; & p. 733 acum in urethram intruſam ſectione extractam fuiſſe, refertur; pag. 613 ignem & lucem omnibus rebus ineſſe; p. 742 præcavendi modus, ne thermometra vel vaſa deſtillatoria diffringantur, & pag. 614, quomodo ſingularis vitrioli ſpecies ex arſenico paranda,

randa, docetur; pag. 618 Conſilium Medicum pro melancholia hypochondriaca detecto ſuppeditatur; pag. 657 de Scorbuto prolixe diſſeritur; pag. 738 *Döbleri*, Optici Aulici Boruſſici, machinæ opticæ recenſentur; pag 739 Barometra lucida ſeu phosphoreſcentia, ut & pag. 740 tubus vitreus phosphoreſcens, deſcribuntur. De cetero communicamus hic cum L. B. Pluviam Chymicam, quæ p. 733 ita parari traditur: Rec. Sal. tartar. calcin. cinerum clavellatorum ana unc. ij. fluant in crucibulo, ſub fine adde nitr. de pur. drachm. j. maſſam effunde in mortarium & pulveriſatæ ſuperfunde in olla aquæ ferventis lib. ij. agita bene cum ſpatula lignea, & filtra per duplicem chartam bibulam. Quodſi igitur de hac aqua aliquid in patellam effundatur, & ſpiritus nitri vel vitrioli addatur, videbitur pluvia.

## *HORÆ SUBSECIVÆ MARBURGENSES Anni 1729, quibus Philoſophia ad publicam privatamque utilitatem aptatur. Autore CHRISTIANO WOLFIO, Conſiliario Aulico Haſſiaco, Mathemat. ac Philoſ. Profeſſore Primario in Acad. Marburgenſi, Ordinis Philoſ. p. t. Decano, Profeſſore honorario Petropolitano, Societ. Reg. Britann. ac Boruſſ. Sodali.*

Francofurti & Lipſiæ, ſumtibus Rengerianis, 1730, 8.
Trimeſtre æſtivum plag. 12.
Trimeſtre autumnale pl. 11, cum Tab. æn. 1.

De inſtituto Cel. Autoris diximus in *Actis A. 1729 p. 322*, cum Trimeſtre brumale recenſeremus. Ad vernale ſpectantia enarravimus in *Actis A. 1730 p. 350*. Ex intervallo addimus Trimeſtre æſtivum & autumnale, proxime dicturi de Horis ſubſecivis A. 1730. In Trimeſtri igitur æſtivo primo loco occurrit contemplatio voluptatis ex cognitione veritatis percipiendæ. *Carteſius* voluptatem totam poſitam eſſe tantum in perfectionis alicujus noſtræ conſcientia affirmat. Ampliat notionem Cel. Autor, omittendo reſtrictionem, a *Carteſio* additam, cum

etiam voluptate nos perfundi conſtet, ubi nobis conſcii ſumus perfectionis rei alterius, veluti ſimilitudinis alicujus imaginis, & extendendo notionem ad perfectionem quoque apparentem. Hinc jam deducit, qualis voluptas percipiatur ex veritate ipſa, ex demonſtratione ejusdem, ex cognitione perfectionis rerum, ex perfectione intellectus, cujus nobis per rerum cognitionem conſcii ſumus, ex philoſophica rerum cognitione, ſenſu Autoris accepta, ex arte inveniendi, ex diſtincta intellectus cognitione, ex veritatum utilium cognitione, ex veritatum cognitarum examinibus. Agit etiam de voluptatibus ſpuriis, in hoc genere obviis, ut a vera ſecernantur, multaque alia ſpecialia attingit, quorum enumeratio nimis prolixa foret. Deinde diſtinctas tradit terminorum quorundam, in Jure Feudali obviorum, & non ſatis perſpicuorum, notiones, oſtendens, per ſubſtantialia Feudi intelligendas eſſe determinationes eſſentiales, quibus notio Feudi in genere abſolvitur: per naturalia Feudi intelligendas eſſe determinationes ſpecificas, quæ ſimul ſumtæ aliquam Feudi ſpeciem conſtituunt: denique per accidentalia Feudi intelligendas eſſe determinationes, quæ continentur differentiis ſpecificis ſpecierum Feudorum, a ſpecie juris autoritate communiter recepta diverſarum. Hæc more ſuo certa analyſi eruit, atque ita Jus Feudale ad concordiam cum Philoſophia reducit, ut principia philoſophica in demonſtrationes Juris Feudalis jam admitti poſſint, iisque admiſſis, major lux eidem affundatur. Uſum notionum directricium, quas in Philoſophia prima, ſeu Ontologia, dedit, in interpretanda & applicanda Scriptura ſacra edocturus, illuſtre exemplum de homine nihil a ſe ipſo habente juxta *1 Cor. IV, 7*, in medium affert. Multo enim auguſtior verborum Pauli ſenſus demonſtrativa ratione prodit, quam vulgo eidem tribuitur, nec minus demonſtrativa ratione patet, quæ de Corinthiis dicta ſunt, non modo ad omnes in univerſum applicari Chriſtianos, verum etiam a fide ad quævis alia transferri poſſe, in quibus homo quid ſibi tribuere poſſe videtur. Habemus adeo exemplum explicationis extenſivæ demonſtrativæ, quod imitari in aliis utiliter datur, ſi quis methodum philoſophandi *Wolfianam* habue-

Digitized by Google

habuerit perſpectam. Ultimo demum loco regularum logicarum uſum in notione ſanitatis inveſtiganda oſtendit, quam eſſe probat ſtatum corporis, quo ſingulæ ejus partes ad uſus ſuos omnes, quibus deſtinantur, aptæ ſunt. Hinc definitiones Medicorum, tam veterum, quam recentiorum, expendit, atque lucem iis affundit, quæ obſcuriora in iis deprehenduntur. Oſtendit deinde uſum notionis tanquam directricis in determinandis iis, quæ notionem ſanitatis ingrediuntur, atque docet, unde ſanitas agnoſcatur, & quousque in noſtra ſit poteſtate.

In Trimeſtri autumnali Noſter voluptatem ex cognitione veritatis revelatæ percipiendam in ſpecie conſiderat, cum hic ſingularia occurrant, quæ in cognitione veritatis naturalis locum minime habent, ut ſcilicet pateat inſignis prærogativa illius voluptatis, quæ ex veritatum revelatarum cognitione percipitur, præ altera, quam ex naturalium cognitione haurimus. Agit itaque de voluptate percipienda ex veritatibus mixtis, ex modo, quo veritates mixtæ in Scriptura enunciantur, ex eo, quod aſſenſu divino easdem complectamur, ex nexu veritatum revelatarum inter ſe, ex earundem cum attributis divinis convenientia, ex ipſarum in voluntatem influxu, ex eo, quod veritatem rerum revelatarum in nobis experiamur, & ex objecto veritatum revelatarum. Secundo loco computationem graduum conſanguinitatis ab abſurditate liberat, quam vulgo Doctores eidem objiciunt. Atque hac data occaſione omnem de cognatione doctrinam ex primis notionibus eruit, perſpicuamque reddit, ut appareat, via analytica in eam inquirentibus occurrere veluti ſua ſponte computationem Canonicam. Tertio loco in ſcenam producit Philoſophiam non ancillantem contra *Robertum Baronium*, Scotum, qui Tractatum de Philoſophia Theologiæ ancillante conſcripſit, & præjudicio locum dedit, quaſi Philoſophia tantummodo principia quædam generalia ad ratiocinandum Theologis, JCtis & Medicis, ſuppeditet. Noſter igitur luculenter oſtendit, Philoſophiam, ſenſu ſuo acceptam, talia ſuppeditare, quæ in Rep. adminiſtranda utilia ac ſalutaria ſunt, a Facultatibus autem ſic dictis ſuperioribus ſuppeditari



Digitized by Google

tari nequeunt. Refert huc culturam intellectus, qualem a ceteris Facultatibus fruſtra expectes, cum tamen plurima ſint in Rep. munera, quæ ideo in literatos conferuntur, quod eos rectius facultatibus mentis uti poſſe credamus tum in rebus dijudicandis, tum in diſcutiendis: oſtendit deinde, cur Facultates ſuperiores, quæ vulgo dicuntur, ſint ad Remp. adminiſtrandam inſufficientes, ac inde porro monſtraturus, quomodo defectum ſuppleat Philoſophia, de uſu juris naturalis, Politicæ, Oeconomiæ, Teleologiæ, quam Autor vocat, Phyſicæque, in adminiſtranda Rep. diſſerit. Agit etiam de cultura voluntatis a Philoſophia expectanda, cum nullum detur vitæ genus, in quo ſincera virtus non plurimum utilitatis afferat. Exponit uſum methodi conjectandi hominum mores, qualem Noſter primus certam & demonſtrativam Philoſophiæ intulit, aliaque addit, quæ apud ipſum legi poſſunt. Tandem eadem analyſi in notionem morbi inquirit, qua in Trimeſtri ſuperiori in notionem ſanitatis inquiſiverat, ſimulque oſtendit, quomodo eadem præſuppoſita jam ſanitatis notione eruatur. Definit autem morbum per eum corporis ſtatum, quo una vel plures ejus partes ad uſus ſuos, quibus deſtinantur, aptæ non ſunt; & modum notionem morbi evolvendi exponit. Diſtincta etiam notione explicat, quid *Galenus* per errorem externum intelligat. Judice nimirum Noſtro *error externus* juxta *Galenum* eſt impedimentum actionis organi, ad quam producendam ipſum in ſe ſpectatum aptum deprehenditur, veluti ſi fæces alvi fuerint nimis duræ, ut inteſtina eas excernere impediantur, etſi in ſe ſpectata ad excernendum ſint diſpoſita, vel ſi cibus ingeſtus ob nimiam quantitatem vel peccantem qualitatem, nullo corporis vitio, a ventriculo digeri nequit. Monſtrat autem, magnum momentum in eo ſitum eſſe, ut Medicus agnoſcat, num corpus morbo aliquo laboret, an tantummodo error externus adſit. Quoniam tamen iſtud non a nomine, ſed a re ipſa, eodem denotata, pendet; Noſtro perinde eſt, ſive cum *Galeno* loqui volueris, ſive affirmare libuerit, quod corpus morbo laboret vel vitio alicujus organi, vel ob impedimentum aliquod eidem ſcilicet organo extrinſecum. In fine adjicitur

jicitur Index rerum & verborum, in Horis ſubſecivis anni integri contentorum.

## Demonſtrative Rechen-Kunſt ꝛc.

h. e.

*ARITHMETICA METHODO DEMONſtrativa propoſita, ſeu accurate breviterque calculum ducendi ſcientia, quæ non vulgares tantum, aliosque, uſui futuros multis, computandi modos tradit, ſed mercatoribus etiam facilem dinumerandi omnia rationem oſtendit. Autore C. DE CLAUSBERG. Præmiſſa eſt Præfatio CHRISTIANI AUGUSTI HAUSEN, in Academia Lipſienſi Math. Prof. P. Ordin.*

*Partes IV.*

Lipſiæ, apud Bernh. Chriſtoph. Breitkopfium, 1732, 8.
Alph. 4 pl. 5.

ETſi ab inſtituto noſtro eſſe videatur alienum, de eorum pretio librorum ſtatuere, quorum rubrum mercatoribus majorem, quam eruditis, fructum ſpondet, nec ſit nobis cum numeris, horumque dimenſionibus, multum adeo commercii; libri tamen præſentis cum ea ſit ratio, ut in ſubtiliori hoc ſcientiarum genere ſimile quid forte nunquam prodierit, habeatque excellentiſſimi *Hauſenii*, librum hunc non indignum judicantis, quem Mathematicorum vel ipſi principes ſcrutentur, ſuffragatio penes nos momenti multum, intactum prorſus relinquere hoc, quicquid eſt libri præſtantioris, nec ſine multis vigiliis compoſiti, nefas exiſtimamus. Neque vero animus nobis eſt, quid præſtitum ſit ab Autore diligentiſſimo per Opus univerſum, operoſe exponere; ſed permiſſuri cetera inveſtigationi eorum, quibus ſcripta ſunt, uno ſaltem, eodemque præcipuo, ſpecimine, in animis Lectorum legendi libri cupiditatem accendemus, & Autoris commendabimus, quantum ſatis eſt, induſtriam. Generatim indicaſſe ſufficiat, illud cumprimis actum Autori per ſingulas libri

Digitized by Google

libri paginas, ut, præmiſſis regulis perſpicuis & ad Mathematicorum obruſam exactis, exempla proferat exquiſitiſſima, hocque certiori non tironibus tantum, ſed ipſis etiam exercitati ingenii mercatoribus, futura utilitati, quo magis ſunt ad uſum quotidianum & commerciorum accommodata emolumentum. In quibus expedite ſolvendis cum opus ei fuerit magno ingenio, quin imo labore magno, factum hinc, ut, quæ multum antehac negotii faceſſiverant mercatorum vel peritiſſimis, jam ſint enodata tam feliciter, ut intra breve tempus rationes confici poſſint, olim laborioſiſſimæ. Non hæc perſequemur prolixius, ſed, ut ingenii aliquod pabulum habeant, qui eam partem Arithmeticæ ſectantur, quæ non ad mercatorum de vulgo quemlibet, ſed ad Mathematicos ſublimiores, pertinet, locum hic dabimus Tabulæ Logarithmorum centum, ex ſeriebus derivatorum, quam dedit nobis a pag. 1431 ad 1434, unde cognoſcere Lectores poſſint, quid ab eo olim ſit expectandum, nemini tentatam antehac & ad numeros usque 32 (quam enim *Vlaccus* dedit, ad numeros non niſi decem extenditur,) porrectam Logarithmorum Tabulam traditurо in manus Mathematicorum. Quam etſi jam ante annos decem & unum animo conceperit, perfeceritque poſtea non indiligenter, majorem tamen in elimanda ea collocaturum ſe ſpondet operam, ſi quis fuerit melioris notæ Typographorum, cujus ſumtibus parari ea & emitti in vulgus poſſit. En laboris præſtantiſſimi ſpecimen:

| | | |
|---|---|---|
| 1 | 0. | 00000000000000000000000000000000 |
| 2 | 0. | 30102999566398119521373889472449 |
| 3 | 0. | 47712125471966243729502790325511 |
| 4 | 0. | 60205999132796239042747778944898 |
| 5 | 0. | 69897000433601880478626110527550 |
| 6 | 0. | 77815125038364363250876679797960 |
| 7 | 0. | 84509804001425683071221625859263 |
| 8 | 0. | 90308998699194358564121668417348 |
| 9 | 0. | 95424250943932487459005580651023 |
| 10 | 1. | 00000000000000000000000000000000 |
| 11 | 1. | 04139268515822504075019997124302 |

12.

| | |
|---|---|
| 12 | 1. 07918124604762482772250569270410 |
| 13 | 1. 11394335230683676920650515794232 |
| 14 | 1. 14612803567823802592595515331713 |
| 15 | 1. 17609125905568124208128900853062 |
| 16 | 1. 20411998265592478085495557889797 |
| 17 | 1. 23044892137827392854016989432833 |
| 18 | 1. 25527250510330606980379470123472 |
| 19 | 1. 27875360095282896153633346575692 |
| 20 | 1. 30102999566398119521373889472449 |
| 21 | 1. 32221929473391926800724416184775 |
| 22 | 1. 34242268082220623596393886596751 |
| 23 | 1. 36172783601759287886777711225119 |
| 24 | 1. 38021124171160602293624458742859 |
| 25 | 1. 39794000867203760957252221055101 |
| 26 | 1. 41497334797081796442024405266681 |
| 27 | 1. 43136376415898731188508370976534 |
| 28 | 1. 44715803134221922113969404804162 |
| 29 | 1. 46239799789895608733284676296925 |
| 30 | 1. 47712125471966243729502790325511 |
| 31 | 1. 49136169383427267966670410011841 |
| 32 | 1. 50514997831990597606869447362246 |
| 33 | 1. 51851393987788747804522787449813 |
| 34 | 1. 53147891704225512375390878905282 |
| 35 | 1. 54406804435027563549847736386814 |
| 36 | 1. 55630250076728726501753359595921 |
| 37 | 1. 56820172406699499680845068953912 |
| 38 | 1. 57978359661681015675007236048142 |
| 39 | 1. 59106460702649920650153306119744 |
| 40 | 1. 60205999132796239042747778944898 |
| 41 | 1. 61278385671973549450941184996818 |
| 42 | 1. 62324929039790046322098305657224 |
| 43 | 1. 63346845557958652640508815322922 |
| 44 | 1. 64345267648618743117767776069201 |
| 45 | 1. 65321251377534367937631691178573 |
| 46 | 1. 66275783168157407408151600697568 |
| 47 | 1. 67209785793571746441431942944920 |

| | |
|---|---|
| 48 | 1. 68124123737558721814998348215309 |
| 49 | 1. 690196080028513661424443251718527 |
| 50 | 1. 69897000433601880478626110527550 |
| 51 | 1. 70757017609793636583519779758345 |
| 52 | 1. 71600334363479915963398294739131 |
| 53 | 1. 72427586960078904563299229162725 |
| 54 | 1. 73239375982296850709882260448984 |
| 55 | 1. 74036268949424384553646107651852 |
| 56 | 1. 74818802700620041635343294276612 |
| 57 | 1. 75587485567249139883136136901204 |
| 58 | 1. 76342799356293728254658565769375 |
| 59 | 1. 77085201164214419026065638453514 |
| 60 | 1. 77815125038364363250876679797960 |
| 61 | 1. 78532983501076703388574851375732 |
| 62 | 1. 79239169949825387488044299484290 |
| 63 | 1. 79934054945358170530227206510287 |
| 64 | 1. 80617997398388717128243336834696 |
| 65 | 1. 81291335664285557399276626321783 |
| 66 | 1. 81954393554186867325896676922263 |
| 67 | 1. 82607480270082643414913162922606 |
| 68 | 1. 83250892270623631896764768377732 |
| 69 | 1. 83884909073725531616280501550630 |
| 70 | 1. 84509804001425683071221625859263 |
| 71 | 1. 85125834871907528609282943503543 |
| 72 | 1. 85733249643126846023127249068371 |
| 73 | 1. 86332286012045590107438690047030 |
| 74 | 1. 869231719730976192022218958426362 |
| 75 | 1. 87506126339170004686755011380612 |
| 76 | 1. 88081359228079135196381125520591 |
| 77 | 1. 88649072517248187146241622983566 |
| 78 | 1. 89209460269048040171527195592193 |
| 79 | 1. 89762709129044142799482138647825 |
| 80 | 1. 90308998699194358564121668417348 |
| 81 | 1. 90848501887864974918011161302046 |
| 82 | 1. 91381385238371668972315074469267 |
| 83 | 1. 91907809237607390383276035202725 |

| | | |
|---|---|---|
| 84 | 1. | 92427928606188165843472195129674 |
| 85 | 1. | 92941892571429273332643099960384 |
| 86 | 1. | 934498451243567772161882704795371 |
| 87 | 1. | 93951925261861852462787466622437 |
| 88 | 1. | 94448267215016862639141665541650 |
| 89 | 1. | 94939000664491278472354336970244 |
| 90 | 1. | 95424250943932487459005580651023 |
| 91 | 1. | 95904139232109359991872141653496 |
| 92 | 1. | 96378782734555526929525490170017 |
| 93 | 1. | 96848294855393511696173200337352 |
| 94 | 1. | 97312785359969865962795832417369 |
| 95 | 1. | 97772360528884776632259457103243 |
| 96 | 1. | 98227123303956841336372237687758 |
| 97 | 1. | 98677173426624485178436181166557 |
| 98 | 1. | 99122607569249485663817141190977 |
| 99 | 1. | 99563519459754991534025577775325 |
| 100 | 2. | 00000000000000000000000000000000 |

## *J. C. S. OBSERVATIO ET CONJECTURA de Origine Vocabulorum quorundam Germanicorum.*

I. HOmines literatiſſimi multis adhuc Germaniæ noſtræ locis Vocabulorum Germanicorum origines perveſtigare ſunt conati. Quod ſtudium ne in Caſimiriano noſtro frigere & contemni videatur, nota jam exempla proponam.

II. Hoc ipſum tamen antequam faciam, admoneo Lectores meos, Perilluſtrem Autorem originis vocabuli *Kirche* in eam nonnunquam venire cogitationem, ut nomen illud ex nomine *κύριε* natum ſuſpicetur. Nam, quia multis in locis adhuc dicatur, *wir wollen in Kyrie gehen*, *die Leute gehen ins Salve*, propterea quod *Kyrie* vel *Salve* prima vox eſt, quam in eo divini cultus genere audiunt, credibile putat Vir perilluſtris, ab iſta voce *Κύριε* ipſa ſenſim etiam templa nomen ſortita eſſe. Omnino moris eſt Latini, ut loca nomen ex re nanciſcantur, quæ in locis fit. Ita *ambula-*

*bulationes* dicuntur loca,in quibus ambulatur. Id quod Germanica etiam lingua fert. Nam *Gang*, *Spaziergang*, *Röde*, *Münchröden*, *Bruch*, *Steinbruch*, *Hut*, de actione primum, deinde itidem de locis, dicuntur. *Harangue* nomen Anglicum & Gallicum eſt a Germanico *Heerung*, id eſt, *cœtus*, *conventus*. Romani quoque *concionem* de congregata in unum locum civitate dicunt, & de *oratione ad concionem*.

III. Jam ad noſtra veniemus. Ill. *Gundlingius Gundlingian.* Part. XXXVI p. 77 ſeqq. & Part. XLII p. 183 inquirit in originem nominis *Wildpret*. Multa diſputat, ſed vix perſuadet, niſi quod Anglicum *Bread* paulo magis conſentaneum eſſe videatur, quam ceteræ ſuſpiciones. Mihi e culinis noſtris citius repeti videtur vis nominis illius, quam ex Anglia. Etenim *ein Braten* ibi jam dicitur caro, quæ igne torreri poſſit, antequam ſit toſta. Et famulæ laniorum noſtrorum ajunt, *herum ſuum jure uti ternas aſſas in macellum inferendi ſingulis dierum hebdomadibus, mein Herr darf alle Wochen drey Braten in die Fleiſchbanck liefern.* Quæ verba ipſæmet interpretantur de tribus animalium generibus, *bove*, *ove*, *capro*. Ergo ſi *bos*, ſi *ovis*, ſi *caper*, *Braten* appellatur Germanice; facile intelligitur, *Wildpret* eſſe *ein wilder Braten*, id eſt, *ein wildes Thier*. Hoc autem eſt id ipſum, quod erat demonſtrandum.

IV. Ejusdem libri Parte XXXI p. 75 ſeqq. nomen Germanicum *Pickelhæring* conſideratur, ut origo ejus demonſtretur. Quid *Gundlingius* literatiſſimus ſenſerit, ex libri ejus loco citato exquiratur. Mihi ſic videtur agendum, ut primum conſideremus, quinam ſint & dicantur *Pickelhæringe*, deinde quid iſti facere ſoleant. Ita, niſi fallor, emerget id, quod latebat. *Pickelhæringe* dicuntur ſcurræ agyrtarum, *die luſtigen Perſonen der Marckſchreyer*. Hi, quod equidem ſciam, pellibus os deformare & obſcurare non ſolent, etſi id aliter atque aliter dedecorare ſoleant. Ergo concidit ſuſpicio de *Gundlingiano hærin* & *haaren*. Quid autem agunt ſcurræ illi? Dicteriis laceſſunt vel e circumſtanti turba aliquos, vel conſervos ſuos, vel ipſum etiam oſtentatorem artis Chi-

Digitized by Google

Chirurgicæ magnificum, herum ſuum. Ergo nomen compoſitum eſt ex *pickel*, *pickeln*, & *haring*, id eſt, *harangue*. *Pickel* eſt proprie inſtrumentum fabrorum acutius, quo perforari facile etiam teſta, vel lapis, vel lignum, poſſit, *ein Pickel der Schieferdeckers*, *des Maurers* &c. Hinc eſt apud nos verbum tralatum *pickeln*, *pickeler*, id eſt, *ſtechen*, *anſtecher*. Dicimus item, *es iſt zum Pickel gefroren*, id eſt, ita congelata eſt aqua, ut ea pro malleo acuto uti poſſis. *Heering* eſt ex *Heer*, & ſignat *ein Lager einer Menge Volcks*, *conventum & concurſum turbæ ingentis*. Inde eſt *Verheerung*. Hoc nomen *Heerung* Gallis & Anglis dedit *harangue*, ut initio dixi. Ergo *Pickelharing* eſt ſcurra, qui concurrentem & circumfuſam turbam maledictis, dicteriis, facetiis, laceſſit. Nihil ad hanc originationem vocabuli illius reſponderi poſſe videtur, niſi forte illud objiciendum putes, quod ex noſtra ſententia potius *Pickelharinger* dicendum fuiſſe videatur. Sed hoc quidem telum minus eſt acutum. Nam antiquiſſimi Germani ſyllabam *er* non affingebant vocabulis: id quod ex *Taugenichts*, *Rotzleffel*, *Lincktatſch*, *Breitfuſs*, *Vormund*, *Schutzgott*, ſatis cuilibet apparet.

---

## *NOVA LITERARIA.*

QUam quælibet ætas optimorum ingeniorum feraciſſimam prædicavit, Bononia novum jam, idque illuſtriſſimum, non ſexus tantum muliebris, ſed totius etiam literati orbis, protulit ornamentum, *Lauram Mariam Catharinam Baſſi*, juvenem annorum circiter undeviginti. Quæ, licet per aliquod tempus ſingularem operam dederit literis Philoſophicis, & in addiſcendis his fideliſſima inſtitutione uſa fuerit excellentis Viri, *Gaetani Tacconi*, Phil. & Med. Doctoris, nec non publici in hac Academia Anatomiæ Lectoris & Profeſſoris, nihilo tamen minus a conſuetis ſexuique ſuo propriis laboribus & curis domeſticis ſejuncta nunquam, rariſſimas ingenii dotes ſuosque in literis profectus tanto occultavit ſtudio, tantaque moderatione & prudentia, ut non niſi paucos ante menſes, haud



Digitized by Google

ejusmodi quid opinante quoquam, excellentis ac plane ſingularis eruditionis ſuæ famam exire juſſerit, quæ ex Philoſophicis certaminibus, privatos inter parietes ab ipſa inſtitutis, primum enata, admiſſis deinde ad easdem frequentioribus auditoribus aucta in dies magisque fuit corroborata. Edidit enim hic promti & vere divini ingenii, profunde & accurate argumentandi rationis, memoriæ feliciſſimæ, expedite ac eleganter Latine loquendi facultatis, nec non perfectæ cognitionis ſublimiorum & graviorum quæſtionum Metaphyſicarum, ampliſſimæque in rebus naturalibus & Anatomicis ſcientiæ, clariſſima multa multaque egregia ſpecimina, quæ non potuerunt ſumma literatorum ac Nobilium, qui ad audiendam eam in ipſas ejus ædes frequentiſſimi ſæpius concurrerant, admiratione ac fere ſtupore quodam non excipi. Quo inaudito fere ingenii muliebris exemplo cum per majorem civitatis partem clarum reddidiſſet nomen ſuum, noluit, pro inſigni ſapientia ac modeſtia ſua, repugnare diutius communi omnium exſpectationi & deſiderio publico. Itaque decimo quinto die Calend. Maji in Palatio magno publico, aſſidentibus Eminentiſſimo Cardinali Legato & Archiepiſcopo, Illuſtriſſimo Vice-Legato, Excellentiſſimis Juſtitiariis, & Conſulibus Senioribus, nec non in numeroſo conſeſſu Senatorum, Nobilium, Doctorum, Lectorum, & peregrinorum, qui ex circumjacentibus provinciis magno numero venerant ſpectatum, ſub moderamine digniſſimi Magiſtri ſui, cujus jam ante mentionem fecimus, propugnando ſelecta ex univerſa Philoſophia præcepta, publice ac ſolenniter, dataque omnibus contrarias partes tuendi venia, feliciſſimi ingenii periclitata eſt vires. Qui ſuis eam telis impugnarent, doctiſſimorum virorum ſeptem fuere, quinque Lectores Regulares, & duo Profeſſores publici, alter Medicinæ, *Jacobus Bartholomæus Beccari*, Phil. & Med. Doctor, & Profeſſor Phyſices experimentalis in Collegio Scientiarum, Analytices alter, *Gabriel Manfredi*, Phil. Doctor. Rem autem hac in docta puella ſtrenueque arena adeo feliciter geſſit, ut mira quadam animi virtute, inuſitata dexteritate, & abundantiſſima doctrina, omnes Adverſariis ſuis

ſcru-

Digitized by Google

ſcrupulos exemerit, atque ita ortam apud omnes de ſe præſtantiſſimaque doctrina ſua famam amplificaverit mirifice, lætitiamque patriæ magis magisque confirmaverit. Paucis ante diebus in Academiam Scientiarum clara voce fuerat cooptata, nunc vero poſt tam manifeſta publiceque data fertiliſſimi ingenii nec ubivis obviæ ſcientiæ Philoſophicæ documenta, religioni ſibi duxerunt Collegii Philoſophici Doctores, diem diutius procraſtinare, quo debita ſingulari ejus doctrinæ præmia decernerentur. Definivere igitur diem quartum Idus Aprilis, quo excellentem feminam Doctorali lauru ornarent, ſimulque illuſtri ſuo Collegio adſcriberent; quibus ſolennitatibus ſolitum tentamen prælufit alio in loco, ubi congregari ſolet Collegium hocce Philoſophorum, quem & ipſa hac occaſione præſentia ſua Eminentiſſimus Cardinalis Archiepiſcopus illuſtraverat; quo tandem peracto, celebrati ſunt inaugurandi ritus unanimi omnium conſenſu, ſeu potius plauſu & acclamatione. Aſt, quoniam locus non ſatis dignus & in tanta omnium ſpectandi cupiditate nimis anguſtus videbatur, contulit ſe puella in Palatium publicum magnum, cum numeroſo multorum carpentorum comitatu, ita, ut ipſa magnifico curru Illuſtriſſimi *Conſalonierii* vecta, ejusdemque famulitio circumdata, comites ſecum haberet duas Matronas Principes, *D. Com. Mariam Bergonri Ranurri*, & *D. Marchion. Eliſabetham Mariam Herculani*, ſequentibus poſtea Collegii Doctoribus, ſolito ornatu veſtitis. Inde puella, præeuntibus binis Academiæ famulis, ingreſſa eſt aulam Herculis, hujus ſolennitatis cauſa multo apparatu inſtructam, induta ipſa veſtibus nigris, ad modum Matronarum Nobilium vel Aulicarum comparatis. Occupabat locum medium inter Ill. & Reverend. Archidiaconum, *Formagliari*, & celeberrimum *Mattheum Barrani*, Doctorem Collegiatum, Lectoremque publicum, & Anatomiæ in hac Academia Profeſſorem, ordinisque ſui Præſidem, ſedentibus juxta hos ad utrumque latus Doctoribus Collegiatis Philoſophiæ, una cum Collegii Medici Doctoribus, qui eo conſilio, ut, aucto aſſidentium numero, actum redderent ſplendidiorem, erant invitati. Auſpicabatur hoc ſolenne D. Archidiaconus oratione docta & facunda, qua conferebat puel-

puellæ jura Doctoralia, eamque Philoſophiæ Magiſtram publice renunciabat. Inde ipſa puella gravitate & modeſtia ſingulari orationem recitabat ornatam & elegantem, qua gratias univerſis agebat Collegii Doctoribus. Denique D. *Barrani*, de quo modo diximus, verba fecit, ſumma ſuavitate & eloquentia condita, obſervatisque ritibus conſuetis, evolutis clauſisque libris Philoſophicis, ornato annuli inſignibus puellæ digito, impoſita capiti ejus corona argentea pretioſiſſima, in lauri ſpeciem fabricata, denique veſtitis auguſto ornatu humeris, finem dicendi fecit. Quibus confectis, puella ſiſtebat ſe coram ſolio Eminent. & Reverend. Cardinalis *Polignacii*, Legati & Archiepiſcopi, qui eam ſtans benigne ac honorifice recepit, & ad orationem, qua ipſum compellabat puella, ſatis elegantem, incredibili ſuavitate reſpondit. Ita peracta ſunt hæc ſolennia, quibus nec ſplendidiora nec jucundiora quis deſiderare poſſet, ſive ſpectes ipſius rei raritatem & præſtantiam, ſive dignitatem loci, ſive nobilitatem & doctrinam eorum, qui interfuerunt; ſiquidem præter Eminent. & Rev. Cardinales, Illuſtr. & Rev. Vicelegatos, Illuſtriſſ. & Excell. *Confalonierium*, & Magiſtratus, advolaverat undique incredibilis numerus Matronarum, Senatorum, Equitum, Doctorum, regularium & ſecularium, civium denique ac peregrinorum, qui præſentia ſua ingens decus atque ornamentum actui per ſe illuſtri & decoro conciliabant. Prodibant tunc & diſtribuebantur exquiſitiſſima in laudem Candidatæ carmina; ipſa vero una cum numeroſo nobilium doctorumque hominum comitatu tranſibat ad ædes Ill. & Exc. *Confalonierii*, ubi laute & opipare fuit excepta. Veſperi 3 Idus Maji, ut perciperet ſuis auribus, quantum doctrina valeat puella, poſſetque ſententiam, quam de ipſa conceperat, confirmare eo certius, in ædibus *Monti* (*in Caſa Monti*) Eminentiſſ. *Polignacius* ex privata pugnantem cathedra audivit, & ingenium puellæ, vix ſimilem ſui habentis, præconiis proſecutus eſt exquiſitiſſimis.

---

## EMENDANDA.

Superiori *Menſe Majo p.* 244 *lin.* 19, vitio typographi, *edita ab eo ſunt* legitur pro *edidit.*

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipſiæ
Calendis Auguſti Anno MDCCXXXII.

Η Παλαιὰ Διαθήκη κατὰ τοὺς Ἑβδομήκοντα.

h. e.

*VETUS TESTAMENTUM EX VERSIOne ſeptuaginta Interpretum olim ad fidem Codicis MS. Alexandrini ſummo ſtudio & incredibili diligentia expreſſum, emendatum ac ſuppletum, a JOANNE ERNESTO GRABE, S. T. P. nunc vero exemplaris Vaticani aliorumque MSS. Codic. Lectionibus Var. nec non Criticis Diſſertationibus illuſtratum, inſigniterque locupletatum, ſumma cura edidit JOANNES JACOBUS BREITINGERUS.*

***Tomi IV.***

Tiguri Helvetiorum, ex officina Joannis Heideggeri & Soc. 4, Tom. I 1730, Alph. 3 pl. 5, Tom. II 1731, Alph. 4 pl. 6, Tom. III 1732, Alph. 2 pl. 19, T. IV 1730, Alph. 2 pl. 13.

CUm omnes illi, qui veteres Autores, non ſine Dei arbitrio e naufragio, quod fecerunt literæ, ad noſtra tempora ſervatos, ad Codicum MSS. fidem diligentiſſime caſtigatos, & a ſordibus, iniquitate temporum & longinquitate contractis, ſtudioſiſſime purgatos, e tenebris in lucem publicam emittunt ac protrahunt, non minus ſibi gloriæ laudisque, quam rei publicæ eruditæ emolumenti, conciliant, tum ii cumprimis, qui omne ſtudium operamque omnem in recenſenda, &, quoad



Digitized by Google

ejus fieri poteſt, integritati ſuæ reſtituenda Græca ſacrarum literarum interpretatione, quæ LXXviralis appellari conſuevit, ponunt, immortali laude cenſendi ſunt digniſſimi. Etenim, quo majoris eſt uſus hæc verſio V. T. a viris Ebrææ pariter ac Grææ linguæ gnariſſimis religioſius elaborata, tum in ſermone Ebræo rite intelligendo, tum in N. T. libris exponendis, eo inſigniore beneficio ſibi omnes obſtrinxerunt ii, qui in ea emendanda induſtriam ſuam vigiliasque expromſerunt. Magnam certe gratiam apud ſacrarum literarum ſtudioſos iniit de Græca literatura immortaliter meritus Cl. *Lambertus Bos*, nova LXXviralis interpretationi editione cum variis lectionibus procurata, majoremque ſine dubio retuliſſet, ſi, quod ſibi propoſuerat, ubique primam editionem Romanam, A 1587 Sixti V Pontificis autoritate evulgatam, in ſua expreſſiſſet, nec vel Pariſienſem, a *Joanne Morino* recenſitam, vel lectionem *Woltoni* in Bibliis Polyglott. Anglicanis usque eo retinuiſſet, ut, ubi hæ editiones ab illa diſcedunt, has, relicta lectione Romana, ſequeretur. Quo longius vero editio Franequerana a perfectione ſua abeſt, eo propius ad eam accedit illa, quam debemus Viro in his rebus verſatiſſimo, *Jo. Ernesto Grabio*. Neque enim hic ſolum in ſua editione, Oxonii publicata, textum Græcum ad verbum ex Codice MS. Alexandrino, optimæ notæ exemplari, deſcriptum typis exſcribendum curavit, verum etiam id ſibi negotii datum eſſe credidit, ut textum, ubi vitio vel defectu laborabat, ope aliorum exemplarium ac priſcorum ſcriptorum, præſertim Hexaplaris editionis *Origenianæ* emendaret non minus, quam ſuppleret. Quo factum eſt, ut hæc editio & lectionis puritate & perfectione ſua reliquis omnibus quam longiſſime anteſtaret. Et quamvis Vir doctiſſimus in medio operis curſu hac vita decederet, commendavit tamen hanc rem teſtamenti curatoribus diligentiſſime, qui etiam, licet paulo ſerius, editis duobus reliquis Tomis præſtantiſſimum Opus compleverunt. At, cum rariora hujus ſint editionis & cariora in noſtris regionibus exemplaria, quam ut æquo poſſint pretio ab harum rerum ſtudioſis comparari, laudandum omnino & omnibus gratiſſimum ſuſcepit laborem Vir doctiſſi-

ctiſſimus, *Joannes Jacobus Breitingerus*, dum LXX verſioni denuo edendæ manum admovit. Atque id quidem Cl. Editor tanta cura, tanta accuratione, tantaque eruditione, præſtitit, ut hæc ipſa editio Oxonienſi palmam non tam dubiam reddat, quam penitus præripiat. Namque, etiamſi Vir Clariſſimus optimo ſapientiſſimoque conſilio ſtatuit editionem Oxonienſem, Cel. *Grabii* cura caſtigatam & illuſtratam, ad verbum ſumma fide & adhibita omni diligentia exprimendam, effecit tamen idem Vir Doctiſſ. indefeſſa ſua induſtria & inuſitata eruditione, ut hæc nova editio & emendatior Oxonienſi & auctior, nec tamen incultior, prodiret. Siquidem non tantum manifeſtos errores typographicos, a quibus *Grabiana* editio non eſt prorſus immunis, cum ab Erudit. *Wanleyo* jam notatos, tum a ſe obſervatos, diligenter ſuſtulit, & emendationes quaſdam, ab ipſo *Grabio* in Prolegomenis & Diſſ. de vitiis, verſioni τῶν ό ante *Origenis* ævum illatis, indicatas, ex hujus ipſius ſententia in textum ſolicite repoſuit, verum etiam variantes exemplaris Romani lectiones, ex ipſa prima ejus, eaque rariſſima, editione, Sixti V. P. M. autoritate vulgata, & a Viro Generoſiſſimo, *D. Hans Blaurer a Wartenſee*, equeſtris ordinis Senatore apud Tigurinos ſpectatiſſimo, ſibi conceſſa, magno labore, & ſingulari diligentia, comparatis inter ſe utriſque editionibus, excerptas, inferiori margini cujusque paginæ adjecit. Qua quidem in re ita verſatus eſt Cl. Editor, ut, præter manifeſtos typothetarum lapſus, nullas inter utrumque Codicem diſcrepantias prætermiſerit facile, licet ſubinde non in variarum lectionum cenſum, ſed potius inter orthographiæ anomalias referendæ, aut ad dialecti Alexandrinæ proprietates pertinere viderentur. Maluit enim hac in parte Cl. *Grabii* exemplo nimia ac tantum non ſuperſtitioſa diligentia, quam, aliorum more, aut incuria, aut licentia, peccare. Neque tamen hic ſibi ſequendos duxit *Huiſſium*, *Waltonum*, & *Boſium*, qui omnes inter utrumque Codicem diſcrepantias ſine diſcrimine in numerum variarum lectionum retulerunt, ſed ſapienter atque adhibito judicio in ſuas veluti claſſes digeſſit. Nam primo errorum in exemplari Romano typographicorum, quos incuria fudit, &

 huma-

humana parum cavit natura, in colligendis variis lectionibus nullam prorſus rationem rectiſſime habuit, ex quorum numero, in Præfatione, Tomo IV præmiſſa, largiter exhibito, apparet, non ita omnibus numeris abſolutam, ac veluti ſupra humanarum rerum ſortem poſitam eſſe editionem Romanam, ut nihil prorſus in illa deſiderari, aut ſine ſcelere mutari poſſit. Deinde, licet idem Vir Doctiſſ. Editores Romanos in locis fere innumeris accentuum ſpirituumque ſigna inepte permutaſſe, ſenſumque hoc ipſo nonnunquam mutaſſe & ſubinde evertiſſe, annotaverit, non tamen his locum in lectionibus variis concedendum eſſe putavit, quemadmodum etiam de induſtria omiſit illa, in quibus editiones Romana & Oxonienſis ratione orthographiæ inter ſe differunt. Quæ cum ſatis jam oſtendunt, hanc novam editionem *Grabianæ* ac reliquis omnibus & accuratione & perfectione præſtare, tum idem etiam aliquando plenius conſtabit ex variis illis Diſſertationibus, quas Tomo V addet Cl. Editor, &, cum primum fieri poterit, evulgabit. Quanquam enim Opere, quod IV Voluminibus concluditur, jam confecto, quam ſibi ipſe propoſuit, metam attigit, iisque, qui nomina ſua dederunt, pleniſſime ſatisfecit & mole Operis & dignitate, tantum tamen abeſt, ut, quæ eſt ejus in literarum commodum voluntas, ſibi ipſe ſatisfeciſſe videatur, ut novo Volumine inſtitutum ſuum augere apud animum conſtituerit. Duabus autem Partibus Opus illud, quod molitur, abſolvetur, quarum altera varias ſiſtet Diſſertationes, quibus vexatiſſimæ in hoc argumento quæſtiones de vera hujus verſionis ætate, de *Ariſtæanæ* narrationis fide, de ipſius interpretationis autoritate, & iniquis, quæ & ante *Origenis* ævum & deinceps paſſa eſt, fatis, de ejusdem in N. T. crebris allegationibus & uſu, de Alexandrinæ lectionis præ Vaticana præſtantia, & quæ aliæ ſunt hujus generis bene multæ, expendentur. Altera vero exhibebit integram ſyllogen collationum in ſingulos prope Codicis S. libros cum antiquiſſimis & optimæ notæ MSS. libris, hactenus maximam partem aut prorſus non, aut oſcitanter, recenſitis, quibus innumerabiles fere Alexandrini & Vaticani Codicis loci vel confirmari, vel emendari, vel ſuppleri, poſſunt.

Qua

Digitized by Google

Qua quidem in ſylloge collationum primum merito locum occupabit liber Geneſeos MSC. Bibliothecæ *Cottianæ*, omnium totius orbis antiquiſſimus, cujus collationem, de novo & diligentiſſime inſtitutam, accepit a Cl. *Magno Cruſio*, nuper Illuſtriſſimo Regis Daniæ ad Comitia Sueſſionenſia oratori a ſacris. Accedunt Codices *Serravianus*, & ejusdem in *Colbertina* Bibliotheca aſſervata fragmenta, & tres præterea MSS. Auguſtani, Baſilienſes & Tigurinus. Qua occaſione Cel. *Jablonskium* publico nomine compellat atque obteſtatur, ut pretioſiſſimi ſui, olim *Maſiani*, Codicis, obeliſcis & aſteriſcis *Origenianis* inſtructi, & in quo ſolo hiſtoricorum poſt Octoteuchum reliquorum editio *Origeniana* conſervata extat, editionem, jam per XXV annos deſideratam, & omnium votis expetitam, vel maturare velit, vel ejus uſum Cl. Editori concedere. Atque hujus, quod cepit, conſilii rationes peculiari Programmate expoſitas cum publico communicare, & eruditorum de hoc inſtituto ſententias, judicia & conſilia, explorare animum induxit. Sed, ut de ipſis, quos jam habemus, Tomis IV quædam dicamus, I continet Octoteuchum, ſive libros *Moſis*, *Joſuæ*, *Judicum* & *Ruth*. Cui ex editione Oxonienſi præmiſſa eſt *Joannis Pearſoni* Præfatio parænetica, cum poſtſcripto Cl. *Grabii* conjuncta. Hanc excipiunt Præfationes in editionem Romanam, A. 1587 vulgatam, & doctiſſimi *Grabii* Prolegomena, ſubjectis Cl. *Lamberti Boſii* animadverſionibus ad loca quædam Octoteuchi. Denique accedit Cl. *Breitingeri* Præfatio elegantiſſima, in qua de utraque antea laudata editione candide non minus, quam ſolide, mentem ſuam exponit. Siquidem de Franequerana erudite obſervat & exemplis confirmat, eam non primam editionem Romanam & A. 1587 evulgatam, ſed vel Pariſienſem, a *Joanne Morino* recenſitam, vel lectionem *Waltoni* in Bibliis Polyglottis Anglicanis expreſſiſſe. Deinde in exprimendo textu Græco Polyglotta Anglicana conſtanter etiam in illis locis ſecutam eſſe, quibus & a prima editionis Romanæ & ab alterius Pariſienſis lectione diſcrepant. Tum plurimis locis, quibus & *Morinus* & *Waltonus* Romanam illam exprimunt, hac neglecta, aliam incertum unde hauſtam ſubſtitu-

ſtituiſſe. Denique varias ex Codice MS. Alexandrino lectiones vel perperam tradidiſſe, vel prorſus omiſiſſe. Cui rei ut faceret fidem, integrum vel vitioſarum, vel neglectarum, ex hoc Codice lectionum, quos poſt Cl. *Grabium* in Polyglottis Anglicanis & editione Franequerana annotavit, ſyllabum attexendum ſibi exiſtimavit. Quo minus igitur editio Franequerana propter vitia, quibus laborat, Cl. Editori fecit ſatis, hoc magis acquieſcit in ea, quam procuravit Doct. *Grabius* usque eo, ut, niſi *Grabianæ* editionis exemplaria in cismarinis oris rarius obvia, & iniquiore paullo pretio paranda fuiſſent, ipſi profecto nunquam in mentem veniſſet, novam τῶν ό editionem moliri. Tom. II exhibentur libri hiſtorici, nempe libri Regum quatuor, Paralipomenon Regum *Judæ* duo, *Eſther* unus, *Esdræ* liber ſecundus, & verba *Neemiæ*, libri *Tobiæ*, *Judith*, *Esdraicus* primus, & *Maccabaici* quatuor. Et, quemadmodum Tom. I ipſius *Grabii* Prolegomena ex editione Oxonienſi præmiſſa fuere, ſic huic Tomo II ex *Grabii*, ipſi operi immortui, ſchedis Prolegomena, a *Franciſco Lee*, M. D. in ordinem redacta, ex eadem Oxonienſi præmittuntur, quæ iterum ſequuntur *Lamberti Boſii* Animadverſiones ad loca quædam LXX interpretum. Mirabuntur hic ſine dubio Lectores, qui factum ſit, ut a Cl. *Breitingero* nulla huic Tomo, quemadmodum reliquis omnibus, præmiſſa ſit Præfatio. Sed, prout nobis nullum eſt dubium, quin Vir Cl. cauſas habuerit ſatis idoneas, quamobrem Præfatione in hunc Tomum ſuperſedendum exiſtimaverit, ita ſine ulla mora ad Tomum III accedimus, qui ſiſtit libros Propheticos, tam canonicos, quam apocryphos, ad unum omnes, & quidem eo ordine, quem ex Codice Alexandrino inſtituit Cl. *Grabius*, quique ſic ſe habet: *Hoſeas*, *Amos*, *Micha*, *Joel*, *Abdiu*, *Jonas*, *Naum*, *Ambakum*, *Sophonias*, *Aggæus*, *Zacharias*, *Malachias*, *Eſaias*, *Jeremias*; cui annectuntur *Baruch*, *Threni*, & epiſtola *Jeremiæ*, *Ezechiel*, *Daniel*, præmiſſis ſimiliter ſine ullo augmento ex editione *Grabiana* Prolegomenis, iisque ſubjunctis *Lamberti Boſii* Animadverſionibus Criticis. Tandem ſequitur Cl. Editoris Præfatio in hanc novam editionem, in qua inprimis laudat ſingularem Viri

Am-

Digitized by Google

Ampliſſimi, *Joannis Caſpari Eſcheri*, Reipubl. Tigurinæ Proconſulis, gratiam, a quo ſe in Opere hoc perficiendo & fotum & excitatum ſubinde fatetur. Deinde obſervationes quasdam Cl. *Lamberti Boſii* de Codice Alexandrino, in Prolegomenis editionis ſuæ Cap. 2 modeſte propoſitas, quibus *Caſimirus Oudinus*, Cel. *Grabii* cavillator egregius, ad imminuendam Codicis Alexandrini autoritatem pulchre abuti poſſe ſibi viſus eſt, ſub examen vocavit, & ſolide refutavit. Tomus denique IV habet libros canonicos, Ebræo metro ligatos, & apocrypham item Salomonis ſapientiam, & Siraciden, in Codice Alexandrino ϛιχηϱῶς ſcriptos. In quo æque, atque in reliquis, textus exhibetur, ad fidem editionis *Grabianæ* ſummo ſtudio ac diligentia expreſſus, & expunctis erroribus typographicis, ſi qui in illa reliqui erant, probe caſtigatus. In præmittendis Prolegomenis Cel. *Grabii* & Animadverſionibus *Lamb. Boſii* eadem fuit, quæ in reliquis, ratio obſervata. In nova vero ad hanc editionem Præfatione diſſerit Cl. Editor de Romanæ editionis erroribus, tam typographicis, quam ab diverſo Editorum ingenio profectis, quorſum refert accentuum ſpirituumque ſigna inepte ſæpius permutata, & de differentia orthographiæ in editionibus Romana & Oxonienſi, &. editionem Franequeranam in libris quoque hoc Tomo comprehenſis ab Archetypo ſuo nonnunquam diſceſſiſſe, demonſtrat. Interim multum ſe in exornando hoc Opere debere profitetur Viris Clariſſimis, *Jo. Erh. Kappio*, in Academ. Lipſ. Prof. Eloqu. P. *J. G. Schellhornio*, Lycei Memming. Vicario ac Reipubl. Bibliothecario, M. *P. J. Cropbio*, P.L.C. Reipubl. Auguſt. Bibliothecario, & ſupra jam laudato *Magno Cruſio*. Ceterum in his IV Tomis tanta conſpicitur chartæ pariter ac typorum elegantia, ut nequaquam dubitandum ſit, quin hæc Editio LXX Interpretum communia ſit omnium Eruditorum puncta latura. Itaque, prout erudito orbi non minus, quam Cl. Editori, de præſtantiſſimo hoc Opere majorem in modum gratulamur, ita ex animo optamus, ut Deus O. M. Doctiſſ. *Breitingero* & vires & otium largiatur ad Tomum V propediem perpoliendum, & in lucem aſpectumque communi Reipubl. literariæ emolumento feliciſſime proferendum.

HISTO-

# HISTOIRE ANCIENNE DES EGYPTIENS &c.

h. e.

# *HISTORIA ANTIQUA ÆGYPTIORUM, Carthaginienſium, Aſſyriorum, Babyloniorum, Medorum, Perſarum, Macedonum & Græcorum. Autore ROLLINO, Rectore Academiæ Pariſienſis, Eloquentiæ in Collegio Regio Profeſſore, & Academiæ Inſcriptionum & bonarum literarum Regiæ Sodale.*

## *Tomi III.*

Amſtelodami, Tom. I 1729, plag. 23, T. II 1731, pl. 21, T. III 1732, Alph. 1 pl. 3, 8.

PErgit celeberrimus Autor noſter, qui jam edito præclaro Opere in uſum juventutis, de Methodo ſtudendi literis elegantioribus, multis obſervationibus haud vulgaribus referto, inclaruit, Hiſtoriam antiquam, illius commodo, illuſtrare, eamque variis meditationibus politicis & moralibus, paſſim inſertis, ad majorem inde utilitatem capiendam accommodat. Tomus primus duobus libris conſtat, ac iſtorum prior, in tres Partes diviſus, veterum Ægyptiorum hiſtoriam complectitur. Harum prima regionis memorabilia, ſecunda incolarum mores, leges, artes, religionem, tertia Regum vitas, exponit. Secundo libro Carthaginienſium hiſtoriam perſequitur, ac prima ejus Parte conſuetudines & mores hujus gentis, regiminis formam, religionem, potentiam, ac opes, deſcribit, altera vero bella ejus celebria enarrat. Tomus ſecundus in tres Partes diſpeſcitur, quarum prima imperium Aſſyriorum, Medorum & Lydiorum, ſecunda initium regni Perſarum & Medorum a Cyro fundati, & ſub Cambyſe & Smerdi continuati, (cui p. 270 ſeqq. iſtorum populorum conditionem ac ſtatum, mores, leges, ſcientiarum cultum, una cum cauſis interitus regni Perſarum, prolixa doctaque digreſſione adjecit,) tertia vero Græciæ deſcriptionem Geographicam & hiſtoricam continet, ac regiminis, in eam per varios legiſlatores, de quibus judicat, introducti formam, viroſque claros atque illuſtres Græciæ recenſet. Tomo tertio, in duas partes diviſo, poſt

Lace-

Digitized by Google

Lacedæmoniorum hiſtoriam, maxime Perſarum Imperium, ſub Regibus, Dario I, ubi & in tranſitu de Scythis agit, Xerxe I, Artaxerxe Longimano, Xerxe II, Sogdiano, Dario II, ſeu Notho, eorumque cum Græcis bella, & Græcorum inter ſe ipſos geſta, fuſe & accurate explanat. In Præfationibus, quas cuilibet Tomo præmiſit, & prima quidem, de uſu hiſtoriæ & regnorum origine, ſecunda de imperiorum diverſis formis, & amplis Aſiæ totius finibus, tertia de gentium virtutibus ac vitiis, differit, leviumque errorum a ſe admiſſorum correctiones futuro Tomo inſerere ſe velle pollicetur. p. 65 ſeq.

## *P. TERENTII AFRI COMOEDIAE SEX, cum interpretatione* DONATI *&* CALPHURNII, *& Commentario perpetuo. Curavit* ARN. HENR. WESTERHOVIUS.

Hagæ Comitum, apud Iſaacum van der Kloot, 1732, 8. Alph. 3 pl. 18.

HAbent hanc Acta noſtra laudem, quod rixis & maledictis aut plane carent, aut certe parciſſime illam labem ſunt experta. Illam rationem ſequi porro certum nobis eſt. Interim honeſta quadam in judicio noſtro indicando libertate nos uti, nemo indignabitur, niſi qui, omnia laudari poſſe ac debere a viro famæ ſuæ non incurioſo, ſanciat. Recenſita eſt ab aliquo noſtrum ſuperior, eaque major, editio *Weſterhoviana Terentii Menſe Junio* 1726. Diſplicet judicium illius Viro Cl. Rem breviter proponemus, cum eadem etiam hujus editionis rationem indicare ex aliqua parte poſſimus. Scripſerat ibi Collega noſter, non idem profecto, qui iſta commemorat, p. 254: *Homines elegantes, qui veteres ſcriptores cum voluptate perlegere volunt, habent hic nitidam editionem, quæ vel invitos ad legendum incitare, hæſitantibus etiam, dum ex multorum notis in unum Commentarium conjectas obſervationes exhibet, paſſim ſuccurrere poſſit: at qui altius in literas interiores penetrare, & Criticam ſuam, ut*



Digitized by Google

*ita loquamur, cupiditatem exſatiare cupiunt, iis, ni fallimur, aptior erit ea, quam Celeb. Bentlejus cum maxime adornat, editio.* Negat hic Cl. *Weſterhovius* in Præfatione novæ editionis, ſe offenſum eſſe, *Bentlejanam* editionem, nondum viſam, præ ſua magnopere commendari. Sed videre poterat, niſi offenſus fuiſſet, non ſimpliciter præferri *Bentlejanam* editionem ſuæ, verum κατά τι, his, qui Criticis ferculis magis delectantur, gratiorem fore, divinari; quam quidem non falſam fuiſſe conjecturam, res ipſa loquitur. Subjecerat Collega noſter obſervationes aliquot Criticas, quibus lectiones *Weſterhovianas* vel emendatum iret, vel confirmatum, indicaverat etiam ſpecimina aliquot notarum aliunde conductarum ad *Terentium.* Tandem p. 259, *quod cum aliis*, inquit, *vitio verti poſſet, qui alienum laborem hoc pacto ſuam gloriam facerent; Noſter ingenue factum profitetur, & Præfatione ſua omnibus fere debitam laudem tribuit. Ita facile patet, quo loco interpretum ſit habendus.* Hic *Weſterhovius Lipſienſis hujus judicii ſcilicet ſpecimen* profert unum, ad *Andr. V, 4, 32*, ubi Collega noſter malebat *proſequens* legi, cum in vulgatis ſit, *is hinc, bellum fugiens, meque in Aſiam* perſequens, *proficiſcitur:* ubi & *Donatus*, & *Bentlejus* ipſe, nihil mutant. Alia ſe mittere ait V. Cl. vel ejusdem generis, vel leviora etiam & magis jejuna. De his nihil eſt, quod dicamus, cum ſint vaga nimis atque incerta. Verum illud velimus cogitare æquos Lectores; ſi non neceſſaria fuit emendatio Collegæ noſtri; at certe contra genium linguæ Latinæ non peccat, quod illi objicitur: at certe judicium de *Weſterhoviano* labore iniquum non eſt, neque ipſi pœnitendum Viro doctiſſimo, qui profecto non dicet, Criticis opus fuiſſe collectanea notarum, quæ in Commentarium ſuum conſilio aliis profuturo conduxit; neque comparabit ſe, quantum ad Criticam facultatem, *Bentlejo.* De hac editione, quæ ut magnitudine multum, ita parum ſplendore, cedit ſuperiori, nihil adjiciemus præter ipſius Viri Cl. Verba: *Dum Plauto undique opem quæro, dum e Bibliotheca Regia Pariſienſi & aliunde plura ſubſidia expecto, novam hanc Terentii editionem adorno. Commentario facili*

*ac*

*ac plano* (adde brevi, ac raro ad quartam partem paginæ, in qua *Terentii* & *Donati* verbis ſubjectus eſt, aſſurgente) *ſcholarumque uſibus magis accommodato. Variarum lectionum nihil addidi, ne illarum quidem, quas ex MS. Codice Illuſtr. Villerſii, Archiepiſcopi Viennenſis, poſtea ſublegi, quam priorem illam editionem in lucem emiſeram — In Indicem præter elegantias Terentianas nihil temere retuli. Dehinc Comico Umbro ſubſecivas ab alio non minoris laboris opere atque Gymnaſii regendi munere horulas dicabo.* Favemus ex animo conatibus Viri docti, inprimis cum plures ſint eorum, quibus diligentia talis placet, & quos adjunctus illi nitor librorum juvat, quam qui deliciis interiorum literarum capti, interpretamentis communibus non indigent.

## Θεοκρίτου τὰ εὑρισκόμενα.

h. e.

## *THEOCRITI QUÆ EXTANT, CUM Græcis Scholiis.*

Londini, impenſis Guil. Innys, 1729, 8.
Alph. 1 pl. 19, ch. maj. dimidiatæ.

NEque præfatus quisquam eſt quidquam, neque percurrenti unum itemque alterum Idyllion oblatum eſt veſtigium novæ curæ in Poetam ſuaviſſimum impenſæ, niſi quod nitide & ſatis emendate expreſſa videntur tum ipſa Poetæ verba, uti ab *Heinſio* conſtituta ſunt, tum Scholia Græca, hic etiam non minus, quam Latina verſio, textui ſubjecta, adeo, ut videatur hæc editio ad proxime ſuperiorem, e theatro *Sheldoniano* proditam, qua uſi aliquando ſumus, ſed quæ nunc ad manum non eſt, expreſſa. Nihil erat, quod adjiceremus, niſi, dum ſpeciminis cauſa percurrimus Idyllion XIV, in mentem veniret, duo verba cum his, qui *Theocritum* legunt, communicare. Videndum, utrum v. 11 *κατὰ καιρὸν* illud ſignificet *opportune*, ut hic etiam vertitur, an potius *aliquando, interdum?* Nobis quidem ita interpretandus videtur hic verſus, ut continuetur argumentum proximi, & inconſtantiæ cujusdam accuſetur *Æſchines*,

 qui

Digitized by Google

qui omnia velit, nunc hoc nunc illud, *κατὰ καιρὸν, pro tempore*, h. e. prout nunc hoc nunc aliud videatur ipſi magis appetendum, ita ut *κατὰ πόλιν, καθ' ἡμέραν*, quæ ſucceſſionem quandam & vices & ipſa notant. Deinde v. 17 legitur hic etiam Βολβὸς τις κοχλιας ἐξηρέθη, & transfertur, *Bulbus & cochlea promebantur*. Offendimur illo τὶς, placeb atque initio copulam ſubſtituere βολβὸς καὶ κοχλίας. Sed cum videremus deinde apud *Athenæum* II, 25, ſolenniter duos hoſce cibos aphrodiſiacos conjungi a Poetis, & ſonus nimis diſcreparet vocularum τὶς & καὶ, probabilius videbatur ἀσυνθέτως legere βολβὸς τοῖς, κοχλίας κ. τ. λ. τοῖς poetice pro ἐκείνοις vel αὐτοῖς. Sed hæc obiter.

## *SPECIMEN LIBRI SCHAGJRE TURKI Latine converſi a* THEOPHILO SIGEFRIDO BAYERO.

HAud facile liber aliquis prodiit, qui Mungalorum, Tartarorum, omniumque gentium Septentrionalis Aſiæ, res ſic illuſtraverit, ut *Abulgaſi Bahadur Chani* Genealogia Turcica, quæ ante annos quatuor Lugduni prodiit Gallice. (1) Tamen ut plerumque in interpretando peccatur, ita mirum non eſt, ſi hæc quoque interpretatio, bona ſatis, non omnibus vero numeris perfecta eſt. Et qui potuit? cum e Tatarico aut potius e Turcico MS. primum Ruthenice, e Ruthenico Germanice, e Germanico tandem Gallice facta eſt. Sic, qui errores fuerunt in prima interpretatione, transſcribendo ſæpe aucti ſunt. Hoc intelligo e duplici MS. Germanico hujus libri. In nominibus autem tum hominum & gentium, tum locorum, maximum incommodum ſentio, præſertim cum hæc, niſi ſuis literis perſcribantur, accurate exprimi non poſſint. Intereſt igitur eruditæ rei, ut publice cognoſcatur, & exſtare illum Autorem Turcica lingua intermiſſis Tataricis mul-

(1) *Hiſtoire genealogique des Tatars traduite du manuſcript Tartare d'Abulgaſi Bayadur Chan. A Leide 1726.*

multis ſcriptum in Bibliotheca Academiæ Petropolitanæ, & novam a me privatos in uſus interpretationem eſſe adornatam.

Hic ابولغازي بهدور خان *Abulgaſi Bahadur Chan* librum inſcripſit الكتاب شجرت تركي *Alkitab Schagjret Turki, librum Genealogiæ Turcarum.* Ob eam cauſam hæc Hiſtoria his in regionibus notiſſima eſt nomine *Kitap*, quanquam hoc nihil aliud ſignificat, quam *αὐτὸ τῦτο*, *librum.* Autor ipſe *Urgenſium* Tatarorum Princeps, quas res geſſerit, in extremo libro explicuit. Deceſſit A. H. 1074, A. C. 1663, & duobus poſt annis liber exiit in publicum. Librum MS. dignum judicavi, ut ad novam interpretationem Latinam adhiberem. Quoniam autem eam adornabam, non ut aliquando ederetur, ſed ut mihi in privatos uſus ſufficeret, non, ut fieri alias ſolet, & laudabile eſt in his libris, ipſum textum appoſui ad interpretationem, ſed in interpretatione tantum adſcripſi nomina Turcica, quæ literis Latinis nunquam ſine ſeu errore ſeu caligine aliqua exprimuntur. Specimen hoc erit operæ collocatæ.

De genere ايغور *Oigur*.

In regno Mogulenſi (2) altiſſimi ſunt montes, longe lateque vergentes ab ortu ſolis ad occaſum. Unus eorum vocatur توقرا تو بوزلوق *Tukra tu busluk*, alter اشــكــون لوق تكرام *Iſchkun luk tugram.* Intra hos montes ad occidentem eſt Mogolicus ager, & ultra hunc agrum ad occaſum intra montes alius eſt mons nomine قون *Kon.* (3) Hos inter



(2) مغول *Mogul* perpetuo. Germanicus & Gallicus p. 9 *ab Adamo usque ad Mogul, aut potius Mungli-chan.* Hoc Scholion eſt interpretis, ut ſunt alia quædam inſerta, non pauca quoque omiſſa.

(3) Gallicus *Kutt*, quod probo. قوت per vicinitatem extremæ literæ confundi potuit. Sed a MS. diſcedere nolui.

Digitized by Google

inter tres montes decem ſunt flumina. Alia intra eosdem montes regione novem ſunt flumina, ubi أيغور *Oigurei* degerunt. Qui inter decem flumina degerunt, dicti ſunt أون أيغور *On* ſeu *Un Oigur*: qui vero inter novem flumina coluerunt, appellati ſunt توقوز أيغور *Tokos* (*Tokus*) *Oigur*, tanquam ſi dicas *decem* aut *novem Oiguros*. Nam أون *Un* eſt *decem*, & توقوز *Tokos* (4) eſt *novem* lingua Tatarica. Utraque gens multas urbes, pagos & agros, incoluit. Quanquam 120 familiæ (5) fuere, Regem tamen habuere nullum. Cum autem maximis in diſſenſionibus verſabantur, conſilium cepere duos reges eligendi, quorum unus *Un Oiguros*, alter *Tokus Oiguros* regeret. Ergo *Un Oigur* e corpore ſuo legerunt Regem مينكوتاتي *Mingutati*, & cognomen ei dederunt أيل ايلتر *Il ilter*. *Tokus Oigurei* e ſuo corpore fecerunt Regem, & كول أيركين *Kol irgin* appellarunt. Horum Regum poſteri centum annos & amplius regnarunt, &, qui ſucceſſere primis, omnes idem cognomentum geſſere. Tandem duo hæc regna in unum coaluerunt. Rex, qui in utroque populo rerum potitus eſt, nomen habuit أيديقوت *Idikut*. Significat autem Mogolica lingua أيدي *Idi*, *miſit*, & قوت *kut*, *animam* ſeu *ſpiritum*. Hoc genus annos fere 2000 intra montes quiete degit. Cum autem iterum inter eos diſcordia eſſet ſata, diſperſi ſunt, & quidam priſcis in ſedibus relicti, alii ad أيرديش *Irtiſch* fluvium conſederunt. Ex his quoque duæ partes diſceſſerunt. Alia pars in urbem بيش باليق *Biſch balik*, altera in agrum ejus urbis. Hi pecuaria re ſe ſuſtentarunt, illi agricultura. Qui autem ad *Irtiſch* fluvium

(4) Turcica hæc ſunt. Extremum دوقوز *Dokus* ſcribere malunt Turcæ. (5) Familias vocat أيل *Il*, proprie *regio, ditio*, tum vero etiam *populus*. Vide *Meninſkium* T. I p. 604.

vium relicti fuerant, piſcatura & zebellinis & caſtoribus & martibus & ſciuris capiendis. Carne paſti, pellibus ſeſe veſtiverunt. Dira inter eos imprecatio erat, ut cui contingat eſſe, ubi pecuaria ſe alunt homines, ubi carne ea veſcuntur, ubi variatas geſtant veſtes, ut bene cruciari poſſit. Cum جنكيز خان *Gjengis chan* imperaret, باورجيق ايدي قوت *Baurgjk Idi kut* ei ſe ſuaque tradidit, atque quotannis magna munera miſit. Etiam cum copiis ſuis caſtra *Gingiſcanis* ſecutus eſt, cum hic contra مور النهر *Mauranahar* duceret. Quia hic ايدي قوت *Idikut* multos doctos homines Turcicis tum literis tum lingua ſecum habuit, poſteri *Gjengiſchani*, qui in *Maurannahar* & عراق *Irak* & خوارزم *Chovareſm* (ſeu *Churſem*) conſederunt, & ipſe *Gjengiſchan* in خطاي *Chatai* & toto regno his ſcribis ſunt uſi. (6) *Gingiſcanis* filius اوكداي خان *Ogdai chan*, cum admotus eſt imperio, poſt mortem patris dedit cuidam viro nomine ايغور كور كوز *Oigur Curgus* regiones gubernandas خراسان ومازندران وكيلان *Choraſchan* & *Maſandaran* & *Gilan*, ita ut reditus omnes in *Ogtaji* ærarium referrentur.

Poſtquam quinque gentes, ab Oguſo prognatas, recenſuimus, alios etiam populos, qui neque a Mogulis, neque ab Oigureis ſunt ducti, enarrabimus. Primum dicemus de تكرين *Tagrinis*, ſeu مكرين *Magrinis*. Ad hos *Gengiſcan* aliquando mandata miſit: magnum ſe dominum factum & quatuor terrarum regiones tenere, cupere igitur cognoſcere, quo erga ſe ſint animo. Inter eos بوكاي خان *Bogai chan* (7) formoſiſſimam filiam virginem habuit, quam maximis cum mune-

(6) Vide cauſam, quamobrem literæ Mungalicæ dicantur literæ ايغور *Oigur*. (7) Gallicus *Bugai zinantz chan*. *Zinantz* in MS. Turcico noſtro non exſtat.

muneribus ad *Gjengiſcan* transmiſit, ſeque ei tradidit. Recepit *Gjengiſcan* & puellam & munus, & legatos liberaliter habuit. Defuncto *Gjengiſcano* filius ejus أوكداى خان *Ogdai chan* duxit uxorem *Bogai* filiam, quam pater *Gjengiſcan* præ ceteris uxoribus, quas complures habuit, efflictim dilexit.

Alterum & tertium genus eſt قرغز ايلي *Kirgis ili* & كمكمجوت ايلي *Camcamgjut ili*. Kirgiſorum pauci fuere. Quia autem multi *Mogoli* & alii inter eos conſederunt, (erat enim eorum regio fluminibus & paſcuis copioſa) aucta eorum multitudo eſt. Duæ ſunt regiones كمكمجوت *Camcamgjut* longo intervallo intra duo flumina. Ab una parte fluvius سلنكه *Selenga*, ab altera fluvius ايغر موران *Ikar muran*, magnus uterque. Præterea prope *Kirgiſos* duo alia ſunt loca. Utrique nomen ابروسير *Abruſir*. *Kirgiſi* temporibus *Gjengiſcani* principem habuere اوروش اينال *Uruſch inal*. Ad eum *Gjengiſcan* miſit legatum بوره *Bureh*, & poſtulavit, ut *Uruſch inal* ſe ſuaque traderet. Hunc ille legatum honorifice excepit. Miſit deinde legatum ſuum, qui & munera magna & avem albo pede altero, rubris oculis & capite, toto reliquo corpore candidam, nomine شونقار *Schunkar* (Ruthenice autem *Kretſchet* (8)) attulit, ſeque in fidem tradidit. Sunt certi populi nomine اور منقت *Ur mankat*, qui cum in denſiſſimis ſylvis agunt, inde nomen accepere. Colunt autem prope *Kirgiſos*, qui *Gjengiſcano* ſubjecti ſunt. Præter eos alii ſunt populi, eodem nomine, ſed diverſa ſtirpe, vitæ cultu ſimili. Genus autem ducunt a *Mogul chani* poſteris & *Oguſo*. Nomen vero idem gerunt, quia etiam in ſylvis colunt. Vetus & celebris populus تاتار *Tatar* olim 70000 familias uno ſub Rege & Principe continuit. Deinde in

(8) Scholion interpretis.

Digitized by Google

in multas diviſus gentes. Præcipua eorum & clariſſima verſus خطاي *Chatai* ſe recepit, in regione بيورناور *Biurnaur* & ſub *Chatæorum* poteſtate fuit. Cum autem deficerent, خطاي پادشاه *Chatai padiſcha*, ſeu Chatæorum Imperator, eos bello petiit, & vi ad obſequium redegit. Sæpe alias hoc accidit. Ceteri Tatari ad fluvium القرا مران *Ilkra Moran* degerunt, qui prope Kirgiſos labitur, & iisdem in locis multos amnes accipit, ut perquam auctus in اجي تينكز *Agji tingis*, ſeu *amarum mare*, exoneretur. Ubi in hoc mare incidit, urbs eſt الاقچين *Alaktſchin*, quod *variegatum* ſignificat. Nam nomen accepit ab equis, vario colore macularum adſperſis, multaque minora oppida ſubjecta habet. Qui in vicinis deſertis habitant, multa pecora alunt, & his urbibus accenſentur. Equi iſthic ſunt proceriſſimi. Pullus unius anni tam excelſus eſt, ut alibi trium annorum equus, omnesque ſunt maculis adſperſi. Prope eam urbem ſunt argenti fodinæ, & cives vaſa ex argento habuere. Dicere ſolebant *Urbekenſes*, fando ſe audiviſſe, quod populi certi eſſent, qui nullis, niſi argenteis & aureis, vaſibus uterentur, equosque haberent maculis pictos. Eos autem ſe non adiiſſe ferebant. Defuncto *Gingiſcano*, *Tuli Chan* hæreditate tum *Kirgiſos*, tum alios populos, accepit. Hoc etiam defuncto, princeps ejus conjux, mater omnium liberorum, regno præfuit. Hæc شوقوقتاي بيكي *Schorkoktai beiki* tres duces cum mille militibus ad hanc urbem in navibus miſit, juſſitque, ut, ſi poſſit fieri, illum populum bello aggrederentur, ſi fieri id nequeat, tamen ſe de omnibus certiorem redderent. Hi eo venerunt, ſed multo poſt tempore, ſoli illo e numero 300 rediere, retuleruntque, omnia, quæ de hoc populo ferantur, vera eſſe, quia autem milites aerem iſtius regionis ferre nequiverant, magnum enim calorem eſſe, plerosque occidiſſe: naves quidem oneratas argento habuiſſe, ſed ob ſuorum paucitatem adverſus fluvium non potuiſſe navigare, itaque jacturam argenti feciſſe in aqua.



Digitized by Google

De gente أويرات *Oirat* (ſeu *Ouirat.*)

Omnia magna flumina Turcæ vocant veteri lingua شاي *Schai.* Minora تاجيق *Tagjika* gentes vocant رود *Rud*, magna vero رود خانه *Rud chaneh.* Arabes vero وادين *Vaidin.* (9) *Moguli* denique majores fluvios nuncupant موران *Muran.* In terra Mogul verſus orientem octo ſunt flumina, Mogolica & Tatarica lingua dicta شكز موران *Schekis Muran.* Intra hos octo fluvios, qui omnes in ايقرا موران *Ikra Muran* incidunt, colunt اويرات *Ouirata.* Nomina hæc ſunt. Primus fluvius كوك موران *Cok Muran*, ſecundus اون موران *Un Muran*, tertius قرا اوشون *Kara uſchun*, quartus سبي قون *Sebi Kon*, quintus انقري موران *Ingri Muran*, ſextus اقر موران *Aker Muran*, ſeptimus جغان موران *Gjagan Muran*, octavus جورجه موران *Gjourgje Muran.*

*Gingiſcani* temporibus قوتوقه بيكي *Kutukeh beigi* duos filios habuit, primum nomine اينالجي *Inalgji*, alterum تورانجي *Turangji.* Hic Chanus ejusque duo filii perpetuum bellum cum *Gingiſcano* geſſerunt, donec ſe ſuaque omnia tradidere, & neceſſitudinibus cum eo devinxerunt. Ab his *Ouirat* orti ſunt تورا غاوت قودي تولاش *Toragaut kudi tulaſch.* At ab illis ſeſe diviſere, & nomina impoſuere diverſa. تورغاوت *Turagauta*, quia ultra Mogolorum regnum terra fuit nomine سليكه *Selica*, hi autem ultra Selicam degere, inde nomen accepere. تومات ايلي *Tumata* gens etiam ex *Ouiratis* ſunt, & برقوجين توكوم *Berkugjin*

(9) Imo واد *Vadin, vallem, cubile fluminis, fluvium ipſum* vocant Arabes.

*gjin tugum* prope قرغز *Kirgis* degerunt, & regnante *Gjingiſcano* habuere Chanum تاتوله شوقار *Tatuleh Schukar.* Præterea بولغان جين كيرموجين *Bulgan gjin Kirmugjin* duæ gentes fuere, ortæ ab اويرات *Ouirat*, quæ prope قرغز *Kirgiſos* in pace vixerunt. تولنكوت اوراشوت كوشتاي *Tulenguta, Uraſchut, Kuſchtamai*, etiam ex *Ouiratis* ſunt orti. Singuli ſua ſibi nomina dedere, & arte medendi multum valuere. Egerunt autem in denſiſſimis nemoribus ſagittandi piſcandique ſumma ſolertia & magna veneficiorum fama. نيمان ايلي *Naiman* gens vetus & opulenta eſt, neſcio autem, quo olim fuerint domino. Notus eſt tamen قارقش *Karkeſch*, &, qui eo defuncto regnavit, ابيات *Abjat*, filius *Karkeſchi*. *Gjingiſcani* temporibus سبايك خان *Sajaik Chan* dominus eorum fuit & ejus filius كوجلوك *Kugjluk*, & in terra Moguleníi كراقوم *Carakum*, tanquam *nigram arenam* dicas, degerunt, agrum vero non coluere.

De gente كرايت *Carait.*

كرايت ايلي *Carait ili*, veluti dicas *fuſcos*, quia ſeptem filios unus pater habuit, fuſcos omnes. Omnes ab his ſeptem filiis orti كرايت *Carait* ſunt vocati. Hæc gens vetus, nota, magna & re pecuaria dives fuit. Regnum ſuum prope نيمان *Naiman* habuere, Chano مرغوز ايلي *Margus ili*, dicto audientes. Unus filiorum ejus, nomine قور جاقور *Kur gjakur* cognomine بوشروق *Buſchruk*, filius natu maximus, قور جاقور *Kurgjakur* dictus eſt طغرل *Togral*, ſed Reges *Chataiæ* ei nomen dedere اونك *Unk*, quod Chataica lingua ſignificat پادشاه *Padiſcha*, *Imperatorem*. (10) Hic Caraitarum *Unk Chan* cum *Gjingiſcano* bellum geſſit.

Zz 2 De

(10) *Gregorius Malatienſis* p. 427, & *Guilielmus de Rubru-*

De اونكو ايلي *Ungu ili.*

*Chatai* murum a mari ad mare duxerunt, & in muro duas portas cum ferreis valvis, ut mercatores per eas accipi poſſint. Arabice hic murus vocatur سد *Sed.*, Turcice vero تورقورقه *Turkurkeh*, & Chataice اونكو *Ungo.* (11) Talem etiam murum Alexander M. ad tuendam terram ſuam quadam in regione condidit, (12) ut populi ياء جوج وماء جوج *Iagjugj & Magjugj*, qui multa ei damna intulerant, impreſſionem facere non poſſint. Tatari enim referunt, habere eos naſum tanquam caninum, & quia Alexander e metallis conſtruxit, aut fudit potius, lingendo perfringere volunt, neque poſſunt tamen. At credunt, ante extremum mundi diem ſeſe effuſuros multumque illaturos damni. Vallum quoque (ſeu murum) circa terram ſuam duxit انوشيروان شماخي داشر *Anuſchir van Schamachi Zar.* (13) Ferreæ portæ, quas *Chilai* in muro habent, vocantur تمور خانى *Timurchani*, & totam Turcicam familiam Reges Chatæi conduxerunt ad excubias circa hunc murum agendas magno cum ſtipendio, ſicuti adhuc eo fine aluntur, a Rege cognomine اونكوت *Ungut* donati. Hoc nomen ſigniſi-

---

*quis*, M. *Paulus Venetus*, Malatienſis, *Turcarum orientalium* Regem vocat. Eſt autem اونك *Unk* Sinicum 王 *Vam* ſeu *Vang*, *Rex.* شاه *Scha* non پادشاه, quod eſt *Hoam* ſeu *hoang*, 皇

(11) Vide, quæ de hoc loco dixi in Commentariis Academiæ Petropolitanæ Tomo I, ubi de Muro Caucaſeo. Eſt autem اونكو ſcriptum pro ونلي *Van li.*

(12) De hac fabula vide eandem in Commentariis Diſſertationem. (13) Caucaſeum murum.

gnificat Magolice *locupletes homines* propter amplitudinem ſtipendii. Temporibus *Gingis chani* eorum 4000 familiæ fuerunt, & principem habuere الاقوش *Alakuſch*, ad quem *Gingiſcan* legatos miſit, qui cum eo amicitiam contraherent. Ergo *Gengiſcan* cum exercitu in Catæos movit. Eo cum venit *Alakuſch*, obviam ei proceſſit, portas quoque aperuit, & hoſtes recepit. Regnum *Chatai* in duas partes dividitur. Prima قرا خطاي *Kara* (*Nigra*) *Chatai*. *Karachatai* rebellabant, &, relicta patria, pergebant ad قرغز *Kirgis*, eosque deprædati, in regionem ايديل *Idil* perrexerunt, ubi, oppido condito, agriculturam exercuere. Ex finitimi agri egenis multi ad eos ſeſe contulere, ad 40000 familias. Eodem tempore جورجيت *Gjurgjit* dominus bellum *Caracathais* intulit, eos fudit, & regnum occupavit, ut Caracathæorum Princeps نوسي طايغر *Nuſitaigr* fugeret ad A 513 ad *Kirgiſos*, atque ab iis in urbem quandam Chataicam ايمل *Iml*. Hic *Nuſitaigr* prudens Princeps fuit. Poſt duos annos, ubi de fuga ejus, quo ſe receperit, cognitum eſt, & *Chan* quidam ex افراسياب *Afraſiab* familia, nomine ايليك *Ilik*, qui in يلاشوغان *Jalaſchugan* reſedit, (hanc urbem Mungali خان بالق *Chan balik* vocant, خان autem *bonum* & باليق *Balik urbem* ſignificat, (14) ) a قنقلي *Kanklinis*, qui circa eam urbem degerunt, admodum urgeretur, magno cum detrimento agriculturæ, ايليك خان *Ilik chan* ad *Nuſitaigr* miſit, eumque oravit, ſi ſe juvare poſſet, principatum ſe ei traditurum, & ſecundum futurum ab eo. Venit ille, & principatum adiit, & hunc pro ايليك خان *Ilik chan* vocavit ايليك تركمان *Ilik turkman*, ſibi autem nomen impoſuit كوز خان *Kus chan*, ſeu *magni Chani*. Obſedit quidem شمرقند

 *Scha-*

(14) Vulgo *Cambalu*.

*Schamarcand*, quia autem cives certam tributi ſummam in ſingulos annos pacti ſunt, ducem quendam اريز *Aris* multis cum copiis miſit adverſus urbem اور كانج *Orkangj.* Hic cum omnem agrum urbi circumjectum devaſtaſſet, *Aris chan* annuum tributum 20000 aureorum promiſit, quod ad mortem usque perſolvit. Cum vero filius ejus سلطان محمد پادشاه *Sultan Machmed* Rex eſſet, nec tributum perſolveret, bellum exortum eſt. Quanquam fines hujus Mahometis usque ad روم *Rum* pertingebant, isque ab ultimis finibus omnes copias contrahebat, tamen كوز خان *Cus Chan* victor diſceſſit, & *Mahomed*, rebus deſperatis, ad مرو كلدي *Marucaldi* confugit.

De تورغاق *Turgak* gente.

Haud ſcio, unde hi populi, & a qua Turcica gente, fuerint orti. تورغاق *Turgak* autem Turcice ſignificat *exſurge & cade*, aut etiam, ut dicam breviter, *excubias*. Nam, cum apud Turcas agunt excubias, pars altera, quæ vigilat, aliquid ferire debet, ut vigiles excubias agere ſentiantur. Cum ſe expergefaciunt, dicunt تورغاق *Turgak.* Nam تور *Tur* eſt *ſurge* & غاق *feri.* Magna hujus populi gens eſt. &c.

*SPECIMEN NOVUM INTELLECTUS Legum profundius eruendi, ſiſtens doctrinam Juris Romani de Diviſione Hereditatis inter plures Heredes inſtitutos, & Computatione Falcidiæ, beneficio methodi demonſtrativæ ad notiones univerſales reductam. Autore JOANNE ULRICO CRAMERO, J. U. & Phil. D. ac in Academia Marburgenſi Prof. Juris Extraordinario.*

Marburgi Cattorum, typis Philippi Caſimiri Mülleri, 1732, 4. Plag. 9.

Novo

NOvo ſpecimine probat Cl. Autor, quam ſit ad Jurisprudentiam demonſtrativa methodo excolendam natus. Poſtquam enim doctrinam de aſſe perſpicue non minus, quam erudite abſolvit, propterea quod diviſio hereditatis in Jure Romano tradita absque illa intelligi nequit, & principium illius diviſionis, quod idem in paganis & teſtato & inteſtato decedere nequeat, per rationes convenientiæ ſtabilivit, ex principiis, Juri Romano inſitis, derivatas; diviſionis hereditatis doctrinam omnem, in Inſtitutionibus & Pandectis traditam, ad generalia theoremata revocat, ita, ut nullus fingi poſſit caſus, qui non per iſta extemplo demonſtrativa ratione decidatur. Problema hoc, *datis partibus, in quibus ſunt ſcripti plures heredes, & quæ ſimul ſumtæ aſſem ſuperant, invenire partem unicuique debitam*, algebraice reſolvit, ac inde provenientem regulam more quoque veterum ſynthetice demonſtrat, principiis ex rationum doctrina aſſumtis. Ex hac regula deducit computationem *Trebatii* & *Labeonis* l. 13 §. 6, 7, ff. de her. inſtit. *Juliani* l. 13 pr. de lib. & poſt. her. inſtit. *Labeonis* ab *Ulpiano* probatam l. 17 §. fin. ff. de her. inſtit. Applicat nimirum eandem tum ad diviſionem hereditatis in dupondio & tripondio, quam in aſſe & arbitraria quacunque totius diviſione. Caſus *Juliani* ſpecialis eſt, & ideo peculiarem analyſin admittit, quam dedit Noſter. *Averanius*, in Academia Piſana JCtus inclytus, eundem caſum reſolvit per ultimam VII *Euclidis*, & regulam generalem pro iſtiusmodi caſibus proponit. Etſi autem regula nova non ſit opus, ſed, quotquot in hoc genere fingi poſſunt, caſus ad univerſalem illam, quam dedit Autor, revocari poſſint, quemadmodum quoque caſum *Averanii* per eandem ſolvit; hoc tamen non obſtante, computationi quoque *Juliani* in ſpecie omnem univerſalitatem daturus, quam admittit, per Algebram regulam eruit, quæ & in caſu rationis multiplicis & in caſu quocunque ſuperparticularis & ſuperpartientis, imo etiam in omni caſu irrationalitatis, ſatisfacit, & præterea docet, quomodo regula applicari poſſit ab eo, qui in Algebra prorſus hoſpes eſt. *Labeo* in caſu quodam ſpeciali a dupondio ad aſſem regreſſus fuerat, probante *Ulpiano* l. 17 §. fin.

fin. ff de her. inſtit. Id recte factum Noſter non modo probat, verum etiam generaliter demonſtrat, quandonam regreſſus a dupondio, tripondio, & ita porro, ad aſſem fieri poſſit. Et quoniam *Lauterbachius* in Compendio Digeſtorum docet, ſi partes aſſignatæ heredibus ſuperent aſſem, ſingulis proportione hereditaria detrahi, aut hereditatem ad dupondium ſeu 24 uncias deduci, & pro partibus hæreditariis accreſcere; Noſter æquipollentiam diſtributionis exceſſus ſupra aſſem partibus aſſignatis auferendi & reductionis earundem ad dupondium non ſolum vi regulæ ſuæ generalis, verum etiam independenter ab ea demonſtrat. Ex eadem regula generali, qua in omni diviſione hereditatis uſus eſt, computationem quoque *Falcidiæ* deducit, quam tamen quoque per theoremata huic propria expedit. Inprimis hic tres caſus Inſtitutionum expendit, & ſecundum adverſus detorſionem Cenſoris cujusdam vindicat. Quodſi Conſultiſſimus Autor, quemadmodum promittit, pluribus iſtiusmodi ſpeciminibus Jurisprudentiam illuſtrare continuabit; plurimum inde lucis ſcientiæ Juris affundetur, ac ſpes erit, fore, ut Jura civilia non ſolum omnem amplitudinem, ad quam extendi poſſunt, verum etiam omnimodam certitudinem, tandem conſequantur.

## REFLEXIONS CRITIQUES SUR L'EMMEnologie de Mr. FREIND &c.

i. e.

## *ANIMADVERSIONES CRITICÆ IN FREINDII Tractatum de Fluxu Menſium, per TELLIERIUM, filium.*

Lutetiæ Pariſ. 1731, 12.

Pagg. 94.

INter plures de cauſa fluxus menſtrui muliebris hypotheſes, illa, quæ a ſanguinis abundantia eundem derivat, & a celeberrimo Anglorum Medico, *Freindio*, in peculiari Tractatu illuſtrata, novisque argumentis confirmata eſt, ſuo jure præ ceteris huc usque eminuit. Quam etiam præſentis Schediaſmatis Cl. Autor tanquam genuinam agnoſcit, nihilque Cl. *Freindii* meri-

meritis derogat, quædam ſolum, circa modum, quo plethora menſes cieat, quæ naturæ rei magis convenire illi viſa ſunt, addenda ratus. Cl. enim *Freindius* in ea verſatur opinione, ac ſi ſanguis, mole ſua auctus, indeque majori virtute ſe ipſum movendi præditus, latera vaſorum non ſolum ultra conſuetam diametrum diſtendat, ſicque fibras eorum a ſe invicem divellendo vim eorum reſiſtendi inſigniter infringat, ſed etiam in eadem ſic debilitata majori impetu irruens, eadem plane a ſe invicem diſcedere, ſanguinique abundanti exitum concedere cogat. Hæc vero explicatio Cl. Autori inde potiſſimum minus congrua videtur, quod partim vis movendi in ſanguine nulla ſit, niſi quam ab oſcillatione vaſorum mutuatur, ſicque concipi nequeat, quomodo, vaſis debilitatis & ad vividiorem motum inidoneis, ſanguis tamen motum vehementiorem affectare, eademque disrumpere valeat: partim vero nulla ratione explicari queat, quomodo, (quod omnes tamen Medici uno ore fatentur, ipſeque Celeb. *Freindius* concedit,) plethora nimis increſcens ipſi menſium fluxui obicem ponere valeat, cum ex ejus hypotheſi, quo major ſit ſanguinis abundantis maſſa, eo majorem illa impetum in vaſa facere, ſicque effluxum ſanguinis promovere potius, quam retardare, debeat. Neque ſufficere ad hanc objectionem ſolvendam putat, quod Celeb. *Freindius* neutiquam ſolam plethoram ſuppreſſionem menſium cauſari putet, ſed lentorem potius inde in ſanguine genitum accuſet, unde per capillaria tranſire nequeat vaſa, ſicque obſtructione in his orta in majoribus hærere cogatur, quorum vero tunicæ robuſtiores impetui ejus ita reſiſtant, ut exitum ibi nullum invenire queant; ſiquidem eo ipſo, dum quantitas in his vaſis ſemper cumulatur, ea tandem ita diſtendi pateat, ut, licet valida ſatis, dehiſcant, atque ferocientem protrudant ſanguinem. Alium igitur, eumque magis naturalem, minorique, quam quod adeo frequens vaſorum ruptura minitetur, cum periculo conjunctum, ſibi placere modum Cl. Autor fatetur. Scilicet, cum major ſanguinis, quam ſine ſanitatis diſpendio ferri queat, copia in feminis generetur, atque ad uterina præcipue vaſa feratur, venæ vero uterinæ valvulis deſtitutæ, tantam ejus copiam, quantam recipere coguntur, revehere

 com-

commode nequeant, hincque ſanguini de novo accedenti reſiſtant, ille vero ab alio inſequente a tergo prematur; eundem vi vaſorum motrice, in vaſa lymphatica, quæ ceteroquin ſerum ſolum pro lubricanda uteri compage advehant, utpote minori reniſu prædita, protrudi, ſicque illa ultra diametrum naturalem ampliata, ſanguinem, in ſuos canales admiſſum, foras dimittere, arbitratur. Suppreſſionem vero a plethora nimia metuendam, a tono vaſorum ſanguiferorum ob nimiam repletionem languido, derivat, quia tunc temporis vis ad ſanguinem in lymphatica protrudendum requiſita, in illis, oneri ſuo ſuccumbentibus, deficiat. His poſitis fundamentis, reliqua Cl. *Freindii* capita brevi cenſura perſtringit, &, quæ ex ejus hypotheſi difficultates in ipſa quoque morborum ſanatione oriantur, oſtendit, dum v. g. in ſuppreſſione nunquam venæſectionem *Freindius* vi ſuæ hypotheſeos ſuadere poſſit; ſiquidem, quantum ſanguinis detrahas, tantum quoque vim vaſa rumpendi minui, ſicque ſuppreſſionem augeri, concludendum ſit; reclamante tamen experientia, ipſoque *Freindio* eam ſæpius in auxilium vocante. Hæc vero phænomena multo rectius, ſi ſententiam, a ſe propoſitam, amplectaris, ſolvi poſſe, docet. Quæ vero omnia huc transſcribere, inſtituti ratio prohibet, multoque rectius in ipſo Tractatu a Lectoribus harum rerum cupidis evolvi poterunt.

## OBSERVATIONS MATHEMATIQUES, Aſtronomiques &c.

hoc eſt,

## *OBSERVATIONES MATHEMATICÆ, Aſtronomicæ, Geographicæ, Chronologicæ & Phyſicæ, partim ex antiquis Sinarum libris excerptæ, partim in India & China recens factæ, a Patribus Societatis Jeſu; quas in ordinem digeſſit & publicavit P. STEPHANUS SOUCIET, ex eadem Societate.*

### *Tomus II;*

***Continens Hiſtoriam Aſtronomiæ Sinenſis, cum Diſſertationibus, Autore P. GAUBIL, ex eadem Societate.***

Pari-

Digitized by Google

Pariſiis, apud Rollinum, 1732, 4.
Alph. 2 pl. 4½, Tabb. æn. 3.

DE primo Tomo harum Obſervationum diximus in *Actis Anni 1730 p. 86*, nunc de ſecundo dicemus, proxime acturi de tertio, qui una cum ſecundo lucem adſpexit. Continet ſecundus Hiſtoriam Aſtronomiæ Sinenſis, adeoque egregium Hiſtoriæ literariæ monumentum, diu multumque ab Europæis deſideratum. Recenſet Cl. Editor difficultates, quas Autorem ſuperare oportuit, antequam Hiſtoriam illam condere poſſet. Neque enim ſolum linguæ Sinenſis & Tartaricæ valde gnarus, ac Aſtronomiæ Europæorum, tam veteris, quam recentioris, admodum peritus, inque omni calculo Aſtronomico verſatiſſimus eſſe debet, qui libros Sinarum Aſtronomicos intelligere voluerit, verum ipſi etiam libri Aſtronomici Sinarum haud facile reperiri poſſunt, libri antiqui, ſine omni ordine ac methodo digeſti, plurimis hiſtoricis, moralibus, phyſicis, aſtrologicis, ubivis interſperſis, citationibus & repetitionibus abundant, ac ſæpiſſime difficile eſt, antiqua a novis, obſervationes a calculis, interpretationes Commentatorum modernorum a textu Autorum veterum, quos citant, vel explicant, diſtinguere, ita, ut Miſſionarii nonnulli pro obſervationibus Imperatorum *Yao* & *Chun* habuerint reflexiones Autorum, qui ultra ter mille annos poſt hos Principes vixere. Enimvero difficultates hactenus recenſitæ tantummodo præliminares ſunt. Eas ubi ſuperare didiceris, plurimi libri Sinenſes & Tartarici tibi legendi, hieroglyphica in iis obvia revelanda, innumeri diſcurſus inutiles ac tædioſi ac ſexcentæ chimeræ Aſtrologicæ ſunt devorandæ, antequam reperire poſſis, quod ad veram Aſtronomiam ſpectat. Ab antiquiſſimis temporibus incipienda lectio eſt, & per ſingula ſecula continuanda; methodi diverſæ cujuslibet Aſtronomi examinandæ; ex libris claſſicis, ex hiſtoria & Tractatibus Aſtronomicis omnes Epochæ colligendæ; obſervationes ab Imperii initio usque ad præſens tempus coacervandæ, & a ſuppoſitionibus atque calculis diſcernendæ; annorum diverſæ formæ, quæ diverſis temporibus obtinuere, diſtinguendæ; diviſiones Conſtellationum diverſo tempore diverſæ addiſcendæ, una cum nominibus diverſis, ac ad noſtras Conſtellationes reducen-

ducendæ; forma Calendarii ſub qualibet Dynaſtia diverſa determinanda; Cycli differentes, quibus diverſis temporibus uſi ſunt, rite conſtituendi. Tot tantasque difficultates ſuperavit R. P. *Gaubil*, ut Hiſtoriam Europæis daret Aſtronomiæ Sinenſis, quæ curioſitati eorum ſatisfaceret. Non tamen diffitetur, ſe plurimos textus fideliter traduxiſſe, quos non intelligit, & quos alteri cuidam *Caſſino* explicandos relinquit. Hiſtoriam integram ut in compendium mittamus, inſtituti noſtri ratio non fert. Suffecerit itaque notatu digniora hinc inde excerpere. Sinæ unanimiter confitentur, circa A. 480 ante Chriſtum, Aſtronomiam prorſus fuiſſe neglectam, & paulo poſt perditam fuiſſe ſcientiam & calculum Aſtronomicum. A. 246 ante Chr. Imperator *Tſin-chi-hoang* libros Hiſtoriæ, libros claſſicos & Aſtronomicos, librumque claſſicum *y King* comburi juſſit, non ſervatis, niſi Medicis, Aſtrologicis, & ad agriculturam ſpectantibus, ut adeo, ſi quis olim extitit Obſervationum Aſtronomicarum ac theoriæ Aſtronomicæ liber, nullus hodie amplius extet, nec nota amplius ſit methodus computandi loca planetarum & fixarum, quam olim repererat Imperator *Yao*. A. 206 ante C. N. *Lieou Pany* imperare cœpit, qui cum ſucceſſoribus ſuis Aſtronomiæ admodum favit, & Tribunal Mathematicum reſtauravit. A. 104 a C. N. *Sſe-ma-tſien* plurima præcepta ad computandum loca planetarum, eclipſes, conjunctiones & oppoſitiones, in ordinem redegit. In obſervando uſi tunc temporis ſunt inſtrumentis antiquis, ex orichalco factis, quorum diameter fuit duorum pedum quinque digitorum. Umbræ meridianæ obſervatæ ſunt ope Gnomonis octo pedum, & ſtellarum tranſitus per Meridianum obſervati ope clepſydrarum, una cum longitudine dierum, mora planetarum ſuper horizonte & crepuſculis, tam matutinis, quam veſpertinis. Parens illius Aſtronomi, *Sſe-ma-tan*, erat Præſes Tribunalis Hiſtoriæ. Annus erat 365 dierum, 6 horarum, & circulus dividebatur in 365 gradus & quartam unius partem. Motus Solis proprius diurnus habebatur unius iſtiusmodi gradus, & annus dividebatur in 24 *Tſieki* æquales. Anno 66 ante C. N. *Lieou-hin* Curſum integrum Aſtronomiæ conſcripſit, cui nomen *San*

*Tong*

Digitized by Google

*Tong*, ſeu trium Principiorum, dedit. Declinationem maximam Eclipticæ ſupponit 24°. Altitudinem Solis per calculum trigonometricum trianguli rectilinei ex umbra Gnomonis elicit. Motum fixarum proprium ignorat, nec non æquationes ſolares, lunares, ac planetarum. Illud autem inprimis memoratu dignum eſt, quod Epocha prorſus ſingulari utatur. Eſt ipſi nimirum Epocha primordialis momentum mediæ noctis, in quod incidit ſolſtitium hibernum, conjunctio Solis & Lunæ atque Planetarum quinque inter ſe, & in quo Luna latitudine caret. Ab illa usque ad momentum mediæ noctis, quod fuit momentum ſolſtitii hiberni & primum undecimæ Lunæ A. 104 ante C. N. ſupponitur ſpatium 143127 annorum ſolarium, qui 31 periodos 4917 annorum ſeu *Yuen* comprehendunt. Hanc Epocham poſtea imitati ſunt alii, & ſpatium annorum ſolarium 2 vel 300000000 repererunt. Et hinc enatam eſſe putat Sinarum quorundam opinionem de ætate mundi, quam plurium millionum annorum ſolarium faciunt. Minime autem conſtat, num ante incendium librorum iſtiusmodi Epocha in uſu fuerit. A. 99 poſt C. N. Imperator ex orichalco inſtrumentum magnum fieri curavit, ad obſervandum ſiderum motum reſpectu eclipticæ, atque tum primum obſervationes ad eclipticam referri cœperunt, cum antea tantummodo ad æquatorem fuiſſent relatæ. A. C 164 *Tchang-heng* conſtruxit Catalogum plus quam 2500 ſtellarum, ſed qui intercidit. Idem uſus eſſe fertur tubo in ſpeculandis aſtris: qualis tamen fuerit, non deſcribitur. Negat autem, quod A. 1600 Sina quidam aſſeruit, talem fuiſſe, quali hodie utuntur Aſtronomi Europæi. A. 206 *Lieou-hong* & *Tſay-Yong* primi de æquationibus Lunæ locuti, quarum maximam fecere quinque graduum Sinenſium. Agnovere etiam, quantitatem anni, quam nos *Julianam* vocamus, eſſe juſta majorem. Tum etiam de principiis fixis eclipſium primum cogitare cœperunt: antea enim maxima pars Aſtronomorum ſibi perſuadebat, actiones bonas malasve Principum eſſe in cauſa, cur motus cœleſtes ſæpius immutentur, imo malas actiones Principum eſſe cauſas eclipſium & retrogradationis planetarum. Atque hac de cauſa

calculus eclipſium diu neglectus. Circa A. C. 284 *Kiang-ki* menſem Draconticum ſuppoſuit 27 d. 32 *ke* $16' \; 13''$, & *Yu-hi* primum de motu fixarum proprio locutus, quem fecit intra annos 50 unius gradus, paulo poſt *Ho-ching-tien* non niſi intra 100 annos ſolares unius gradus eſſe ſtatuit, circa A. C. 443. Aſtronomus hic juſſu Imperatoris conſtruxit ſphæram & globum prodigioſæ magnitudinis: erat enim intervallum unius gradus circuli maximi 5 linearum, quarum 10 efficiunt digitum, ſeu pedis partem decimam. Aſtronomi Sinarum fixam in ipſo polo ſuppoſuerunt; ſed *Tſou-tchong*, qui A. 460 ſolſtitium hibernum ope gnomonis obſervavit, ſtellæ polaris motum diurnum primus detexit. Idem menſem Draconticum fecit 27 d. 5 h. $5' \; 34'' \; 30''' \; 48''''$. A. 550 *Tchang-tſe-ſin* dedit præcepta computandi parallaxin latitudinis Lunæ, initiumque, medium ac finem eclipſium, antea Sinis ignorata. Idem primus dedit tabulas æquationum ad ſupputandum loca planetarum. Circa A. 724 *Y-hang* motum fixarum intra annos 83 ſuppoſuit unius gradus, & multas obſervationes per totum imperium fieri curavit, locorumque latitudines determinavit. Motum Jovis multa cum eruditione examinavit, & ingentem quendam globum ex orichalco confecit, in quo ope rotarum, motu aquarum circumductarum, repræſentavit, motum proprium & communem Solis, Lunæ, & quinque Planetarum, conjunctiones & oppoſitiones, eclipſes Solis & Lunæ, occultationes ſtellarum & planetarum, longitudinem dierum & noctium, altitudinem poli in urbe *Siganfou*, ſtellas ſuper horizonte viſas & infra eum latentes, horas nocturnas & diurnas. Cum prædixiſſet eclipſes, quæ non comparuerunt; errorem defenſurus, contendit, cœlum regulas motus ordinarias mutaſſe: quod ſubinde fieri, probavit inter alia ex eo, quod tempore *Tſiu* Sirius per Venerem fuerit eclipſatus, cui tamen 40 graduum latitudinem tribuit. Etſi autem phænomena alia extraordinaria eo fine cumulet, nullum tamen exemplum eclipſis extraordinariæ, ſeu in regulas impingentis, inter ea occurrit. Integrum curſum Aſtronomiæ condere intenderat, ſed anno ætatis 45 mortuus, eum perficere non potuit. Methodum ejus computan-

di

Digitized by Google

di eclipſes clarius explicavit A. 892 *Pien-kang*, in Tractatu de calculo conjunctionum & oppoſitionum ac de eclipſibus. Idem ingentem condidit Catalogum latitudinum & longitudinum locorum, ſed qui non amplius extat. A. 996 Aſtronomus quidam examinavit Chronologiam Sinarum, & annum primum Imperatoris *Yao* fecit 2325 ante Chriſtum. A. 1022 Imperator *Gin-tſong* plurimas impenſas fecit in inſtrumenta Aſtronomica, & integrum Aſtronomiæ curſum ſcribi curavit. Sub Imperatore *Hoey-tſong*, qui A. 1101 imperare cœpit, conſcriptus eſt liber, in quo de virtute communicativa magnetis & declinatione acus magneticæ, tanquam de re nota, loquitur Autor; quam etiam obſervare docuit ante adventum Jeſuitarum in Chinam Princeps *Tching*, ex familia imperiali *Ming* oriundus, in Opere eximio, quod de Aſtronomia conſcripſit. *Cheou-king* ope gnomonis 40 pedum Pekini ſolſtitium hibernum obſervavit A. 1280 d. 14 Decembr. h. 1. $26'$. $24''$ poſt mediam noctem, habita ratione diametri ſolaris, cujus imago in plano horizontali apparebat. Hanc Epocham fecit realem, miſſis fictitiis, quibus ante ipſum uſi fuerant Aſtronomi. Declinationem eclipticæ collegit $23^{\circ}\ 33'\ 40''\ 17'''$ vel $18'''$. Latitudinem *Pekini* obſervavit 42 graduum Sinenſium, hoc eſt, $41^{\circ}\ 23'\ 46''$; diſtantiam ſtellæ polaris a polo 3 gr. Sin. Primus fuit Aſtronomorum Sinenſium, cui Trigonometria ſphærica cognita. Iſto tempore motui fixarum unus gradus intra 71, 72, vel 70, annos tributus. Circa A. 1573 Princeps *Tching*, & *Hing-yun-lou*, Aſtronomus, maximis ſumtibus ac laboribus Aſtronomiæ inſtaurandæ incubuerunt. Explicarunt methodum eclipſes computandi, & maximam partem eclipſium, quarum in Aſtronomia Sinarum mentio fit, ad calculum revocarunt. Methodos veterum rigoroſe examinarunt, & inprimis Chronologiam Sinarum incudi ſubjecerunt. Fatetur Autor, Opera horum Autorum eſſe omnium optima, quæ ſunt Sinis. Illo tempore Sinis per Miſſionarios innotuit Aſtronomia Europæorum, quæ cauſa fuit, cur religio in China Chriſtiana introduci & conſervari potuerit. Ab eo igitur tempore Aſtronomia Europæorum in Imperio Sinarum invaluit. Quoniam vero

jam

Digitized by Google

jam antea fuere exteri, qui Aſtronomiam exterorum Chinæ intulerunt, ideo Noſter quoque ea recenſet, quæ de his in Hiſtoria Sinarum memoriæ prodita leguntur. Hiſtoria omni abſoluta, ſequitur appendix, in qua Autor primum agit de Cyclis Sinarum, deinde explicat initium anni Sinarum, quem ultra 2200 annos ante Chriſtum natum Julianæ æqualem fecere, & quo in calculo Aſtronomico conſtanter uſi. Initium fuit olim in ſolſtitio hiberno, ab anno autem 205 ante Chriſtum usque in hodiernum diem idem cadit in primum diem Lunæ poſt ingreſſum ſolis in ſignum piſcium. Determinat latitudinem & longitudinem præcipuarum in Imperio urbium, motumque proprium fixarum. Agit deinde aliquot Diſſertationibus de eclipſibus ſolaribus, quæ maximi momenti ſunt in Chronologia Sinarum. In earum numero eſt, quæ contigit A. C. 31, d. 10 Maji in $16^{\circ}$ ♉ $0' 28''$, & vulgo cum eclipſi miraculoſa confunditur, Chriſto patiente Hieroſolymis viſa, quod primi Miſſionarii, qui Aſtronomiæ ac linguæ rerumque Sinicarum nondum erant ſatis periti, per errorem ad hanc eclipſin applicarunt, quæ contra fidem hiſtoricam ſunt: id quod Noſter clariſſime oſtendit. Neque enim ſolum probat, Aſtronomiæ principiis repugnare, ut eclipſis illa cum miraculoſa Evangeliſtarum pro una eademque habeatur; verum etiam monſtrat, quod hiſtoricas quasdam circumſtantias non rite fuerint interpretati, & quæ de antiquiſſimis quibusdam eclipſibus in hiſtoria Sinarum commemorantur, contra fidem Chronologicam ad illam anni 31 poſt C. N. traxerint. E. gr. affirmant Miſſionarii nonnulli, eclipſin iſtam habitam fuiſſe pro ſigno, quod homo cœleſtis moriatur. Enimvero monet Noſter, hæc verba prolata fuiſſe occaſione eclipſeos, quæ ultra 600 annos ante C. N. contigit. Ad falſas interpretationes refert, quæ vulgo de Edictis Imperatoris occaſione illius eclipſeos circumferuntur. Conferri cum his poſſunt, quæ de hac eclipſi jam dicta ſunt in *Actis A. 1719 p. 206 & ſeqq. & A. 1723 p. 524.*

*PROBLEMA PARADOXUM GEOMETRIcum, propoſitum, eventualiterque, ſi nemo ejus ſolutionem*

Digitized by Google

*nem intra ſemeſtre ſpatium dederit; ſolvendum a JO. WILH. THEOD. LEICHNERO, Philoſ. Mag. & Dicaſterior. Elector. Erfurdenſ. Adv. Ord.*

REperit nonnemo, hyperbolæ & ellipſeos, communi latere & recto & transverſo gaudentium, eam eſſe communem affectionem, quod quædam recta R (denotante R aliquam ex 4 rectis, in hyperbola & ellipſi occurrentibus, abſciſſa nimirum, ſemiordinata, latere recto & latere transverſo,) una cum tertia proportionali ad R atque quartam proportionalem ad tres R æquetur duplæ quartæ proportionali ad tres R, una cum quarta proportionali ad duas R & A, denotante A quartam proportionalem ad duas R & B, denotante B quartam proportionalem ad duas R & C, denotante C quartam proportionalem ad duas R & D, denotante D quartam proportionalem ad tres R. Invenire, quænam R ſeu quænam ex 4 ſupra nominatis rectis ſingulis locis aſſumenda ſit, ut theoremati veritas conſtet. E.g. quænam ſit illa prima recta R, quæ una cum tertia proportionali &c. æquetur &c. num abſciſſa, ſemiordinata, latus rectum vel demum latus transverſum.

*CATALOGUS BIBLIOTHECÆ THEOLOgicæ Syſtematico-Criticus, in quo Libri Theologici, in Bibliotheca REIMMANNIANA exſtantes, editi & inediti, in certas Claſſes digeſti, qua fieri potuit ſolertia, enumerantur.*

Hildeſiæ, ſumtu Ludolphi Schrœderi, 1731, 8.
Alph. 3 pl. 8.

SCopus hujus libri, teſtante inſcriptione, in eo conſiſtit, ut hiſtoricæ Bibliognoſiæ opes aliquantulum augeantur, & Criticæ inopia, qua maxime premitur, his quaſi drachmulis quibusdam quodammodo ſublevetur. Drachmulas igitur in eo repræſentatas vides. Sed & aliquid amplius. In Præfatione exponitur fatum Bibliothecæ *Reimmannianæ*, quæ, A. 1710

 maxi-

Digitized by Google

maxima ex parte conſumta, poſtea lætioribus incrementis refloruit. Inconſultum foret, Autore vivo, hiſtoriam illam ex Actis publicis, & fama privata ac publica, reddere auctiorem. Miramur inter hæc, Virum S. Rev. ante aliquot annos fervide ſcripſiſſe in conditores Ephemeridum literariarum, qui longe cautius & moderatius de ſcriptis *Reimmannianis* judicium tulerant, quam in hoc libello factum videmus. Verum ſuccurrit hoc animo Autoris: quare in calce Præfationis, *in magnis*, inquit, *voluiſſe ſat eſt. Et fortaſſis ipſa hæc mea imbecillitas conducet rei literariæ.* Ipſe etiam ſuam judicandi rationem vocat *empiricam.* Quod vero putet, filios Muſarum adhuc caruiſſe Syſtemate principiorum & regularum, quod ad peritiam judicandi de ſcriptis aliorum faciat; in eo indubie fallitur. Etenim ex profeſſo Cel. *Wolfius* in *Philoſ. ration* P. II Sect. 3 Cap 4, 5, Syſtema ejusmodi condidit. Nec deſunt libelli Logici, qui regulas in hunc finem attulerunt. Vaticinatur dein Autor, lectores in poſterum conclamaturos: *Felix hic eſt Reimmanni abortus Criticus, qui Venerem Apelleam nobis procreavit.* Illuſtrat hoc ipſum lapſu primorum Parentum, quem *felicem* appellat, eo quod occaſio fuerit myſterii redemtionis. At, duriorem hanc ſententiam dudum a *Jo. Franc. Buddeo,* nunc beato, notatam merito fuiſſe, novimus. A controverſia *Wolfiana* abſtinet Autor, cauſatus ſimultatem utriusque partis, ſi ipſe foret neutrius. Verum ea ad libros Theologicos per ſeſe non ſpectat. Communicat dein Autor locum, in quo elogium ſui, ab *Uffenbachio,* Viro ſummo, profectum, habetur. Alibi quoque paſſim, uti verbi cauſa p. 468 ſq. laudes ſuas non præterit. Tantum ad Præfationem. Libellus ipſe eam Theologiæ rationem videtur prætuliſſe, quam Autor ſuis utiliſſimam judicat. Apparet id ex encomiis, in *Spenerum, Breithauptium, Franckium,* ſimilesque alios, ac eorum ſcripta, congeſtis, quibus nulla virgula cenſoria, more alias recepto, addita. Non refragamur. Sed lectores id fortaſſis improbabunt, *Buddeum* & *Walchium* inclementius fuiſſe habitos, *Jo Chriſt. Colerum,* aliosque Theologos præſtantes, labeculis fuiſſe vel videri adſperſos. Dubitabunt proinde nonnulli,

qui

Digitized by Google

qui acta præteriti temporis norunt, Autorem ſine ira & ſtudio judicaſſe. Conſuevimus alias judicia noſtra in ſuſpenſo tenere. Sed in præſens eam nobis patere exiſtimamus libertatem, quam *Reimmannus* ſuo exemplo præivit & comprobavit. Requirimus igitur paſſim puritatem verborum & dictionis, interpunctionis accurationem, & moderationem a ſalibus verborum, audacius fodicantibus. Methodus nec ad partes Theologiæ, earumque diviſiones, nec ad Chronologiam quadrat. Sed hæc ſunt minoris momenti, perinde ac multi libelli, inibi recenſiti. Liber exhibet ſex Sectiones. In prima exſtant Capita quatuor; & ipſa inſcribitur de ſcriptis, ſpectantibus ad Hiſtoriam Theologiæ. Caput primum pertractationem ſiſtit de ſcriptoribus Theologiæ propædeuticis. In ſecundo agitur de ſcriptoribus Hiſtoriæ Theologicæ. Tertio diſſeritur de ſcriptoribus Bibliothecarum Theologicarum. Quarto exponuntur ii, qui vitas Theologorum ſcripſerunt. Sectio ſecunda exhibet ſcriptores Theologiæ Exegeticæ, Patriſticæ, Confeſſionalis ſeu Symbolorum, Polemicæ, Henoticæ, Ethicæ ſeu Aſceticæ, Caſuiſticæ & Homileticæ ac Criticæ, Socinianæ, Magicæ, Paradoxicæ, Græcæ & Archæologicæ. Sectio tertia inſcripta eſt de ſcriptis, ſpectantibus ad Theologiam Judaicam. Quarta eſt de ſcriptis, ſpectantibus ad Theologiam Muhammedanam. Quinta facit ad Theologiam Ethnicam. Sexta & ultima indicat ſcriptores Atheiſticos & Anti-Atheiſticos. Non eſt, quod hic invenire tentes hiſtoriam cujusque libri externam & internam. Multorum libellorum nudi apponuntur tituli ſeu indices. Judicia aliquot ex Præfationibus hauſta. Sunt, quæ contradictione laborant. Ita p. 177 *Jo. Wilh. Peterſen* dicitur *vir doctus ſane, & pius & modeſtus, ſed credulus nimium & ſuperſtitioſus, & novarum rerum cupidus.* Sunt, quæ injurias fere ſpirant. Ita *Jo. Georg. Pertſchio*, Syndico nunc Reipublicæ Hildeſienſis egregio, ob libellum, *de Jure der Beichtſtüble und des Kirchenbannes*, p. 706 tribuitur *αβλεψία, ασυλλογιστία, παραδοξοφιλία, vernilitas etiam, mordacitas, petulantia, temeritas, & manifeſtum contradicendi, novaturiendi, & inclareſcendi, ſtudium.* Sed inſunt tamen, quæ alibi vix invene-

 ris.

Digitized by Google

ris. Dabimus eorum nonnulla, & ea rarióra. *Diodatus* di-
citur fuiſſe Pontificius p. 207. Additur, *Matthiam d'Erberg*
primum fuiſſe Autorem e Proteſtantibus, qui ſacram Scriptu-
ram V. & N. T. in linguam Italicam traduxerit. Docet Autor
p. 515 cum *Dallæo*, imagines ante ſeculum IV poſt C. N. in
Eccleſia fuiſſe nullas. Contrarium vero ſit veroſimillimum
ex *Lactantii* libro *de mortibus perſecutorum* Cap. 12, *Irenæo*
*contra hæreſes* Cap. 14, & aliis. *Juriæum*, egreſſum annos 64
ætatis, vertigine per integrum quinquennium infeſtatum fuiſ-
p. 12. ſe, ideoque ſe abdicaſſe munere Eccleſiaſtico, hic docemur.
Autor Analyſin & Chronotaxin Apocalypticam *Coccejanorum*,
13. & ſpeciatim *Campegii Vitringæ*, rejicit, quippe in qua parum
ſit gravitatis, multum varietatis. Subdit tandem, eam ventis
14. omnibus eſſe obnoxiam. *Ludovici Cappelli Hiſtoriam Apoſto-*
*licam* vocat paradoxicam, eo quoque nomine, quod in ea p.
109 doceatur, puncta Ebraica demum circa annum Chriſti
500 eſſe excogitata. Sed eadem ſententia fuit *Lutheri*. *Sau-*
*bertus* in *Operibus poſthumis*, a *Jo. Fabricio* editis, p. 1, 2, loca
attulit. Si quis ſtatuat, ante puncta vocalia, quibus nunc uti-
mur, ſigna exſtitiſſe ejusdem poteſtatis, ſed minus commodæ
ſcriptionis, is paradoxum evitat. Autor *Richardo Simonio*
16. id vitio vertit, quod *Criticiſmum* inducere conatus ſit in Exe-
geſin ſacræ Scripturæ. De *Richardi Simonii Hiſtoria critica*
*V. T.* & *Hiſtoire critique du Text du nouveau Teſtament*, affe-
runtur judicia exquiſita. Pergit porro Vir Reverendus, *Herm.*
19. *von der Hardt* ſcripſiſſe *Commentarium in Jobum MStum*, in
quo hiſtoriam Jobi convertere in parabolam laboret, & uni-
verſam Geographiam labefactet. Notat idem, neminem fere
20. dediſſe *hiſtoriam Prophetarum*, vix aliquem tentaſſe, nedum
abſolviſſe. Præſtarunt tamen multum *Vitringa*, *Prideaux*, &
*Buddeus* in Hiſt. Eccl. V. T. Docemur porro, *Jo. Wolfg. Jäge-*
*rum* ſcripſiſſe Diſſertationem *de Labadiſmo*, cum is deſtitutus
23. tamen fuerit ſcriptis *Joannis de Labadie*. *Antonio de Dale* di-
ca ideo impingitur, quod hiſtoriam Evangeliſtarum eodem
24. loco habuiſſe videatur, ac *Ariſteæ* fabulam. Sed de verbo
ſcripto canonico Fanatici & Mennonitæ ſentiunt eadem, quæ
repe-

Digitized by Google

repetiit ac diſtinctius expoſuit *Dalius*. *Jacobi Gotfriedi Hi-* p. 27.
*ſtoria Auguſtanæ Confeſſionis* recte tribuitur *Timotheo Kirch-*
*nero, Nicolao Selneccero,* & *Martino Chemnitio*, autoribus, quo-
rum tractationem, ex Actis publicis & tabulariis abditiſſimis
conſcriptam Germanice, *Gotfridus* in Latinum convertit. Me-
minit Autor etiam *Actorum* ſuorum *publicorum ad Hiſtoriam* 28.
*Eccleſiaſticam Magdeburgenſem, ſpeciatim Formula Concordiæ,*
*ſpectantium, MStorum*: & monet, *Acta Synodi Dordracenæ* pro-
diiſſe quidem Hanoviæ 1620, 4, ſed plerisque, momentum ſin-
gulare trahentibus, omiſſis, quæ in *Joannis Henrici Hottingeri* 38 ſq.
manibus fuerint verſata. Mirandum, *Jo. Barthold. Niemeierum* 40.
adhuc A. 1693 Apoſtolos ipſos habuiſſe pro autoribus compoſi-
tionis Symboli Apoſtolici, & id pro corpore totius doctrinæ
Chriſtianæ reputaſſe. *Jo. Franc. Buddeum*, Noſter exiſtimat, ſe- 41.
cutum eſſe in *Commentatione de Origine Socinianismi ab Ec-*
*cleſiæ emendatione non repetenda* & *Joannem Mollerum* &
*Petrum Zornium*. De libro: *Ausführliche Beſchreibung des* 46.
*Unfugs derer Pietiſten*, A. 1693, 4, ſine loci mentione, evulgato, &
ſatis raro, commemoratur unum & alterum. Autor ejus di-
citur fuiſſe *Jo. Ben. Carpzovius*, cui materiam ſuppeditaverit
*Chriſtianus Genſchius*, bibliopola Halberſtadienſis, amicus illius
intimus, & Pietiſtarum hoſtis infenſiſſimus. *Bartholomæus Ger-* 53.
*monius* ſcripſit *de veteribus Hæreticis Codicum Eccleſiaſticorum*
*corruptoribus*. Noſter ſententiam ei tribuit hanc, Hæreticos
adulteraſſe ſcripta V. & N. T. Verum *Germonius* p. 30 ſqq.
fatetur, Judæos Ebræum contextum haud falſaſſe. *Controver-* 55.
*ſiæ memorabilis inter Paulum V & Venetos acta & ſcripta*
1607 *Reimmannus* poſſidet, Opus rarum, & cujus momenta po-
tiora *Jo. Dallæus* L. 1 de Uſu patrum Cap. 3 n. 45 ſq. recitat. Ipſe
putat, Conſultationem *Jo. Laur. Moshemii* de autoritate Con- 56 ſq.
cilii Dordraceni fuiſſe inſcribendam de *iniquitate & ambigui-*
*tate Concilii Dordraceni*; Autorem ex *Limborchii Hiſtoria Vi-*
*tæ Simonis Epiſcopii* egregie profeciſſe; nimium fere eſſe in
excuſandis & defendendis Remonſtrantibus; vix quicquam
juvari diſtinctione iſthac pervulgata inter Remonſtrantes prio-
res & poſteriores. Si vero *Confeſſionem* ſive *Declarationem*



Digitized by Google

*ſententiæ paſtorum, qui in fœderato Belgio Remonſtrantes vocantur*, *ſuper præcipuis articulis religionis Chriſtianæ, Harderwici* 1622, 4, emiſſam, inſpicimus, & recentiorum Remonſtrantium opiniones cum ea contendimus, omnino diſtinctio
p. 67. illa locum habet. Animadvertimus porro, Rev. *Reimmannum* in ea eſſe opinione, quod fidem *Ariſteæ* de translatione LXX primus in dubium revocaverit *Ludovicus Vives* : & id
71. deſiderare in Ven. *Jo. Georg. Walchii Commentatione de Concilio Lateranenſi*, quod ab hoc nec præſtari nec ſperari debebat, ſcilicet omiſſa eſſe Patrum arcana conſilia, partium ſtudia,
74 ſq. fraudesque dolosque. Ignoramus, num illud digno argumento evinci poſſit, Theologiam ſcholaſticam a Philoſophia, Scholaſticorum ævo, haud fuiſſe deſtinctam. De *Chriſtiani Ger-*
75. *beri Hiſtoria der Wiedergebohrnen*, encomiis præmiſſis, id fertur judicii a Noſtro, quod rationem colligendi & judicandi de regenitis & regeneratione adhibuerit, qua plus interdum eſt in
81. concluſione, quam fuit in præmiſſis. Fata *Hiſtoriæ literariæ ſcriptorum Eccleſiaſticorum Guilielmi Cavei* ſuccincte & hiſtori-
84. ce delineantur. *Trithemii* Operibus meritum encomium judi-
87. ciumque expromitur. *Poſſevini* error notatus, qui in *Bibliotheca ſelecta* Lib.12 Cap. 44 *Kyranidem* ſeu Alcoranum pro
89. obſcuro Autore habuerat. Ab eodem oſtenditur cenſore, *Oudinum* ex Cel. *Fabricii Bibliotheca Græca* Vol. VI p. 784 ea,
90. quæ de *Heliodoro* attulit, deſumſiſſe. Id vero vix veroſimile ſit, A. 493 primum a Gelaſio P. in Romano Concilio confectum eſſe librorum prohibitorum indicem, exſtantem in Jur. Can. P. I Decreti Diſt. 15. Quis enim neſcit Edictum *Theodoſii &*
93. *Valentiniani*, A. 449 ſancitum? *Fr. Jo. Mariæ Braſichelli Tomus I librorum expurgandorum, index* ipſe, in indicem librorum prohibendorum eſt relatus; Tomus II ſtatim in herbis
95. exſtinctus. *Jo. Dallæus* in libro de *Uſu patrum* adverſarios egregie confudiſſe, ſed Chriſtianæ religioni parum conſu-
112 ſq. luiſſe, dicitur. In manes *Buddei* Autor omnino videtur acri-
118. or, quam plerisque juſtum videbitur. *Klemmium* habet pro eo, qui primus conſiliis irenicis occaſionem dederit, quibus no-
114. ſtra Eccleſia ab A. 1719 ad 1724 laboravit, quippe quæ per id tem-

Digitized by Google

tempus plus quam 200 ſcripta ultro citroque edita vidit. Primum *Indicem expurgatorium* A. 1609 Argentorati in 8 prodiiſſe, docet; traditque, (ſed quis eſt, cui non cognitum p. 121.
dudum fuerit,) *A. Clarmundum* eſſe fictum nomen, 127.
ſub quo lateat M. *Joannes Chriſtophorus Rüdigerus*, Dresdenſis. Rariſſimus eſt *Catalogus Hæreticorum Romæ conflatus A.* 1559, *recuſus cum annotationibus Pauli Petri Vergerii* 144.
Pfortzhemii 1560, 8. Mirandum, Epiſcopos plures & Cardinales, ac ipſum *Æneam*, in eo turbæ Hæreticorum inſertos eſſe; *Eraſmicum* novum Teſtamentum, a Leone X probatum, in Indices librorum prohibitorum rejectum; libroſque multos, a Theologico foro plane alienos, damnatis annumerandum. Dilaudat Noſter ſcripta *Jo. Andr. Schmidii* & *Jo. Georg. Leuckfeldii*. Ab illo enim muneri Eccleſiaſtico Hildeſienſi commendatus; ab hoc valde amatus eſt. Incidimus hinc in *Tangmari Presbyteri Vitam Bernwardi, Epiſcopi Hildeſienſis*, quæ 157 ſq.
A. 1540 & 1541 in vernaculam inferioris Saxoniæ converſa eſt. In hoc libello aliquid humani Autor paſſus eſt. Mentionem loci omitti, ſcribit. Sed ea elucet ex fine libelli: *gedruckt by Jaſpar van Gennep, im Iar uns heren*, M.D.XLI. Credit ad hæc, *God. Guil. Leibnitium*, qui Latinum contextum cum translatione Saxonica contulit, editione uſum eſſe, quæ ab hac diſcrepet, locupletata quippe in Bernwardi miraculis enarrandis. Verum id ſecus ſeſe habet. Apud *Leibnitium* enim Tom. I Script. Brunſv. p. 465 ſqq. multa recenſentur miracula Bernwardi, quæ ab hac editione plane exulant. *Canoniſatio* & *translatio S. Berwardi*, quam *Leibnitius* exhibuit l. c. p. 469 ſqq. hic ad verbum translata legitur, tantum abeſt, ut, quod contendit *Reimmannus*, in Saxonica interpretatione reddita ſit auctior.
Cum idem *Chriſt. Aug. Heumanni*, Collegæ noſtri Reverendi & 330.
Celeberrimi, *Lutherum Apocalypticum* dijudicat, communem & receptam ſententiam de ſenſu Apocalypſeos vocat hypotheſin, eique ſubſtituit paradoxum illud dogma exegeticum, Apocalypſin eſſe prænuntiationem pœnæ divinæ, ſeptem Eccleſiis Aſiaticis infligendæ, ſi perrexerint diſſimulare pravitatem ac pietatem ſimulare. Vix eſt probabile, ſerio id a quoquam ſtatui poſſe, cum libris canonicis, ex conſenſu ultimæ antiqui-



Digitized by Google

tatis Chriſtianæ, univerſalior finis ſit præfinitus. Dolemus, Autorem veritatem ſomnii Friderici ſapientis ex charta, ante centum annos excuſa, comprobare. Veritas enim hiſtorica
p. 1037. firmioribus fulcienda videtur documentis. Autor *rationem*
1077. a *reliquiis imaginis divinæ* ſeparat. Quare *Harduiana* ſcripta numeret in atheiſticis & anti-atheiſticis, rationem non
1084. videmus, licet eis calculum non adjiciamus. Nec apparet cauſa, cur controverſiæ ſuæ de voce *collimare* mentionem faciat. Librum de tribus Impoſtoribus non exſtare, immerito idem dubitat. Nequaquam tamen negamus, majores eſſe hiſce notas alias Autoris. Deprehendimus enim hic libros raros, hiſtoriam librariam alibi vix quærendam, & judicia ſæpius limatiſſima. Comprecamur igitur ei valetudinem integram, ut telam cœptam placide queat pertexere, quæ certe inſerviet βιβλιογνωσίᾳ & exacuendis aliorum judiciis.

## *EDUARDI LEIGHII, A. M. IN UNIVERſum Novum Teſtamentum Annotationes Philologicæ & Theologicæ; ex Anglico ſermone in Latinum transtulit THEODORUS ARNOLDI.*

Lipſiæ, ſumtu Wolfgangi Deer, 1732, 8 maj.
Alph. 2 pl. 8.

PRidem inter Angliæ Philologos ſacros, qui ſuperiori ſeculo in mortalium numero habiti ſunt, celebratum fuit nomen *Eduardi Leighii*. Natus is in Comitatus Leiceſtrienſis quodam oppido Shawell, die 24 Martii A 1602. Studia poſthæc Oxonii coluit gnaviter, & Magiſtri titulum, diligentiæ præſtitæ præmium, A. 1621 reportavit. Peragrata in juvenili ætate literarum cauſa Gallia, cum Angliam repetiiſſet, civilem ſtatum ſub Carolo I Rege miſere turbatum reperit. Sed hoc idem ipſi in fortunam ceſſit. Quod enim nobili genere editus, optimarum artium ſtudiis probe excultus, & ad hæc *Presbyterianorum*, qui vocantur, partibus addictus eſſet, locum inter Parlamenti proceres ſtatim ſub finem A. 1641 obtinuit. Mox & ipſi ſedes cum *Joanne Seldeno* in Senaculo inferiori, *the*

*Com-*

Digitized by Google

*Common-Houſe* nuncupato, aſſignata, & paulo poſt chiliadis militum, Parlamenti ſtipendia merentium, præfectura credita fuit. Duravit hoc ſtatu ad A. 1648 vergentem, quo tempore ipſum commune carceris fatum, licet honeſtioris, utpote nobilem, ſubire oportuit, Cromwellii juſſu, cum omnibus illis, qui *Protectorem* hunc regno proficuum agnoſcere detrectaverant. Hoc poſt duodecim fere annos integros exactos a Carolo II Rege reſtituto liberatus, priſtinoque in ſuprema Curia loco donatus, quod ſuperfuit vitæ ad d. 11 usque Junii A. 1671 placide transegit, quo nempe gravatus annis reliquit inferos. Non diſſimile omnino veri eſt, ex quindecim ſcriptis varii argumenti, quæ in poſteritatis uſum is compoſuit, potiorem partem in carcere ab illo fuiſſe elaboratam atque digeſtam. De his minimum *in Novi Fœderis libros Commentariis* illud ex temporis ratione ſtatuendum videtur Collegæ noſtro, *Joanni Georgio Lottero*, ordinis Philoſophici apud hanc Academiam Aſſeſſori, & Societati Regiæ Scientiarum Berolinenſi adſcripto; qui precibus Interpretis, *Arnoldi*, amici ſui, hoc dedit, ut Latinæ huic verſioni Præfationem, qua de vita, fatis & ſcriptis *Leighii* jucunde exponitur, verumque univerſi laboris pretium definitur, præmitteret. Sententiæ autem ipſius ſumma de iſto opere huc redit propemodum: plurimam induſtriam adhibuiſſe *Leighium* in concinnandis diſponendisque præſtantiſſimis S. Scripturæ interpretum, aliorumque Autorum, unde lux aliqua oriri poteſt textui, cogitatis, qui nempe ante ipſum ſcriptis inclaruerunt; atque hac ipſa re ſe adeo citra omnes partium dividias conſtitutum demonſtraviſſe, ut, cum ipſe Reformatorum fidei formulam, alias cupidiſſime amplectatur, noſtratium tamen æque ac Pontificiorum eximie dicta tam libenter ac fideliter adoptaverit, quam ſui gregis hominum quorumcunque: *Arnoldum* vero, Interpretis munia ſtrenue atque diligenter obiiſſe; librum ipſum denique ſacræ Exegeſeos ſtudioſis quam utiliſſimum poſſe exiſtere.

## *NUMI SINGULARES, SIVE VARII GEneris Numiſmata rariora, quorum apud curioſos ex Hi-*



Digitized by Google

*ſtoria quadam jucunda ſive fabula, tum etiam ex nota quadam peculiari pretium eſſe conſuevit, unde & præter alia in Gazophylaciis aſſervantur. Collegit atque deſcripſit D. JO. CHRISTIANUS KUNDMANN, Medicus Uratislavienſis, & Acad. Imper. Natur. Curioſ. Collega.*

Uratisl. & Lipſiæ, apud Mich. Hubert, 1731, 4.
Plag. 19.

PRomiſerat Autor Clariſſ. cum A. 1726 *Promtuarium* ſuum *rerum naturalium & artificialium Uratislavienſium* vulgaret, elaboraturum ſe per vices argumenta quædam rariora, aut plane non, aut perperam, publicis ſcriptis hactenus pertractata, eorumque hic primum, *Numos* nempe *ſingulares*, lectorum voluptati exhibet. Novis interim rurſus in Præfatione promiſſis fidem ſuam eruditæ civitati obſtringit, & exſpectari abs ſe itidem jubet *de Monetis gentium Orientalium*, quarum eximium apparatum ſervat, Commentarium; *Supplementum* ad defuncti *Godofredi Dewerdeckii Sileſiam Numismaticam; Examen foſſilium & lapidum figuratorum quorundam notabilium; Obſervationes Phyſicas & Medicas ſelectas*; & plura adhuc alia. Hæc dum prodire in lucem poſſint, fruamur licet interim his numis, quos variis atque jucundis obſervationibus Vir eruditus illuſtravit. Nos quædam prægustus gratia hinc inde delibabimus. Ita veniunt in hunc cenſum numismata, quæ caſus aut artificis error, numerorum ſignis ac literis inverſis, nobilitavit; v. c. Thalerus quidam abs Guilielmo, Oraniæ Principe & poſt Angliæ Rege, cuſus A. 1652, in quo ſecundarii numeri nota (2) obverſa deprehenditur; qua re indigitatum ſibi perſuaſerunt ſimpliciores, morte obiturum illum Principem anno novi ſeculi ſecundo, ætatis 52. Servat Autor florenum Gallicum, A. 1690 percuſſum, in quo decidens Regis Ludovici XIV capiti corona Regia conſpicitur; ipſe Rex autem iſto tempore Delphino filio Romanam imponere irrito conatu ſatagebat. Alius numus eundem Ludovicum cum myſtace repræſentat, quem tamen nunquam geſtavit.

ſtavit. Legas hic porro de Thalero Philippi, Haſſiæ Landgravii, cum Epigrammate: *Beſſer Land und Leut verlohren* &c. de alio Chriſtiani Ducis Brunſuicenſis & Epiſcopi Halberſtad. lemmate: *Gottes Freund, der Pfaffen Feind;* atque id genus aliis, jucunde expoſitum. Inter numos, quibus mortalium quorundam credulitas ac ſuperſtitio inſigne pretium impoſuit, præcipuus fere habetur Comitum ille Mansfeldenſium, vernacule *St. Georgen-Thaler*. Occurrunt etiam varia annotamenta de nummis tempeſtate calamitoſa, v. c. belli tricennalis, ex cupro, ſtanno, charta, & alia materia ignobiliori, cuſis; tum & alia, quibus plurima lux rei monetariæ univerſim commodatur. Exploduntur mox fabulæ in vulgus ſparſæ, e. g. de Thalero Hungarico, in quo Maria, Ludovici Regis uxor, *Equa Hungariæ* appellata perhibetur; de numis, genitali membro, mox virili, mox muliebri, inſignibus, κ. τ. λ. Concluditur diſquiſitione de numis Chymicis & Magicis.

## *DOCTRINA POLYCARPI DE SCRIPTURA ſacra, expoſita a JAC. HENR. BALTHASARE, SS. Theol. D. & Prof. Ord. Conſiſtorii Regii Aſſeſſore, & ad ædem S. Jacobi Paſtore.*

Gryphiswaldiæ, proſtat in officina libraria Jacobi Löfleri, 1731, 4. Pl. 3½.

CONſilium cepit S. Rev. Autor viros eruditos, qui ex ſcriptis *Clementis Romani*, *Tertulliani*, *Irenæi*, *Auguſtini*, *Cyrilli Hieroſ. Chryſoſtomi*, *Bernhardi*, aliorumque, præcipua fidei Chriſtianæ dogmata collegerunt, imitandi, & *Polycarpi*, viri Apoſtolici, cum doctrina Eccleſiæ noſtræ Catholica conſenſum aliquot Diſſertationibus exponendi. Hac mente ejusdem hodieque reliquam *ad Philippenſes* Epiſtolam evolvere decrevit, *Irenæum* atque celeberrimam *Smyrnenſium* Epiſtolam interdum, exigente nimirum neceſſitate, in auxilium vocaturus. In hac igitur prima Diſſertatione, quid de Sacra Scriptura viſum olim fuerit *Polycarpo*, cum cura exploratur.



Digitized by Google

ratur. Continet hæc quædam Scripturæ nomine ab eo uſurpata, ejusdem agnitam θεοπνευςίαν, libros Biblicos, quos excitavit, verba & Scripturæ, quæ allegavit, oracula. Licet unum alterumque ex *Tobiæ* libro attulerit comma; inde tamen nondum ſequitur, hunc ab ipſo inter canonicos fuiſſe numeratum. Faſſus eſt *Polycarpus*, ac præ ſe tulit, Scripturam canonicam eſſe principium ac normam cultus divini, eandemque omnis erroris expertem ac perfectam. Admiſit ille quidem traditiones, non vero ἀγγράφυς, ſed ἐγγράφυς, id quod notiſſima illa *Irenæi* ad *Florinum* Epiſtola, quam *Euſebius* reliquit, diſerte probat. Non erubuit ſuo is tempore docere, lectionem ſacrarum literarum laicis etiam concedendam. Sicut vero uſum & efficaciam Scripturæ omnibus commendavit modis; ita, ne quis ea turpiter abuteretur, ſtudioſiſſime cavit. Atque hac ratione potiora primæ hujus ſcriptionis Academicæ momenta communicavimus, cetera *Polycarpi* dogmata, ex ipſis illuſtris viri ſcriptis collecta, cupide expectantes.

---

## *ELOGIUM*
## JOANNIS SCHMIDII,
### THEOLOGI LIPSIENSIS.

QUo æquius eſt, virorum de literis præclare meritorum ſanctam nobis haberi & religioſe coli memoriam, resque ab iis laudabiliter publicoque geſtas commodo poſteris narrari; hoc magis noſtrarum eſſe judicamus partium, quanto honore proſequamur pios manes *Joannis Schmidii*, Theologi integerrimi, & purioris doctrinæ laude per omnem vitam celebratiſſimi, ſuperiore anno pridie Calend. Junii evocati ad Superos, qui non ſolum ad Academiæ hujus florem multum attulit laboribus ſuis, ſed has ipſas etiam muſas noſtras per complures annos adjuvit diligenter ornavitque egregie, publicis his quaſi tabulis teſtatum facere. Memores itaque eorum, quæ Vir ille bonus & eximius ad noſtrum olim decus contulit, & grati animi quoddam poſituri monumentum, ejus, ut aliorum olim, vitam omnem & in literas merita jam ſcriptura brevi & noſtro accommodata inſtituto perſequemur. Patria ei fuit ipſa Sileſiæ civitas primaria, Uratislavia, in qua edi-

Digitized by Google

editus in hanc lucem d. 14 Calend. Septembris A. 1649, patremque nactus eſt *Joannem Schmidium*, civem bonum, & in arte verſantem, quæ tractare lintea uſibusque docet hominum accommodare. Præclare in eo fortunæ filii, ſi quam poſtea ſecundam expertus eſt, proſpexit pater, quod, explorato pueruli ingenio molli & ad nobiliora apto ſtudia; non ſuis eum linteis mancipavit, ſed bonis muſis conſecravit, & probatæ doctrinæ fideique commendavit præceptoribus. Prima Noſter adoleſcentiæ tirocinia poſuit in Lyceo patrio, quod S. Eliſabethæ ſacrum eſt, ubi primum in diſciplinam datus inferioris ſubſellii doctorum, *Sartorii* & *Wendii*, poſtea ad altiora progreſſus, in elegantioribus literis *Martini Hanckii*, *Jo. Gebhardi*, & *Eliæ Majoris*, ſcholæ Rectoris, in Theologicis vero & linguarum Orientalium ſtudiis, *Andreæ Acoluthi* & *Adami Ezleri* præceptis, magno, quod ipſe ſæpius profeſſus eſt, cum ſuo fructu, uſus eſt. Inde, liberaliori doctrina perpolitus atque confirmatus, Lipſiam abiit, &, faſces Academiæ regente tum *Jo. Oleario*, hanc velut officinam ingreſſus eſt, in qua feliciſſimi ingenii multiplices explicaret virtutes, & per omne vitæ tempus ſuam exerceret induſtriam. Philoſophiæ primum daturus operam, ab ore doctorum, quos habuit Academia noſtra, celeberrimorum pependit, *Thomaſii*, *Menckenii*, *Felleri*, *Rechenbergii*, *Cypriani*, *Carpzovii*, *Olearii*, &, quem omnium maxime coluit, *Val. Alberti*; deinde, conſilio haud præpoſtero ad Theologiam converſus, optimos ſtudiorum moderatores habuit *Kromayerum*, *Mœbium*, *Rappoltum*, & præ ceteris *Scherzerum*, cujus viri eruditionem ſummam & in cœleſtem doctrinam merita tanti ſemper ab eo æſtimata recordamur, ut, quoties in ejus memoriam incideret, non niſi nudato capite inſignes ejus laudes prædicaret. Jamque ſtudii in literis poſiti publica editurus documenta, & ad majora ſibi iter paraturus, primam A. 1669 in Philoſophia lauream cepit, quam Diſſertationibus tribus publicis ornavit, prima, *de Quæſtione: Quomodo elementa ſint in mixto*, altera in *Epiſtolam* quandam *Dominicalem*, tertia denique, *de Anno*, moderantibus certamen M. *Mœrbitzio*, L. *Oleario*, & M. *Friderici*. Quibus

laudabiliter confectis, A. 1670 ſupremos in Philoſophia honores conſecutus eſt; quos ut datos ſibi merenti oſtenderet, brevi tempore poſt *de Deo, ut trino, ex principiis Philoſophicis non demonſtrabili*, &, quas pro Loco vocant, binas alias, *de Angelis ex principiis Philoſophicis non demonſtrabilibus*, & *de Animæ rationalis immortalitate, ex principiis Philoſophicis non demonſtrabili*, eruditas Diſſertationes e cathedra defendit. Reſpondentis etiam munus obiit in duabus Diſſertationibus *Anti-Socinianis*, quibus *Scherzerus* præſidebat, & in alia ſolenniori *Val. Alberti*, in Collegio Theologorum locum occupaturi. Ab illo tempore arenam Academicam ſubiit ſæpiſſime, & Diſputationes, quæ, moderante eo, in cathedram, ſive Philoſophicam, ſive Theologicam, ſunt productæ, ſeptuaginta numerantur. Quas etſi hic recenſere ſingulas, nec locus ferat, nec inſtituti noſtri ratio; ſunt tamen in iis nonnullæ ſive argumenti delectu, ſive tractationis elegantia, tam commendabiles, ut, omni earum commemoratione abſtinere, nefas videatur. Præcipuas earum judicamus illas, *de Jure majeſtatis circa onera publica, de Fatalitate nominum propriorum, de Fatalitate temporum, de Jure hominum in bruta, de Moralitate ludorum ſcenicorum, de peccato originis a gentilibus ignorato, de Reverentia erga ſenes, de Quartadecimanis, de Potus moralitate, de Proverbiis falſiverbiis, de Percuſſoribus, de Viviſepultura, de Pſeydoprincipibus, de Palinodia eruditorum, de Statua Hæmorrhouſæ, de Coronis, earumque in ſacrificiis uſu, de Habitu & inſignibus Apoſtolorum ſacerdotalibus, de Uſu veſtium albarum, de Cinerum in ſacris uſu, de Gymnoſophiſtis, de Puccio in Naturaliſtis & Indifferentiſtis redivivo, de Probatione rerum dubiarum per aquam facta, de Combuſtione librorum hæreticorum, de Novis quorundam Batavorum de morte temporali hypotheſibus, de Multiplici Chriſti in cælos adſcenſione, contra Whiſtonum, de Miniſtro Eccleſiæ corpore vitioſo*, denique *de Jubilæis, maxime Evangelico-Lutheranis*. Ad publica hæc acquiſitæ eruditionis ſpecimina privata adjunxit, operamque dedit, ut ex inſtitutione ſua redundare aliquis in juventutem

fru-

Digitized by Google

fructus poſſet. Philoſophiam, non ſine plauſu audientium, complures annos docuit; cumque ad eloquentiam, quam fore ſibi olim fructuoſiſſimam felici augurio providerat, a teneris appuliſſet animum, artis hujus uſu juvenum quorundam, qui magnam poſtea eloquentiæ laudem & meritorum famam conſecuti ſunt, ingenia exercitare cœpit privato Collegio, cujus ſucceſſus poſtea tam ſecundi fuerunt, ut ad ſemiſeculi ætatem eo ipſo, quo diem obiit Noſter, anno acceſſerit. Nec ſua nobiliſſimis his laboribus merces defuit; quandoquidem a primis initiis ad ſupremos Noſter honorum, quos Academia daret ſolet, gradus adſcendit. A. 1679, ad cœleſtem vitam evocato *Godofr. Schiltero*, Jurium Profeſſore, vacuum in Collegio, quod B. Mariæ Virgini ſacrum habetur, locum occupavit. Philoſophorum ordo ſocium ſibi A. 1693 adjunxit, & anno ſubſequenti munus eloquentiam docendi publicum, quo functus olim fuerat *Jac. Thomaſius*, datum ei fuit adminiſtrandum. Quibus honoribus ne quid ſplendoris externi deeſſet, A. 1685, edita *de Victoria Chriſti glorioſa ad Coloſſ. II, 15*, Diſſertatione, lauream in Theologia doctoralem petendi licentiam, laureamque ipſam A. 1699, nova cum eruditis communicata *de Multiplici animarum in corpora reditu, contra Autorem Anonymum Tractatus Seder-Olam*, Diſſertatione, impetravit. Cumque ab eo tempore, quam ſit doctrinæ cœleſtis gnarus ipſe, multis modis teſtatum faceret, factum hinc eſt, ut anno poſt ipſa ei Theologiam extra ordinem docendi adderetur provincia, & A. 1716, juris ſacri dicundi cauſa, in Senatum reciperetur, qui Lipſiæ congregatur, Eccleſiaſticum. His, ut ſolet in Academiis, alia deinde munera acceſſere diverſis temporibus; quale eſt *Ephori Alumnorum Electoralium, Decemviri, Decani* & *Procancellarii* in Philoſophorum Collegio. Gubernacula Reipublicæ Academicæ, id quod paucis, & forſan nulli, ante eum contigit, octies tractavit, &, quod multi, ſi contingeret ipſis, in felicitate ſumma ponerent, ad eam pervenit ſenectutem, ut octo annos continuos doctorum hujus Academiæ primus fuerit. Libri ab eo editi, quod ſcimus, nulli exſtant, niſi quod *Ad. Scherzeri*, Theologi integerrimi, *Collegium Antical-*

*ticalvinianum* primus, commodo juventutis, ſacris literis deditæ, in conſpectum eruditorum produxit, poſtea quadraginta certaminibus publicis ſtrenue ab ipſo propugnatum. Diſſertationes vero Academicas, ut diximus, complures ſcripſit, easque ſingulas, quæ legantur, perdignas. Ceterum, quanta ejus fuerit in judicando vis & perſpicacitas, quanta in docendo perſpicuitas & ſolertia, quanta bonarum rerum & doctrinæ in diſſerendo ac diſputando copia, quanta ingenii ſubtilitas ac vehementia, quotquot eum olim docentem audierunt, uno ore fatentur omnes. Quæ hoc majorem ei penes omnes admirationem exiſtimationemque conciliarunt, quo elegantiores comites habebant multas virtutes animi, inſignes profecto, &, ſi in quoquam alio, in Theologo certe admodum conſpicuas ac laudabiles. Deum pie coluit per omnem vitam, & ad ejus gloriam referri voluit, quicquid bene ipſe laudabiliterque ageret; neque tamen hanc religionem ineptæ ſuperſtitionis maculis contaminari unquam paſſus eſt, ſed ſua Deo, ſua civibus ſuis, ſua denique ſibi ipſi, recte exiſtimavit, præſtanda eſſe officia. A cujuscunque generis controverſiis, etſi acri igneoque præditus ingenio, multum abhorruit, cumque purioris doctrinæ in rebus ſacris eſſet ſtudioſiſſimus, longe alienos a ſe eſſe juſſit homines novarum rerum cupidos, & in Eccleſia parturientes monſtra dogmatum. Adhæc ſuavis ſemper alloquio, facilis cuilibet, & ad beneficia paratus fuit, quosque intellexerat diſcendi quadam flagrare cupiditate, his, quanta potuit, ſtudiorum inſtrumenta paravit. Dulce ei per quinque & quadraginta annos matrimonium fuit cum *Anna Salome*, nobiliſſimæ gentis *Schützianæ*, unde nata ei filia, *Anna Eliſabeth*, in cunis jam ex hac vita egreſſa, & filius, *Joannes Valentinus*, J. U. D. & cauſarum patronus in urbe patria exercitatiſſimus. Nihil ſupereſt, quam ut bene precemur piis *Schmidii* noſtri, veri ac ſine fuco Theologi, manibus, &, ut in poſterum Academiam noſtram ornent viri, qui *Schmidii* referant imaginem, hique, quibus curæ eſt flos patriæ, eandem, quam ille olim, gaudentibus bonis omnibus, ætatem attingant, ardenter imploremus Superos.

EMENDANDA.

Superiori *Menſe Julio p. 342 lin. 34* nemo non videt ineptam verborum transpoſitionem, legendumque ita eſſe: *Rem autem hac in arena adeo feliciter docta puella ſtrenueque geſſit*, &c.

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Septembris Anno MDCCXXXII.*


---

ΑΡΕΤΑΙΟΥ ΚΑΠΠΑΔΟΚΟΥ &c.

## *ARETÆI CAPPADOCIS DE CAUSIS ET ſignis acutorum & diuturnorum morborum libri quatuor, de curatione acutorum & diuturnorum morborum libri quatuor. Cum Commentariis integris PETRI PETITI Medici Pariſ. atque Clariſſ. JO. WIGANI, doctis & laborioſis notis, & Celeb MATTAIRII opuſculis in eundem, tandemque erudititiſſimi atque Celeb. DAN. WILH. TRILLERI obſervationibus & emendatis. Editionem curavit HERM. BOERHAAVE.*

Lugduni Bat. ſumtibus Petri van der Aa, 1731, fol. Alph. 5 pl. 22.

QUæ paucis ante annis ita rara erant *Aretæi* Cappadocis Opera, ut deſcripto manu exemplo utendum eſſet Cl. *Wigani* typographis, quam inopiam neſcimus ſuſtuleritne an accenderit laudatiſſimi *Wigani* editio, cujus trecenta tantum exempla ſitim, quæ hodie eſt, bonorum librorum reſtinguere potuerunt minime: ea nunc demum vere publicata cenſeri debent, poſtquam annitente *Boerhaavio*, in dias luminis auras rediere, qui (ut vere nuper de ipſo Cl. *Burmannus ad Gratium p. 110, a,*) omnia, quæ tractare vult, inter manus ſuas ſplendeſcere, & politiora exire videt. Quanquam ipſe Vir modeſtiſſimus nihil ſibi deberi vult, niſi quod profitetur, ſe auto-



Digitized by Google

rem ſuſcipiendi operis, quod ſibi primum ſoli deſtinaſſet, auctis laboribus ſuis atque negotiis aliis, fuiſſe *Joanni van Græneveld*, J. U. & Medicinæ Doctori, nunc Senatori & Judici urbano, (Leydæ,) quod ſecum ſuſtineret, & collatis conſiliis deſtinarent publico. Textus itaque Græcus cum Latina verſione jam expreſſus erat ſeculi hujus anno undeviceſimo, ante aliquanto, quam *Wigani* editio prodiret, e qua deinde bona ipſius cum pace plura in hanc translata ſunt ornamenta. Græca igitur nobis hic dantur ex nitida *Goupyli* editione. Verſio Latina addita, quam *Henr. Stephanus* edidit in Principibus Medicis, cujus Autorem, quem *Goupylum* alii ſuſpicantur, *Celſum Craſſum, Junii Craſſi* filium, ex *Goupyli* editione vertentem, *Petrus Petitus* confirmat. " In notulis, calci paginarum ſubjunctis, " habentur, (verba ipſius *Boerhaavii* recitamus,) quæ princeps " literatorum, *Joſephus Scaliger*, adſcripſerat margini ſui libri, " ex editione *Heniſchii*. — Præterea ibidem correctiones *Peti*-" *ti* ex manuſcriptis ingeniove apponuntur, ut & conjecturæ; " quin & quam breviſſimo compendio ea, quæ ex *Petito* tex-" tui intelligendo ſufficerent. Tum & *Goupyli* & *Heniſchii* " varia ad ſcripturam Græcam. Id curabam, ut lector, ſubſi-" ſtens forte ad obſcuriora, uno intuitu hæc adminicula coram " cerneret. In altera notularum parte unico notantur verbu-" lo varietates in verſione *Junii Pauli Craſſi*, *Heniſchii*, *Peti*-" *ti*, *Scaligeri*. Poſt textum Autoris ita abſolutum curavi ſub-" nectendos Clar. *Petri Petiti* integros Commentarios — quod " ſcriptum ære ſuo redemerat celeberrimus *Jo. Jenſius* a quo-" dam typotheta, qui — referebat, ſe id manuſcriptum Volu-" men reperiſſe in ciſtella, Lutetiis Pariſiorum Hagam delata, " cum vili ſupellectile ab anicula matertera in Galliis defuncta, " cujus paupercula ad eam (forte *eum*) hæreditas pervenerat. " Heu ſortem periculoſam eruditiſſimorum Operum! Perierat Opus præſtantiſſimum, multis vigiliis viri doctiſſimi elaboratum, niſi per neſcio quas ambages ad idoneos arbitros poſtliminio quaſi rediiſſet. Prodiderat quidem partem aliquam Cl. *Maittairius*, eamque ad *Wiganianæ* editionis paginas accommodatam ediderat Londini A. 1726, ſed ultra tertium de octo

libris

libris *Aretæi* non progreſſam. Quo plus debetur illuſtri *Boerhaavio*, qui tantum theſaurum tandem tenebris, quin fato ipſi, eripuerit. Præter hunc vero etiam, quod narrare incepimus, acceſſerunt omnia, quæ *Viganus* illuſtrando *Aretæo* protulerat, præter verſionem, ab ipſo concinnatam, de quibus cum in his *Actis Menſe Martio A. 1728* expoſitum ſit, inde poterunt facile repeti. Acceſſerunt etiam, quæ eodem loco propoſitæ fuerant, Cel. *Trilleri* noſtri conjecturæ & emendationes in *Aretæum*, quibus adjecit pluſculas, dimidiam plagulam implentes, Vir doctiſſimus. Acceſſit toti Operi Index rerum medicarum copioſiſſimus, a *Pellerino*, Medico diligentiſſimo, elaboratus. Poteramus hic deſinere, cum præſertim etiam de *Petiti* Commentariis, quantum eorum tunc exierat, loco *Actorum* noſtrorum, quem laudavimus, dictum ſit. Sed invitat nos ſuavitas libri, ut unum adhuc itemque alterum ἀξιομνημόνευτον delibemus. Igitur ex inſtituto tractat *Petitus* nobilem controver- p. 199.
ſiam, utrum aliud adverſus calculum remedium, præter ſectionem, habuerint veteres; prolatisque autoritatibus pariter ac rationibus, in utraque parte militantibus, tandem eo evadit, ut diverſi generis eſſe calculos arbitretur, duriores alios compactioresque, in quibus ſola ſectione proficiatur, alios friabiles aliquantum, quibus λιθονθρυπτικὰ, inprimis hircorum ſanguis, ſubveniant. De his loqui interdum veteres, interdum vero de prioribus. Quod apud *Aretæum* calculo laborantes 201.
πρόκοποι τὰ αἰδοῖα γίνονται, ita interpretatur *Petitus*, ut a προκόπτειν derivet, *proficere*, *augeri*, ut ſint πρόκοποι, quibus a dolorifica titillatione & ſpirituum affluxu intumeſcant genitalia. Sed conjicit etiam, forte legendum πρόκωποι, quod interpretatur ex *Herodiano*, *qui manum capulo admotam habent*, h. e. præ dolore ſubinde partem dolentem contrectant. Obiter *propudia virorum* apud *Plin.* XXVIII, 8, de gonorrhœa in- 202.
terpretatur. Diſputat in utramque partem, *dentesne* an *cor-* 218.
*nua* ſint elephantorum, & mediam tandem naturam agnoſcit. In mentem hic venit, ſapientiſſime forte Ebræos dicere קרנות שן v. g. *Ezech. XXVII, 15*, quaſi tu *cornua dentalia*, vel *corneos dentes*, dixeris. Inter emendationes multas & ingenioſas pla- 220.

 cebit

Digitized by Google

cebit, credimus, plerisque, quod in deſcriptione elegantiſſima &
admodum luculenta elephanti, pro ȣ̓δὲ τῷ ϛόματι καὶ τοῖσι
σμικροῖσι ὀδȣ̃σι ἔθων σάρκας ζῇ legit blandiſſima mutatione
σαρκάζει, h. e. *carpit herbas*, quod cum tota deſcriptione &
his, quæ præcedunt & ſequuntur, ex aſſe convenit. Sed age
committamus etiam ſpeciminis cauſa *Petiti* noſtri & *Wigani*
ingenia. In eadem elephanti deſcriptione cutem ait *Aretæus*
eſſe ſimilem τριποδονίῳ. Quid eſſet τριποδόνιον nemo dixe-
p. 221. rit, niſi monſtrum vocabuli. *Petitus* poſt fluctuationem ali-
quam manet in τριπτῷ ὀθονίῳ *trito linteolo*, panni attriti &
498. laceri ſpeciem in ea eſſe putans. At *Wiganus* τριπόλῳ νειῷ
legit ex *Homeri* Ιλ. Σ, 549, *novali ter arato*, quod tanto ma-
gis convenit, cum perpetuus *Homeri* imitator ſit *Aretæus*, &
hic etiam ὀχθώδεας ῥωγμȣ̀ς, αὐλῶνας, cuti tribuat. Videa-
tur hic *Wiganus* propius ſcopum collineaſſe. Sed *Petito* fa-
vet, quem laudare poterat, *Plinius*, qui VIII, 10, *cancellatam cu-
tem* elephanto tribuit, qua ſpecie nihil telæ detritæ, filis nudis
& textu rariore, ſimilius eſt. Melius convenit inter duum-
viros præſtantiſſimos circa alium locum, ubi inter phænome-
69. na elephantiaſeos refertur, ȣ̃ρα παχέα, λευκὰ, θολερὰ, οἷον
ὑποζυγίȣ. ἀφροδισίων ὠμῶν τε καὶ ἀπέπτων ἀ αἰδοσις.
Uterque agnoſcit ἀφροδισίοις locum hic non eſſe, eſſe autem
223. σιτίοις. Permutari etiam alias oſcitantia librariorum oſten-
dit *Petitus*, & ſanat locum *Ariſtotelis* Problem. IV, 27. Deeſſe
ἀφροδίσια, paulo poſt in *Aretæo* obſervat *Wiganus*. Sed ad-
junxit *Petitus*, quod rem, ut nobis quidem videtur, extra ale-
am fere conſtituit, ſcripſiſſe *Aretæum*, ȣ̃ρα παχέα–ἀφράδεα.
σιτίων ὠμῶν τε καὶ ἀπ-αν. Unum adjiciamus *Petiti* ϛοχασ-
78. μόν. Legitur in curatione Lethargicorum: ἄριϛον δὲ καὶ
κύμινον γλυκὺ ξὺν κράμβῃ φύσεων ἠδὲ ȣ̃ρων. ἐρεθιϛικὸν γὰρ
32. ἡ κύϛις, ἠδὲ γαϛὴρ ἐν πάσῃ τῇ νȣ́σῳ. Hic Noſter rectiſſi-
me, ſi quid judicamus, vidit, ἐρεθιϛικὸν ad prius comma perti-
nere; cui enim ignotum, urinam cieri cumino & braſſica?
Vidit etiam, pro ἐρεθιϛικὸν in altero commate legendum ἐρι-
θιϛέα γὰρ ἡ κύϛις. Sed, quod illud ἐριθιϛικὸν ſubſtitui vult
voci ἄριϛον, illud videtur, ſi præſertim totam verborum ſe-

riem

rieur inſpicias, duriuſculum. Quidni ita ſcripſiſſe dicamus *Aretæum*, ἄριϛον δὲ καὶ κύμινον – ὥρεων ἐρεθιϛικόν. ἐρεθιϛέα γὰρ ἡ κύϛις. Ipſa vocum ſimillimarum vicinia alteri omittendæ occaſionem præbuit. Hæc de libro, quem non Medicis gratulamur ſolis, ſed quicunque Græcas literas ita amant, ut ultra vulgares libellos, & communes interpretationes, ſapere audeant.

## *NOTITIA ORBIS ANTIQUI, SIVE GEOgraphia plenior. CHRISTOPHORUS CELLARIUS collegit, & novis Tabulis Geographicis illuſtravit. Alteram hanc editionem Annotationibus varii generis partim e ſcriptis veterum, partim e recentiorum Obſervationibus illuſtravit & auxit L. JO. CONRADUS SCHWARTZ, Eloq. & Græc. Ling. P. P. O. in Caſimiriano.*

## *Tomi II.*

Lipſiæ, apud Jo. Friderici Gleditſchii B. filium, 4. Tomus I, 1731, Alph. 6 pl. 7, cum multis tabulis æneis, Tom. II 1732, Alph. 5 pl. 18.

Hic *Cellarii* liber ſatis dudum notus eſt, & fortaſſe notior eſſe debet, quia tanto eſt labore confectus, ut nihil pene addi poſſit. Adſcriptæ ſunt tamen in altera hac editione identidem notæ aliquæ, quarum rationem nunc breviter exponemus. Sunt eæ partim breviores, partim longiores, nihil tamen ſupervacui habentes. Breviores videntur quædam idcirco eſſe, quia res annotandæ ex ipſis libris citatis commodius repeti poſſe, nec ulla diſputatione indigere, videbantur. Ita ad *Gymneſiarum* inſularum nomen *Tzetzis* tantummodo eſt autoritas adſcripta, quanquam is plures denominationis cauſas memorat, quam Cl. *Cellarius* attulerat. *Tzetzes*, ſcriptorum quorundam autoritatem ſecutus, credit, inſulis ex eo nomen hæſiſſe, quod Græci e naufragio ſervati nudi iſtuc evaſerint. Addit idem, inſulas illas ab Hiſpanis Βαλεαρίας appellatas ἤτοι ὑγιει-

ὑγιεινὰς, id eſt, *ſanas*. Quam ſententiam autori ſuo fortaſſe relinquendam putavit notarum Autor doctiſſimus. Sic p.400 Tomi I nota ** rurſus nudum *Tzetzis* nomen adjicitur, qui δρόμον Ἀχίλλειον ex eo dictum eſſe memorat, quod ſolus Achilles eum decurrere potuerit. Addit *Tzetzes*, mille ſtadiis longum eum eſſe. Quod ſpatium *Plinius* quoque tribuerat inſulæ, ſed non ſoli longitudini. Pag. item 732 *Tzetzis* nomen modo ad oppidum *Temſam* additur: etſi, libro illius evoluto, diſcamus, *Temeſſam* a *Schedio* & *Epiſtropho* conditam eſſe, æris bonitate celebrari cœpiſſe, & *Tamaſſam* quoque dictam eſſe; *Tempſæ* tamen nomen etiam ipſius ætate invaluiſſe: niſi forte hæc verba *Tzetzes* a *Strabone* mutuatus eſſe videatur. Longiores notæ interſperſæ brevioribus ſunt, quibus Cl. Autor tum utitur, cum controverſia brevi ſermone dirimi non potuit, aut res copiam quandam verborum poſtulavit. Sic de *Celænis ad Marſyæ fontes & Mæandrum amnem ſitis* diſputatur, itemque de *Celænis* in *Agameam* mutatis. Satis quoque longa eſt nota ea, quæ in *Bethharamptitha* ſitum inquirit, itemque in poſitionem *Rama Zophim* & nomen *montis Ephraim*. Etiam copioſe de locis, *Emmauntis* nomine celebribus, diſſeritur. Error de *Gadaris*, quæ *Antiochia* quoque & *Seleucia* vocata eſſe creduntur, multis verbis rejicitur. Eodem modo alius quidam error de duplici *Aroer* impugnatur. De *Agra*, urbe Arabiæ, non pauca traduntur, ſi, quæ dicta ſunt, cum ceterarum notarum brevitate compares. *Nyſſa*, urbs Arabiæ, itidem demonſtrata dici poteſt largiter. Neque paucis e locis veterum ſcriptorum probat Cl Editor, *ſinum Perſicum* etiam *mare rubrum* dici. Præſertim ſitus *Paradiſi* aliquot paginas occupat. Amnis *Adiabas* amplam nactus eſt explanationem, ut appareret, cur κάπρος, *bumallos*, γεργὲς etiam diceretur. Eodem referri quoque poteſt nota illa, quæ de ſitu *promontorii pulchri*, a ſeptentrionibus Carthagini objecti, exponit, quia *Cellarius*, *Livii* & *Polybii* diſcrepantia turbari ſe, ſcripſerat. Situs urbium & populorum quorundam curatius nunc eſt deſignatus. *Curioſolitæ* e. g. ex hiſtoria Academiæ Regiæ inſcriptionum prope Dinantium eſſe demonſtrantur. Indidem *Viducaſſi-*

*ducaſſium* civitas vico *Vieux*, urbi Cadomo propinquo, circumfuſa fuiſſe oſtenditur. Ita *Servanetes*, *Ambarri*, *fines pagorum Helvetiorum*, quos *Cellarius* a nemine deſignatos eſſe ſcripſerat, *civitas Equeſtrium*, *Latobrigi*, a *Cluverio* in Valleſia, *Stulingi*, ab eodem ſupra lacum Brigantinum quæſiti, *Foſi*, *Aborigines*, *Oenotri*, *Dium Pierium*, *Pelethronium*, *Ephyra Theſprotiæ*, *Ambracia*, *Dryopes*, *Graici*, *Græcia propria*, quæ vetuſtiſſimis temporibus ita vocabatur, *Toutoni*, *Agrigentini*, *Galepſus*, cetera, ubi fuerint, docetur. Adduntur identidem, ſi qua deſiderabantur, *fluvii ſeptem* e. g. circa Rhegium, *Opici*, *portus Argous*, *mons Malea*, *Mopſopia*, flumina in Hebrum infuſa, *Serdi* natio Thracica, *Maſtiani Stephani*, civitas *Valinſa* Octodurus, Ἀλλόβρυγες & Ἀλλόβριγες, *Franci*, *Saxones*, *Pieris* mons, *Calacta*, *Panactus* & *Drymus* Atticæ, *Hecates inſula* ſive *Pſammetiche*, *Iſa*, *Cheſienſes*, *Pramna*, *Rhodus* quondam *continenti adjuncta*, *Inſula Polydori*, *Leleges* Cariæ ſeſſores, *Clarus* oppidum, *Cercaphos*, *Ales*, *Cayſtri fontes*, *Caſtabus*, *Bubaſtus*, *Mylaſa*, *Xanthus*, *Blaudus*, *Celanæ* mons, *Philoteria*, amnis Cæſareæ, *Arimathia*, *Betaris*, *Sephela*, *Hauran* regio, inſulæ oceani auſtralis, *Pagala*, cetera. Sic obſervat Cl. Editor, *Mazæos*, quos *Strabo* Pannonicam gentem appellat, a *Dione* Dalmaticam vocari. Unde veriſimile fit, eos in Dalmatiæ vicinia quærendos eſſe, quia Dalmatiæ etiam tribui potuerint. Idem oſtendit, nomen *Myſiæ*, quod olim anguſtius fuerit, ſenſim dilatari cœpiſſe. Multa a *Cellario* præcepta novis identidem autoritatibus confirmantur, ubi ſcriptores antiqui de nominibus locorum & locis ipſis diſſident. Vide, quæ dicantur de *Theudoſia*, *Delmatia*, *Abſyrtidibus*, *Capreis*, inſulis *Sirenibus*, *Ægeſta*, *Hyble*, *Palica*, *Axio*, Θέρμῳ, *Neſto*, *Pharſalo*, *Pagaſis*, *Dryma*, *Cephiſo*, *Tricoryntho*, *Bucheta*, *Pergamo*, *Lepreo*, prope mare ſito, *Megale poli*, *Dato*, *Alopeconeſo*, *Delphinio*, *Daliche*, *Ophiuſa*, *Rhodo* urbe, *Ida* jugis compluribus, *Colophone* maritima, *Mileti* antiquitate, *Jaſenſibus*, *Loryma*, *Myrenſibus*, *Colaſſis*, *Sardibus*, *Hypæpenis*, *Cibyra*, *Calycadno*, *Corycıotis*, *Lamo*, *Ægæis*, *Themiſcyra*, *Thermodonte*, *Daphne*, *Sidoniis*, a mari rubro ( ut totum Oceanum Perſiæ

&

& Indiæ affuſum ſignat ) in Phœnicen profectis, *Nibaro*, flumine Ptolemaidis, *Gabaris*, *Magedone*, *Sichemo*, *Maximianopoli*, de laxa nominis *Cœles Syriæ* poteſtate, *Apollonia*, *Joppe*, *Thebe* Samaritidis, *Jerichunte*, *Gophna*, *Phanone*, cetera. Quæ ad reliquas cujusque rei Geographicæ rationes cognoſcendas pertinent, ea etiam adjicere ſtuduit notarum Autor, v. g. *Adduam* ex monte Adula oriri: *Nedam* Elidis limitem eſſe Meſſeniam verſus: *Colapin* Sciſciæ circumductum eſſe a Tiberio: *Dardanos* in Triballorum locum ſucceſſiſſe: *Cluſium* olim *Camars* appellatum fuiſſe: *Anconam* coloniam fuiſſe, & a Trajano portu meliore ornatam. Idem de *Auximo* probatur & *Cingulo*. *Antemnas Varronis* ætate conſenuiſſe. *Circæum* olim inſulam fuiſſe. A quibus *Sinope*, Italiæ urbs, *Sinueſſa* dicta ſit; &c. Memorabilia nunc hic leguntur *Ætnæ*, *Egeſtæ*, *Theſſalonicæ*, *Mendes*, *Sciones*, *Olynthi*, *Strymonis*, *Philipporum*, *Lariſſæ*, *Antronis*, *Jolci*, *Teleboarum*, *Æginæ*, *Caryſti*, *Phæſti*, *Abderitarum*, *Lugduni*, *Triccæ*, *Inachi*, *Dryes*, *Aces*, *Lesbi*, *Mitylenes*, *Chii*, *Sami* inſulæ & urbis, *Cyzici*, *Ilii*, *Colophonis*, *Epheſi*, *Pruſæ*, *Nicomediæ*, *Trapezuntis*, *Phaſidis* fluvii, *Seleuciæ Pieriæ*, *Orontis*, *Caſii* montis, *Antiochiæ* ad Daphnen, *Beryti*, *Sidonis*, nominis Tyri *Sarræ*, *Tarichæorum*, *Jotapatæ*, *Mabarthæ*, *Scythopolis*, *Gadaridis*, *Hierichuntis*, *Hebronis*, *Mareſæ*, *Aſcalonis*, *Azoti*, cetera. Et, ſi verum dicere volumus, memorabilia urbium Palæſtinæ ſtudioſius collecta ſunt, uti Scripturæ ſacræ lectoribus commodaretur. Multæ obſervationes ad id comparatæ videntur, ut rationibus eorum conſulatur, qui veterem Geographiam ita diſcere cupiunt, ut fontes divitiarum & ſplendoris antiquarum urbium noſcitent. Vide, quæ dicantur ad pag. 931 Tomi I, & ad pag. 897 Tomi II, & alibi. Quædam notæ idcirco additæ videntur, ut eruditi magis identidem meditentur, quomodo ſolvendæ ſint objectiones quædam. Sic aliqua dicuntur de *Narone*, de *Acantho*, *Naupacto*, *Hexapoli* Doridis, *Thebis* Bœotiis, portu Ithacæ *Phorcyne*, *Salmydeſſo*, &c. Medentur etiam notæ aliquæ accentuum difficultatibus, v. g. in *Tectteris*, in *Ticino*, *Derbicibus*, *Eyris*, &c. Superaddimus hic unum quiddam, quod

ex

Digitized by Google

ex *Dionis* Myſia nobis in mentem venit. Myſia *Dionis* eſt Myſia inferior, quam Baſtarnis ex adverſo ponit. Neceſſe eſt igitur, ut Baſtarnos in locis, ubi nunc Podolia eſt, quæramus. Quare vacillare videtur *Cluverii* conjectura de Carroduno, quod Lembergam eſſe ſuſpicatur. Nonnullæ denique notæ ſeu aſteriſci paulo aliis locis poni debuiſſe videntur; v. g. pag. 30 Tomi II nota † magis ad inſequentia verba pertinet. Sic pag. 76 aſteriſci duo verbis *Apollini ſacrum* ſubjiciendi fuerant.

## D. Caſp. Sagittarii gründliche und ausführliche Hiſtorie der Grafſchafft Gleichen, ꝛc.

h. e.

*CASPARIS SAGITTARII PLENIOR MAgnoque ſtudio compoſita Hiſtoria Comitatus Gleichenſis, ex multorum Principum, Comitum & Baronum, Tabulariis, variis item, tam manu ſcriptis, quam dudum editis, literarum monumentis, diligenter collecta; in qua memorabilia multa de Imperatorum, Regum, Comitum, Nobiliumque, ſtirpibus illuſtrioribus continentur, variarumque regionum, Thuringiæ cumprimis, hiſtoria illuſtratur. Additæ ſunt Figuræ nonnullæ, in æs inciſæ, ſtemmatum imagines, & Indices, quibus carere Opus non poterat. Jam demum ex B. Autoris autographo in lucem producta, & copioſa Præfatione ornata ab ERN. SALOMONE CYPRIANO, SS. Theol. D. & Senatus Eccleſ. Fridenſtein. Conſiliario.*

Francofurti ad Mœnum, ſumtibus Franc. Varrentrappii, 1732, 4.

Alph. 3 pl. 4.

QUanto uſui quamque cordi ſint eruditis, cum ob induſtriam Autoris, tum ob præſtantiam argumentorum, ſcripta *Sagittarii* noſtri, nemo eſt adeo hoſpes hiſtoriarum, adeo ignarus ſtudiorum, qui ignorare ſe fateatur. Multa quidem



Digitized by Google

ejus proſtant & leguntur publice, ſed pleraque latent in ſcriniis privatorum manca, inchoata & adhuc ſimilia naſcentibus. Ætas humana major debebatur Viro ad perficienda ea, quæ inſtituerat. Nam (ut alia prætereamus) Hiſtorias non ſolum nobilium Monaſteriorum, ſed etiam ſingulorum Comitum ac Dynaſtarum, Thuringiæ (Schwarzburgicis exceptis) vaſto conſilio fuerat complexus. *Hiſtoria Comitum Gleichenſium*, ſicuti maturius cœpta, ita etiam ſtudioſiſſime præ reliquis elaborata. Manum admovit jam A. 1675, & præter ſubſidia amicorum & Archivi Gothani, quæ liberaliſſime nactus, etiam ſingulari prorſus alia felicitate uſus eſt. Contigit enim ei perquam opportune, (a) ut A. 1679 in obſcuro loco Bibliothecæ publicæ Jenenſis Tabularium Comitum Gleich. Tonnenſe, & A. 1681 etiam aliud Rhembdæ reperiret, millenis Diplomatibus referta. Hinc alacrior ad rem gerendam factus, membranas chartasque omnes, ſitu quidem fœdas & corruptas, etiam cum detrimento valetudinis, perluſtravit, neque labori ſumtibusque pepercit, quo inſtructius ac plenius prodiret Opus. In Præfatione copioſa, in qua occaſionem, fata & ſucceſſus Operis exponit, huic labori præ reliquis omnibus ſcriptis ſuis ipſe palmam defert, & mirabundus quaſi profitetur: *Ich zweifle, ob je ein ſolches Glück bey einer andern, ja bey einer eintzigen Hiſtorie mein Lebenlang haben werde, als mir bey dieſer Gleichiſchen reichlich und (wo ich nicht irre) bisweilen faſt wunderbarlich wiederfahren.* Abſolvit hanc Hiſtoriam Gleich. A. 1683, & A. 1692 Gotham miſit, ſed, teſte *Tenzelio*, (b) ipſe dubitavit, an varias ob cauſas ea unquam lucem viſura eſſet. Quo etiam factum eſt, ut B. noſter ille *Menckenius* potiorem partem Diplomatum Gleich. ex ſchedis *Sagittarii* ſuis Scriptoribus Rer. German. & Saxon. (c) nuper inſereret, integrique Operis editionem non tam deſperaret, quam aliis relinqueret. Neque invidit honori ac laudibus mortui Autoris æqua poſteritas, & Vir Summe Rev.

(a) *Vockerodt* Serm. Panegyr. P. III Serm. VIII p. 151.
(b) Suppl. II Hiſt. Goth. p. 449.
(c) T. I p. 533 ſqq.

Digitized by Google

Rev. *Ern. Sal. Cyprianus*, dedit hoc pietati erga Præceptorem, Opusque, non de funere ejus raptum, ſed perfecte planeque elaboratum, publiceque gratiſſimum, ex avtographo *Sagittarii* edidit, ac Sereniſſ. Principi, *Friderico III*, Duci Gothano, dedicavit.

Diviſum eſt illud tribus Libris, quorum I de antiquiſſimis
Comitibus Gleich. eorum origine juribusque; II de familia
Comitum Blanckenhayn; III de familia Tonnenſi. Famili-
am Comitum Gleich. ab ultimis ſeculis repetunt fabulæ, & jam
tum ævo Caroli M. opibus validiſſimam lateque dominantem
in Thuringia tradunt. Sed B. Autor, ut eſt veritatis ſtudioſus,
nec niſi certiora ſequi aſſuetus, ante Sec. XI veram hujus fa- p. 35.
miliæ ſeriem demonſtrari poſſe negat, nugas obſoletas mittit,
inprimisque Diploma illud *Peckenſteinianum* de opima dona-
tione Caroli M. multis argumentis refellit. Itaque ad paulo 8 ſqq.
probabiliores origines delatus, Comites in Saxonia oriundos,
& a duobus caſtris æqualis altitudinis (*denen Gleichen*) prope
Gottingam nominatos, ait, unde, incertum, quo tempore, in
Thuringiam profecti, etiam ſibi arcem ejusdem nominis pro-
pe Erfurtum & Gotham ædificaverint. Sine dubio ab Impe-
ratoribus olim nacti ſunt in Thuringia Comitatum, eosque
etiam inter conditores urbis Erfurtenſis cœnobiique Petrini
habendos, non pauca extant documenta. Urbis certe Advo-
catos & judicii Præſides (*Erb-Voigte dieſes Landes in der Stadt* 15 ſqq.
*Erfurt*) ſcribunt ſe antiquiſſimi Comites, multaque egregia de
jurisdictione, regalibus inſignique potentia eorum in civitate
Erfurt. leguntur, & nominatim Comitum fiebat mentio in an- 19.
tiqua ſolenni formula jurandæ fidei, quæ vulgo *Hulde* dice-
batur. In cœnobio autem D. *Petri*, præter alia magni mo-
menti jura, communem gentis ſuæ atque digniſſimam usque
ad tempora Reformationis habuerunt ſepulturam, ſicuti paſſim
ex *Sagittario* & inſuper etiam ex eleganti Diplomate apud Cl.
*Schannat* (d) cognoſcitur. Olim quidem una cum Comita-
tu Gleichenſi ac Dynaſtia Tonnenſi poſſederunt bonam par-



(d) In Monumentis antiqu. T. I p. 146 ſq.

p. 82. tem Eiſfeldiæ, & (ut creditur) etiam Burggravii & Advocati Imperiales Molhuſini fuerunt. Sed opes tam inſignes primum ceperunt detrimentum largitione in Clericos & Mona-
87. ſteria, deinde cladibus exitialis belli, quod Landgravius *Albertus Degener* cum filiis gerebat, concuſſæ ac labefactatæ ſunt.
94. Ab eo tempore Comites jus aperturæ Erfurtenſibus vendide-
123. runt, & mox non ſine contemtu rejecti ſunt: vendiderunt etiam jus intrandi libere atque hoſpitandi in monaſterio S. Petri. Noviſſime tandem A. 1583 Comitatus Gleich. rurſus inſi-
431 ſqq. gniter crevit per hereditatem opimam & ſucceſſionem in Comitatus Spiegelbergenſem & Pyrmontanum, donec A. 1631 morte ultimi Comitis, *Joannis Ludovici*, in plures partes diſcerperetur. Tunc illuſtris orta controverſia eſt inter Præſules Moguntinos & Duces Saxoniæ, diu magno motu agitata. Moguntini, qui jam antea ſeparatis temporibus varia tentaverant, tum nacti occaſionem, integrum Gleichenſem Comitatum, tanquam partem (ut vocant) integralem Archi-Epiſcopatus, primitus fuiſſe Comitibus in feudum conceſſum, atque ideo ſui beneficii, ſuæ ditionis eſſe, contendebant. Aſt Principes Saxon. publicis ſcriptis demonſtrabant, Comites anno demum 1398 caſtrum avitum Gleichen & quædam alia allodia, nunquam vero univerſum Comitatum, ſedi Moguntinæ in feudum obtuliſſe, ſalva in omnibus ſuperioritate territoriali. Optime uſus eſt *Sagittarius* Actis publicis, atque inde, non juſſu publico, ſed privato inſtinctu, controverſiæ non diſcuſſionem, ſed *hiſtoriam*, ſcripſit, quemadmodum ipſe in fine Præfationis ſuæ profitetur. Habet item multa de *controverſia*, quam dicunt, *Exemtionis* Comitum Gleich. a Fiſcalibus Cæſareis mota, fortiſſi-
23 ſqq. misque argumentis evincit, Gleichenſes ratione antiquarum poſſeſſionum non fuiſſe Comites Imperii immediatos, fuiſſe tamen ratione Comitatus Ehrenſteinenſis, quem jure dotali a
23 ſq. 187, Schwarzburgicis obtinuerant. In quam rem Autor de Land-
285 ſq. 302, ſaſſiatu Comitum & Jure ſuperioritatis Principum noſtrorum
306. 355 ſq. in eos multa egregia collegit, & paſſim annotavit. Præter hæc
368, 395 ſq. & alia extant in hoc Opere, quæ non ſolum in Jure Publico,
401 & 436. ſed etiam Feudali, uſui eſſe poſſunt. P. 341 exemplum occur-

rit

-currit juris reformandi circa ſacra, quod A. 1441 Comes Sigismundus exercuit, ubi ſimul de ſede Archi-Presbyteratus (*Erz-Prieſter-Stuhl*) in Wandersleben. P. 385 ſq. de colore veſtimentorum (*Hof-Farbe*) Vaſallis ab Electoribus imperato. P. 411 ſq. de A. 1556 Elector Saxoniæ negat, moris eſſe in ſua Curia Feudali, quempiam Vaſallum ad accipiendam inveſtituram evocare: id quod hodieque obſervatur. (e) P. 201 ſqq. memorabilis locus eſt ex Chron. Erf. MSC. unde mos illorum temporum diſceptandi coram arbitris aperte cognoſcitur. Atque uti gens Comitum Gleich. opibus, dignitate gloriaque rerum geſtarum, non intra Thuringiam ſolum, ſed etiam in tota Germania, emicuit; ita quoque multa ex illorum hiſtoria ſumi poſſunt ad illuſtrandas res exterarum regionum. P. 342 ſqq. ſingularia de bello Alberti Achillis, March. Brandenb. cum Noriberg. P. 381 ſq. de bellis Pruſſicis. P. 408 de bello Brabantino adverſus Juliacenſem A. 1542. P. 437 ſqq. de ſtatu Circuli Weſtphalici circa finem ſeculi XVI. Imo etiam p. 454 ſqq. de coronatione Chriſtiani IV, Regis Daniæ, A. 1596. Conf. p. 388 & 392.

Jam, quanti æſtimandum hoc Opus, quantisque laudibus B. Autoris induſtria celebranda ſit, facile, opinor, omnes boni intelligent, unanimiqúe conſenſu teſtabuntur. Publico nomine gratias agimus atque decernimus Rev. *Cypriano*, qui Hiſtoriam Præceptoris ſui, tam accurate elaboratam, accurate atque nitide excudi curavit. Adjecit quasdam figuras, æri inciſas, & olim a Rev. *Jo. a Mellen*, nunc Primario Sacerdote Lubec. affabre deſcriptas, omnibus fere omiſſis lapidum ac monumentorum delineationibus, tum, quoniam nonniſi veſtimentorum genera, ſeculis XIV & ſequentibus uſitata, præ ſe ferebant, tum ne ſumtuoſius Opus evaderet. Quem ornatum licet forte non ita deſideret quiſpiam, ægre tamen carebit unusquisque Lector egregia illa Præfatione *Sagittarii*, incertum quo caſu prætermiſſa, ex qua de fatis & admirabili ſucceſſu Hiſtoriæ Gleich. ſupra quædam excerpſimus; deeſt etiam Caput ultimum de Comitatu Gleichenſi, poſt mortem ultimi Comitis varie diſtracto.



(e) V. *Hornii* Jus Feud. p. 488 ſq.

Digitized by Google

Quæ duo ſane neceſſaria ſi propediem in ſupplementum edantur, (f) & ſimul Viri Cl. *Herm. Ulrici von Lingen, Tabula Geographica Gleichenſis*, multis Diplomatibus & obſervationibus illuſtrata, quam adjungere brevitas temporis jam non paſſa eſt, adjiciatur; id vero omnibus B. *Sagittario* bene cupientibus foret quam gratiſſimum. In præſentia non poſſumus non aliquatenus emendare atque ſupplere literas illas memorabiles, a *Jodoco*, Epiſcopo Lubecenſi, in cauſa impetrandæ pro Georgio Com. Gleich. diſpenſationis nuptiarum ad Papam miſſas, quas aliquando noſtrum quidam ex avtographo Epiſcopi deſcripſit. Pag. 410 lin. 27 illius --- lege: illius *oris*, lin. ult. ----- l. *ſpecialis*. P. 411 lin. 1 præmiſſis ---- l. præmiſſis *opportune providentes*, *ſecum ut cum*. Ibid. *nullo* dele; lin. 3 probeque ſuſcipiendum per hujusmodi &c. l. *prolemque ſuſcipiendam per hoc matrimonium legitimam decernere dignemini*, lin. 4 de gratia ---- l. *de gratia ſpeciali non obſtantibus quibusvis apoſtolicis ac provincialibus & ſinodalibus conſtitutionibus* &c. lin. 7 quibuscunque --- adde: *cum clauſulis opportunis & conſuetis*. P. 411 in literis procuratoris lin. 12 nolui literis veſtris -- lege: *nolui tantum verbis*, lin. 13 de Glichen -- ſupple: *ſed facto, quare*, lin. 20 ſcribere --- ſupple: *poteſt*. Atque hæc ex ſcriptura tenui atque admodum perplexa legi potuerunt; pauca levia, quæ ſuperſunt, non extricavimus.

p. 410 ſq.

## *JO. GEORGII WALCHII, THEOL. D. & P.P. Introductio in libros Eccleſiæ Lutheranæ Symbolicos, Obſervationibus Hiſtoricis & Theologicis illuſtrata.*

Jenæ, ſumptu viduæ Meyerianæ, 1732, 4.
Alph. 6.

CUm liber, quem præ manibus habemus, ita ſit comparatus, ut ex eo non poſſit non in Summe Reverendum Auto-

(f) V. *Cypriani* Introduct. in hanc Hiſt. §. 1.

Digitized by Google

Autorem gloria & in lectorem emolumentum redundare; ejus rationem paucis minimum verbis exponemus.

Et ad generale quidem hujus Commentationis inſtitutum quod attinet, quilibet, qui ipſe eam evolvet, nullo intelliget negotio, S. Rev. Autorem ſibi propoſuiſſe, adhibito ſelectu, uno eodemque Volumine complecti obſervationes, quibus eruditiſſimi viri ſparſim libros Eccleſiæ noſtræ ſymbolicos illuminarunt. Hic igitur deprehendas, quæ v. c. *Kingius, Voſſius, Ittigius, Caveus, Binghamus, &c.* de tribus annotarunt Symbolis œcumenicis. Hic ſuo loco recenſita & ſub examen vocata reperias, quæ v. g. *Alberti*, *Carpzovius*, *Chytræus*, *Cœleſtinus*, *Cyprianus*, *Fabricius*, *Hanius*, *Heumannus*, *Kortholtus*, *Langemackius*, *Læſcherus*, *Majus*, *Mentzerus*, *Muhlius*, *Müllerus*, *Muſæus*, *Pippingius*, *Rechenbergius*, *Reineccius*, *Pfaffius*, *Schelwigius*, *Seckendorfius*, *Spenerus*, *Wernsdorfius*, *Zeltnerus*, & alii, de noſtræ Eccleſiæ libris ſymbolicis partim ex inſtituto, partim data occaſione, diſputarunt. Duabus autem Partibus hic Commentarius abſolvitur, quibus Prolegomena S. Rev. Autor præmiſit. Prolegomenorum hæc eſt ratio, ut in iis *de Symbolis Eccleſiaſticis ſymbolicisque libris generatim* diſputet. Ex quo enim inibi in vocis ſymboli originem atque uſum inquiſivit, non ſolum ſymbola antiqua & mediæ ætatis, publica & privata, orthodoxa & hæretica, ſed etiam ſymbolicos libros eccleſiarum a Lutherana religione diſſidentium, Romanæ, Græcæ, Reformatæ, Arminianorum, Socinianorum & Anabaptiſtarum, recenſet, & generatim de iisdem verba facit. In libro priori S. Rev. Autor ſingulari diligentia ex hiſtoriæ & antiquitatis monumentis libros Eccleſiæ noſtræ ſymbolicos illuminat, & contra adverſariorum objectiones defendit. Cum enim ſymbolici libri teſtentur, quid profeſſi ſint eorum autores, & qui præter autores librorum ſymbolicorum iisdem ſubſcribunt, ſubſcribendo ſuam faciant doctrinam, quam librorum ſymbolicorum autores in libris ſymbolicis propugnarunt, nonniſi hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſubſidio eos explicari poſſe, quis non intelligit? Neque vero ſolum Vir S. R. generatim hiſtoriam librorum ſymboli-

Digitized by Google

bolicorum exponit; ſed & ſingulis librorum ſymbolicorum articulis hac ratione lucem affundere ſtudioſe annititur, & ex hiſtoria literaria notatu digna ſuo loco profert. Eadem hac methodo utitur, ubi de tribus ſymbolis œcumenicis, Apoſtolico, Nicæno-Conſtantinopolitano, & Athanaſiano, agit, atque ubi de Auguſtana Confeſſione, ejusdem Apologia, articulis Smalcaldicis & Formula Concordiæ diſputat. Opus igitur non eſt, ut plura hanc in rem verba addamus. Illud autem animadverti meretur, quod Summe Rever. Autor Cap. VI de utroque Lutheri Catechiſmo non modo copioſius, quam de reliquis libris ſymbolicis, diſſerat, atque hiſtoriam Catecheticam Eccleſiaſticam & literariam recenſeat, ſed & præcepta de Catecheſi rite inſtituenda laudabili tradat conſilio.

Dabimus operam, ut paucis minimum in medium prolatis exemplis doceamus, quo ſucceſſu S. R. Autor inſtituto ſuo ſatisfecerit. Et principe quidem loco commemorabimus, quæ S. R. Autor de quarto articulo Symboli Apoſtolici, qui multis controverſiis aperuit occaſionem, judicat. Ex quo, quid *Voſſius*, *Witſius*, *Lightfootus*, *Moſes Amyraldus*, *Kingius*, & alii, de eodem ſtatuunt, expoſuit; ipſe ſuam addit ſententiam: Quæ ita ſe habet: Symbolum primum in quo deſcenſus Chriſti ad inferos præter ſepulturam fiat mentio, *Aquilejenſe* eſſe a *Ruffino* recenſitum. Non ſolum enim hoc teſtari ipſum *Ruffinum*, ſed & ad hanc ſententiam firmandam facere duo Romani Symboli vetuſta exempla, quæ in Anglia *Uſſerius* reperit, in quibus additamentum de deſcenſu Chriſti ad inferos deeſt. Probe autem obſervandum eſſe tenet, hoc ipſum tantum concedi poſſe, ſi de Symbolis publicis, quorum uſus in Baptiſmo obtinebat, ſermo ſit. Ante *Ruffini* enim tempora in privatis ſymbolis atque ſcriptis ſæpenumero deſcenſus Chriſti ad inferos fieri mentionem. *Epiphanium* in expoſitione fidei catholicæ, & *Cyrillum* Hieroſol. in explicatione ſymboli Hieroſolymitani totidem verbis de deſcenſu Chriſti ad inferos agere. Quem quidem deſcenſum Patris ſolicite a ſepultura Chriſti diſtinguant. Unde concludit, Symbolo etiam Apoſtolico eo conſilio hunc ipſum articulum fuiſſe addi-

p. 100 ſeqq.

tum,

Digitized by Google

tur, ut aliud quidquam ſepulturam Chriſti, nempe deſcenſum proprie ſic dictum, ſignificet. Cum vero conſtet, Symbolum Apoſtolicum pro diverſa hæreticorum ratione variam ſpeciem atque formam recepiſſe; vir doctiſſimus conjicit, eam ob cauſam Articulum de deſcenſu Chriſti ad inferos in antiquioribus Symbolis deeſſe, quoniam nemo hæreticorum iſtum ex inſtituto impugnarit. P. 474 & ſeqq. S. Rev. Autor de Scripturæ locis in Apologia A. C. adductis, quæ minus recte explicata nonnullis videntur, ex inſtituto diſputat. Ita v. g. agit de dicto *Rom. XIV, 23: Omne, quod non ex fide, peccatum eſt.* Id quod in Apolog. A. C. Art. II p. 66 de fide juſtificante ſumitur. Quæ tamen explicatio multis doctiſſimis viris a ſcopo & mente Apoſtoli Pauli aliena eſſe videtur. Ex contextu enim apparere exiſtimant, hæc verba indicare: peccatum eſſe, quicquid fiat conſcientia non adſtipulante, hocque monitum ad Judæos, qui Chriſtiani facti eſſent, ſpectare, ne aliorum exemplo id facerent. Quod ipſi aut licitum non putabant, aut utrum licitum ſit, valde dubitabant. S. Rev. Autor non negat, hanc interpretationem optimam eſſe. Interim tamen, eam cum explicatione, quæ in Apolog. A. C. deprehenditur, commode conciliari poſſe, judicat. Hæc verba enim, licet non directo, indirecte tamen, de fide juſtificante agere. Neminem unum ſine fide certam conſcientiam habere poſſe. Hac deſtitutum verſari in errore, ut credat, opera ſua Deo placere, cum tamen ei diſpliceant, aut in dubitatione, num actiones, quæ cum ſummis imperfectionibus conjunctæ ſunt, Deo poſſint placere. Quemadmodum vero Vir doctiſſimus explicationes dictorum, quæ in libris ſymbolicis occurrunt, excuſat atque defendit, ubi defendi eos poſſe exiſtimat; ſic etiam, quod utique laudandum, ingenue profitetur, quando ab explicatione dicti alicujus in libris ſymbolicis adhibita diſſentit. In Apolog. A. C. Art. XIII p. 283 *Melanchthon* ad verba *Ezech. XXI, 25: Quin dedi ipſis ſtatuta non bona, & judicia, in quibus non vivent*, eo conſilio provocat, ut probet, Deum legi ſuæ non eum honorem tribuere, ut mereatur vitam æternam. B. *Gottlieb Wernsdorfius*, ut hanc interpretatio-



Digitized by Google

nem tueatur, in Diſſert. de autoritate librorum ſymbolicorum obſervat, legem moralem in ſe optimam h. l. non ratione ſui, ſed ratione accidentalis eventus, quatenus iram operatur, conſiderari. Non arridet hæc explicatio S. R. Autori noſtro, qui exiſtimat, magis ſolide hoc dictum de ritibus ſuperſtitioſis & idololatricis gentilium explicari. Senſum enim hujus dicti eſſe, quod Iſraelitæ, poſtquam per multiplicem idololatriæ ſpeciem Deum ad iram provocaſſent, ab eo crimini idololatriæ ſint traditi, ita, ut peſſima gentium præcepta, religionem deteſtabilem acceperint. Quam quidem interpretationem non ex contextu ſolum, ſed & ex *Stephani* verbis, defendi poſſe, exiſtimat. *Stephanus* enim *Actor. VII, 42*, loco exacte parallelo, *& tradidit eos*, inquit, *ſervire exercitui cœli.*

Ad alterum hujus Commentarii librum progredimur. In quo celeberrimus Autor tribus Capitibus & neceſſitatem atque autoritatem librorum ſymbolicorum tuetur, & jusjurandum in libros ſymbolicos jure meritoque præſtari propugnat, & de ſtudio Theologiæ ſymbolicæ cum fructu inſtituendo commentatur. Quibus quidem Capitibus uti ſatis declarat, ſe librorum ſymbolicorum autoritati ſuum ſtatuere pretium; ſic ab iis ſe alienum profitetur, qui nimium exaggerando librorum ſymbolicorum autoritatem, eandem re vera minuunt, atque in contemptum adducunt. Exempli loco ſint, quæ Vir S. R. p. 930 ſeqq. de celebri quæſtione: num libri ſymbolici divini an humani ſint appellandi? diſputat. Merito enim illorum accedit ſententiæ, qui, præter Scripturam ſacram neminem unum librum divinum aut Θεοπνέυςον appellari debere, exiſtimant. Quam in rem etiam p. 1001 Celeb. in Holſatia Theologi, *Henrici Muhlii*, verba ex Diſſ. de religionis Evang. in A. C. ſolſtitio adducit: *Nec videmus ſane, quomodo trita iſta apud Theologos paſſim inter immediatam & mediatam* (inſpirationem) *diſtinctione difficultas omnis commode ſatis tolli convellique poſſit.*

Cum exiſtimemus, ex iis, quæ jam in medium prolata ſunt, de ratione libri, quem præ manibus habemus, ſatis conſtare poſſe; plura ut hanc in rem addamus verba, neceſſa-

rium

Digitized by Google

rium eſſe non ducimus. Illud tantum coronidis loco annotamus, S. Rev. Autorem, additis ſub finem ſuæ Introductionis non Addendis ſolum atque Supplendis, ſed & Indice locupletiſſimo, eandem utiliorem reddere ſtuduiſſe.

## PHILOSOPHICAL TRANSACTIONS. hoc eſt, *TRANSACTIONES PHILOSOPHICÆ, quibus referuntur molimina, ſtudia & labores Virorum ingenioſorum noſtri temporis, in variis orbis partibus. Volumen XXXIV pro anno 1726 & Januario, Februario, Martio, Aprili, Majo & Junio, A. 1727.*

Londini, apud W. & J. Innys, 1728, 4.
Alph. 1 pl. 21, Tabb. æn. 7.

IN hoc Volumine primo loco *Num. 392* occurrit prolixa Diſſertatio *Neumanni*, Chymici Berolinenſis, de ſalibus alcalino fixis, cujus tamen non niſi pars prima hic exhibetur. Explicata etymologia, exponit is modum ſalia alcalina fixa pura cognoſcendi eorumque proprietates. Deinde deſcribit ſubjecta ad producendum ſal alcali fixum requiſita, & docet, quomodo ſalia iſta oriantur, & ex quo conſiſtant. Inprimis autem de ſalibus alcalina fixis maxime uſualibus diſſerit, &, quomodo paranda ſint, docet. *Joannes Burroughs* obſervavit *Briſtolii* d. 10 Oct. A. 1725 eclipſin Lunæ; ſed non niſi finem ob cœlum nubilum h. 8, 29′, 30″, annotare licuit. *Scheuchzerus* narrat, ſe accepiſſe ſceleton, duorum hominum petrefactorum partem, lapidi fiſſili Ceningenſi antea immerſum; & *Georgius Graham* deſcribit inventum ſingulare, quo præcavere licet irregularitates in motu penduli ad horologia applicati, pendentes ab actione caloris & frigoris. Conſtat pendulum ex argento vivo intra tubum contento. Curioſa ſunt experimenta ſummo cum ſtudio inſtituta. *Num. 393* pro menſibus Martio & Aprili legitur pars altera Diſſertationis *Neumannia-*

 na

*næ* de ſalibus alcalino-fixis. Inquirit in eorum differentiam & relationem ad alia mixta Chymica, eorundemque uſitata hactenus applicatione ad Chymiam. *Georgius Lynn* plures communicat obſervationes eclipſium ſatellitum Jovis. *Saumarez* exhibet obſervationes æſtus in Thameſi, quem A. 1725 menſe Martio extraordinariæ magnitudinis notavit, quatuor nimirum digitis excedentem altitudinem, ad quam intra annos 14 excrevit. *Deſagulierius* varia experimenta deſcribit, quibus inquiſivit in retardationem motus aquæ, per tubos a frictione & aere intermixto factam. *Num. 394* pro menſibus Majo, Junio & Julio, *Jacobus Bradley* differentiam Meridianorum *Ulyſſiponenſis* & *Londinenſis* determinat 36′ 58″. Comparent ibidem obſervationes Aſtronomicæ, a *Jo. Baptiſta Carbone* S. J. habitæ Ulyſſipone. Differentia inter Meridianum obſervatorii Regii Pariſini & Ulyſſiponenſem conſtituitur 11° 27′, latitudo vero Ulyſſiponis in Collegio Divi *Antonii* 38° 42′ 30″, longitudo 8° 33′. *Vaterus* ſingularia quædam annotat, in cadavere calculoſo diſſecto reperta. Inter alia refert, ſe inveniſſe in veſica tres calculos, phaſeolorum magnitudinem habentes, membrana valida involutos, ac lateri anteriori prope ſphincterem adhærentes. *Colinus Mac Laurin* agit de æquationibus, radices impoſſibiles habentibus. Tradit nempe theoremata, ex quibus æquationes iſtas a ceteris diſcernere licet, quæ radices mere reales habent. *Georgius Warren* deſcribit Anatomen ſtruthiocameli ſexus maſculini. *R. Beard* deſcribit ſingularia, in cadavere feminæ fulmine tactæ obſervata, & *Jacobus Kelly* ſtrata, qualia in Hibernia deprehenduntur in fodienda marga. *Num. 395* pro menſibus Auguſto, Septembri & Octobri, præmiſſo Catalogo plantarum, a pharmacopolis Societati Regiæ exhibito, variorum exhibentur obſervationes de aurora boreali. *Guilielmus Giffard* repræſentat os præternaturale, in cavitate thoracis repertum; *Jo. Phil. Breynius* vero glebam ſuccineam rariſſimam, plantæ cujuſdam folio impraegnatam. Figura ejus propemodum ovalis, ſed compreſſa; craſſities quartam unciæ partem æquat. Folium incluſum per totam longitudinem excurrens ejus generis, quod Botanici pen-

Digitized by Google

pennatum, quidam alatum dicunt; ſed cujus ſpeciei plantæ ſit, determinare non audet Obſervator. Ab altera parte inter bina foliola aranea ſatis clare conſpicitur; ab altera vero parvula muſca, ſed hæc non niſi oculo armato. *Polenus* communicat obſervationem eclipſis ſolaris, Patavii A. 1726 menſe Septembri habitæ, nec non eclipſis lunaris, quæ menſe Octobri accidit. *Ramby* denique duas detexit arterias, in ovaria feminarum deſcendentes, antea nondum obſervatas. *Num. 396* pro menſibus Novembri & Decembri *Jo. Colſon* novam docet Arithmeticam, quam negativo-affirmativam vocat, & quam communi affirmativæ, in numeris præſertim majoribus, multo faciliorem prædicat. Numeri negativi e. gr. ſunt 10—9, 10—8, 10—7, &c. qui reſpondent affirmativis 1, 2, 3, &c. & quos Noſter ita ſcribit $1\bar{9}$, $1\bar{8}$, $1\bar{7}$, &c. Comparent ibidem variorum obſervationes Aſtronomicæ variæ, quas inter curioſiſſima eſt *Blanchinii* de macula Platonis in Luna per tubum opticum *Joſephi Campani* 150 palmorum Romanorum inſtituta. Margines elevati in ambitu maculæ perfundebantur luce Solis, & candorem conſuetum oſtendebant. Fundus maculæ tenebroſus ſpectabatur, cum ad illum radii ſolares nondum pertingerent. Sed projectio lucis minus candidæ, imo nonnihil rubeſcentis, pervadebat mediam aream maculæ, non ſecus, ac ſi in latere marginis Soli obverſo foramen aliquod fuerit, per quod radius ſolis admitteretur. *Joannes Earnes* virium vivarum menſuram *Leibnitianam* impugnat, & contra demonſtrationem *Bernoullianam*, quæ in Elementis Matheſeos *Wolfianis* extat, objectiones movet. Ultimo demum loco comparet *Linckii* Commentatio de Cobalto. Eſt autem Cobaltum minera griſea, obſcure albicans, mineræ argenti albi & pyritæ albi quoad colorem æmula, ſed paulo obſcurior, continens arſenicum album & terram fixam, cum ſilice & cineribus clavellatis in vitrum cæruleum abiens. Quæcunque *Linckio* de hoc cobalto innotuere, ea fideliter recenſet.

*Num 397* pro menſibus Januarii, Februarii & Martii, *Halleјus* animadverſiones quasdam dedit in quasdam Diſſertationes, contra *Newtoni* Chronologiam a R. P. *Souciet* Pariſiis pu-

 blica-

blicatas. Controverſia autem agitatur de poſitione Coluri, per quamnam ſtellam arietis ex relatione *Hipparchi* juxta *Eudoxum* hujus ævo tranſierit. *Richardus Beard* deſcribit calculum, ex veſica urinaria feminæ extractum. *Sanderſonius* communicat obſervationes Cometæ,menſe Octobri A. 1723 in Perſia factas,una cum obſervatione eclipſis Lunæ, quæ contigit d. 11 Oct. A. 1724. *Edmundus Barrel* deſcribit propagationem viſci ex ſemine ejusdem arboribus inoculato. *Joannes Sloane* deſcribit cornua extraordinariæ magnitudinis, quæ bovina eſſe, ex Æthiopia in Angliam allata, conjicit. *Benjaminus Robins* demonſtrat propoſitionem undecimam Tractatus *Newtoni* de quadraturis. *Joannes Jacobus Scheuchzerus* deſcribit anatomen muris alpini.

TAB. V. Fig. 1. *Num. 398* pro menſibus Aprili, Majo & Junio, plurimæ occurrunt obſervationes auroræ borealis, a *Derhamo*, *Lynnio* & *Ruſtriokio* factæ. *Georgius* vero *Whiſton* deſcribit quatuor parhelios, quorum ſingularis fuit ſitus. S repræſentat verum ſolem, quem ambit halo, coloribus iridis tinctus. OVR & NVT, itemque M, ſunt arcus halonem contingentes. A, B, C & D parhelii. *Scheuchzerus* cryſtallos quasdam rariſſimas deſcribit, in ſummis Grimſulæ jugis detectas; *Dudlejus* vero calculum 5 librarum, in ſtomacho equi mortui repertum, & *Samlerus* polypum, per arteriam aſperam tuſſiendo poſt vomitum cruentum aſſumtis medicamentis ejectum. Ultimo demum loco *Deſagulierius* recenſet librum, quem ſub titulo experimentorum ſtaticorum de ſucco vegetabilium edidit *Stephanus Hales*. Nihil in eo reperies, quod non multiplici experimento fuerit confirmatum. Experimenta vero concernunt humectationem & transſpirationem, vim, qua radices imbibunt nutrimentum,& qua ſuccus nutritius aſcendit per truncum & movetur per ramos, circulationem ſucci nutritii, aerem plantis nocturno inprimis tempore inſpiratum, & quantitatem aeris,compoſitionem animalium, vegetabilium & mineralium ingredientis. Quæ de his obſervaverat Experimentator induſtrius ac ingenioſus, prolixe in hac recenſione deſcribuntur. Cetera vero, de quibus Autor agit, in Volumen ſequens rejiciuntur.

DESCRI-

# *DESCRIPTIO NUMMI SARACENICI, Anno 1712 in agro Sleſvicenſi aratro detecti, expreſſa a M. HENRICO SCHOLTZ, Sileſio.*

TAB. V. Fig. 2.

§. 1.

VErno anni noſtri ſeculi ſecundi & decimi tempore quidam colonus agrum, a Slesvico oppido haud procul ſitum, aratro exercens, cum novum a vicino colle ſulcum ſuccidiſſet, terra rupta, obſervat quoddam e ſoricum quaſi nido effulgens. Quod cum curatius diſcuſſiſſet, multas exhibuit monetas argenteas, nec non columellas argenteas, in ſtilos quaſi formatas, quarum aliæ, longitudine & craſſitudine digiti auricularis gaviſæ, in acumen deſinebant, ac ſi olim graphiorum uſum ſuſtinuiſſent; aliæ in ∞ figuram contortæ conſpiciebantur, tantaque earundem erat copia, ut manu utraque eſſent capiendæ. Theſauro itaque hoc tellure recluſo, colonus fecit:

*οἷά τε πολλὰ γίνεται, εὖτ' ἂν δὴ κέρδος νόον ἐξαπατήσῃ ἀνθρώπων.*

Quare ille monetas hic illicve vendendo diſtraxit. Poſtea vero temporis una illarum monetarum in manus incidit Viri plurimum Reverendi, *Joachimi Erneſti Mulleri*, gregis, qui Chriſto Plœnæ colligitur, Paſtoris. Hic, ut, cujus eſſet dominus, ſciret, ex illis, qui peregrinarum ſcientiam rerum præ ſe ferebant, ſciſcitatus, tulit reſponſum, monetam eſſe Tataricam, cujus characteres *de divina Gratia* ſignificarent: a Magiſtro autem quodam Jenenſi characteres accepit idem valere, ac

لا اليا لا *neque Elias, neque.* Cum vero ille quidem ex

iſtis de veritate certus eſſe neque potuit, neque voluit, A. 1731 menſe Auguſto characteres illius nummi, quoad per artificis dexteritatem potuit, in lignum incidendos ac publicis Hamburgenſium rerum Politico-literariarum literis inſerendos curavit, ratus, fore, qui per involucra iſta & integumenta perſpiceret, ac veram characterum ſententiam explicaret. Quibus ego lectis, quoad figura characterum nonnunquam mutilata

lata permiſit, non ſolum judicavi, monetam eſſe Saracenicam, cujus characteres literarum Cuſenſium figuras exhiberent, ſed etiam mearum eſſe partium putavi, qui, cum *Wahlstorpium*, meum hoſpitium, a Rev. *Mulleri* loco ultra milliarium haud multum diſtare intelligerem, eo promtius aliquam illius monetæ interpretationem Rever. *Mullero* literis miſſis notam facerem. Hanc Vir Summe Rev. interpretationem eo, quo eſt in literas hujus generis favore laudatiſſimo, non amice modo accepit: verum etiam conamen meum privatum ſatisque imperfectum per literas Hamburgenſium ſupra dictas publici fecit juris. Interea tamen fautor ille non intermiſit, quin poſtea mihi ἀρχέτυπον monetæ curatius examinandum transmitteret. Quod cum facerem, ἔκτυπον Hamburgenſe ab ἀρχετύπῳ non tantum longe abire deprehendi, ſed etiam, uti ἀρχέτυπον accurate expreſſum paucisque deſcriptum harum rerum fautoribus exhiberem, operæ pretium judicavi.

§. 2. Characteres quidem monetæ ſunt Arabum, ſeu Saracenorum Cufici, quos cum infra conſiderandi locus erit commodior, jam omittimus, atque margines ante omnia examinemus, quorum frons prior monetæ noſtræ duos, averſa ſeu poſterior unum habet circulum, literarum ſerie ſcriptum. Hi margines literas exhibent partim male expreſſas, partim uſu ita detritas, ut pauciſſimæ diſcerni legique poſſint. Antiquiſſimi Arabes modum ſignandi argentum a Græcis Romanisque procul omni dubio accepere. Illos tamen, cum hi margines ſuorum nummorum nominibus Ducum & Imperatorum exornarent, areis numiſmatum nomina Principum inſcripſiſſe reperimus, marginesque aut apophthegmatibus, aut nominibus duodecim ſuorum ſanctorum ducum conſecraſſe. Nomina *Ad. Olearius in der Perſ. Reiſebeſchreib.* Lib. V Cap. 40 recenſet, & Cap. 41 in lapide Perſarum ſuperſtitioſo exarata exhibet. Nummos autem recentiores, quorum margines duodecim illos Perſarum ſanctos tradunt, *Joan. Bapt. Tavernier P. II Itiner. ſive des ſix Voyages, qu'il a fait en Turquie, en Perſe, & aux Indes*, p. 627 edit. 1678, dedit delineatos ac de-

Digitized by Google

deſcriptos. Verum enim vero iſta duodecim أمام *Ummâm*, quos vocant, ſeu Antiſtitum Mohammedanorum, nomina in antiquis illarum gentium nummis haud apparent. Veteres quippe Arabes ſive Saraceni circulares ſuorum nummorum margines quibusdam potiſſimum ſententiis condecorabant, quæ Chriſtianorum doctrinam de S. *Trinitate* ſtringerent. Cujus gratia uſu illis præcipuo veniebant verba *Corani Sur. XII v. 1*, ut ea tradit *Hinckelmannus*: الله احد الله الصمد لم يلد ولم يولد ولم يكن له كفوا احد i. e. *Deus ille unus: Deus ille perpetuus; nec generabit, nec erit ei par unus.* Quæ verba & vulgares Turcorum libelli precum manu exarati habent in circulorum ſuorum precatoriorum περιφερεία circumſcripta, quibus præter alia hæ adduntur voces: حافظ ناصر *cuſtos & conſervator.* Ejusmodi etiam dictis circulos noſtri nummi autumo completos, ut, quanquam pleræque horum literæ aut diffluxerunt, aut tractu temporis diſparuerunt, tamen nonnullæ in interiori prioris faciei circulo extantes hanc præ ſe ferant ſententiam: أسم الله ضرب ونذا الضر i. e. *Nomen Dei pulſavit & terræ illiſit noxam &c.* Cujus dicti rationem e fatis ſectæ Mohammedanæ cujusdam, quæ, cum ætate noſtræ monetæ Bagdadum miſere turbaret, ſuppreſſa fuit, explicandam infra docebo.

§. 3. Oculos porro noſtros in utramque nummi aream convertentes, nullam conſpicimus *iconem*, cujus olim uſus, uti Græcis Romaniſque fuit familiaris, ita nec Arabes plane fugit. Saraceni ſeculis IX, X, ad XII usque, utebantur imaginibus, ceu ex iis conſtat nummis, qui *Moſtanzeri, Tzelacho'ddini*que ætatem & autoritatem apud *Hottingerum* Diſſ. *de nummis Orient. p. m. 157 ſqq.* agnoſcunt. His tamen iconibus non omnes æque Saraceni utebantur; quippe Ægyptii uſum imaginum diu poſt retinuerant, quam Perſæ aboluerant. Quod ut hi facerent, tria videntur moviſſe. *Primum* immanis Chriſtianorum iconolatria; *deinde* immanis in Alcoranum ſuperſtitio: *denique*

 occul-

Digitized by Google

occultæ ſectarum inſidiæ Mohammedaniſmo ſtructæ. *ϛαυϱοτιμία* ſeculo octavo non ſolum in *ϛαυϱολατϱεῖαν* abierat, ſed & aliæ Chriſti imagines coli cœpere. Nicephori, Græcorum Imperatoris, cum Saracenis de icone Chriſti Edeſſa mittenda tractantis, actio in vulgus nota eſt. Nec Græcorum expeditiones ignorantur. Hi enim, teſte *Abu'l Pharagio* p. 283 anno C. 903: في عشره صلبان مع كل صليب عشره الاف *cum decem crucibus, ſingulas cruces ſtipantibus decem hominum millibus*, in Saracenicas provincias impetum fecerunt. Turcæ quidem a conſiliis Græcorum bellicis ſtare videbantur, ſed imagines eo majori averſabantur zelo, ut, poſtquam in Perſia pedetentim paulatimque rerum potirentur, ſua autoritate & religione Perſarum Chaliphas ad icones e nummis omittendas adigerent. Quod præſertim eo tempore puto factum, cum ſecta *Chanbalanorum* de Mohammedis commentis detrahere videbatur. Anno enim Chriſti circiter 834 celebris Corani interpres, *Achmed, filius Chanbalis* Bagdadenſis, floruit, qui rationem negabat eſſe principium verba Dei interpretandi, ſtatuebatque, *Deum humana membra indutum in terrarum orbem deſcendiſſe.* Hic quanquam teſte *Abu'l Pharagio* p. 252 ſq. propterea maxime excruciabatur, nihilo tamen ſecius ejus poſtea diſcipuli eo tempore, quo noſtra moneta fuit ſignata, caput Bagdadi eo extulerant, ut *Al Radius* Chalipha eos anno C. 934 igni & ferro ſtatueret compeſcere, neque aliam ob cauſam dedit internecioni, quam quod التشبيه بالله i. e. ut *Al Radius* ipſe dicit, *comparationem* ſ. *aſſimilationem in Deo* admittebant. Quos ergo cum Chriſtianis ut moneta ſignata pungeret, iconem alias uſitatam non modo neglexit Chalipha, ſed & in iconis locum vocem Mohammedis ſymbolicam لا شريك له ſubſtituit.

§. 4. Prima monetæ facies has voces literis Cuficis ſcriptas tradit: لا اله الا الله وحده لا شريك له i. e. *Non eſt Deus, niſi Deus unus ille, non ſocius ſimilis ei.* Prima hujus dicti verba famoſum illud Mohammedanorum ſymbolum con-

conſtituunt, de quo *Thom. Hyde* in *Annot.* ad *Alberti Bobovii Liturgiam Turcicam* p. 2 dixit. Hæc ſymboli verba dum *Hottingerus* l. c. p. m. 167 ex antiquis Arabum nummis eruit, neque characteribus nummorum, neque genio linguæ Arabicæ ſatis feciſſe videtur, quod voces الله وحده legit: الله وحده, cum nullus Arabum nummus, nullus unquam liber, voces الله وحده ſcriptas exhibeat, ſed aut الله واحد i. e. *Deus ille unicus*, & الله الواحد i. e. *ille Deus ille unicus*: aut tantum الله وحده i. e. *Deus unus ille eſt*, dicat, ut *illud* πολυθεότητα averſetur, *hoc* vero noſtram perſonarum pluralitatem neget. Huic autem ſuffixo ه, quod ex هو ſeu الله, ut ajunt, derivatum, eandem cum voce الله virtutem tribuunt. Uti enim Judæi ſuperſtitioſiſſimi vocis יהוה γραμματολάτρει ſunt, ita & Mohammedani vocem الله eadem proſequuntur ſuperſtitione. Superſtitionem Profeſſoris illius Perſici, quem *Ad. Olearius* lib. IV *ſ. Perſ. Reiſeb.* Cap. 19 p. m. 228 b. refert ſibi nomen Dei الله ſcipioni inuſtum deleviſſe, ne profanum evaderet, attingere nolo, cum vox noſtri nummi شريكه luculentum & nequitiæ & ſuperſtitionis illius ſpecimen edat.

§. 5. Vox illa شريكه, *Socius*, non ſimplex, ſed prægnans, i. e. vocem aliam adhuc in ſe continens, apparet. Cuficum Arabum ي *je* alias Syrorum figuram ـ *jud* commode repræſentat. Hic autem in noſtri numiſmatis voce شريكه loco ي *je* Cufici, duas habet columnas ad normam perpendiculi literarum ſecantes lineam, quarum baſis cum inferiori Cuficæ literæ ر *Re* ductu duos efformat ſemicirculos. His duabus columnis Cufenſes καλλίγραφοι procul dubio priores vocis الله literas, circulo autem altero poſteriorem illius vocis literam ه *he*, altero literam ي *je* deſignare voluerunt, ut Mohammedani hac voce divina الله ventri ſeu gremio vocis شريكه inſerta eandem luderent fabulam, quam Judæi ex ſymbolo ſuo Pole-

mico *Devt. VI, 4*, ſingunt, literam ע prioris vocis ultimam, & ד literam totius ſymboli ultimam ita componentes, ut vox עד *æternus* prodeat, ac nobis Chriſtianis Τριάδα colentibus Judæi obganniant: שמע, שראל יהוה אלהנו יהוה אחד, ac ſi Deus ille noſter ita unus & æternus ſit, ut filium habere æternum nequeat. Ita & Mohammedanus monetæ Autor illa nos voce prægnante πολυθεότητος accuſat, & ob ὁμοουσίαν filii cum patre criminatur. Πολυθεότητος inſimulat, quod non modo quemquam Deo parem negat, ſed & vocem الله gremio vocis شريك incluſam repetit, ac ſi Chriſtiani duos ſtatuerent Deos, quorum alter alteri par eſſet. Nam vox شريك *ſocium* denotat eadem natura & potentia præditum. Quare nos cum ſciant Chriſtum Deo patri eſſe ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον confiteri مشركين i. e. *Aſſociantes*, quaſi ὁμοουσιανὲς, i. e. ex Mohammedanorum mente hæreticos vocant, qui Chriſtum Deo ὁμοούσιον aſſociant. Hæc etiam cauſa eſt, cur illos non modo precantes audiamus exclamare: يامن ليس له شريك في الملك i. e. *O! qui non eſt ſocius in regno*; ſed & ipſum Mohammedem legamus totiens nos iſto مشركين i. e. *aſſociantium* nomine exagitare. E. g. *Sur.* III v. 60 edit. *Hinckelm.* VI, 79, 80, 81, 106, 137, 138, quo in Corani Capite illum vocis شريك uſum ſatis explicat, ac ſe ſuosque tanquam مسلمانين *Moslemannos* i. e. *perfectos* & *concordes*, qui Deum non dilacerarent, jactitat, ac v. 163 autorem monetæ hæc verba: لا شريك له docet. Quæ etiam verba Chalipha in imaginis locum ſatis ἐμφατικῶς ſubſtituiſſe agnoſco.

§. 6. Poſterior ſeu averſa nummi area hæc continet verba:

الله مانا محمد رسول الله الرضي بالله يظهر لحمد

i. e. *Deus ille vindex, Mohammed legatus Dei illius, Al Razi bellahi manifeſtetur in laudem.* Crebra nominis divini mentio, quæ in aliis nummis haud ita occurrit, ſingularem Principis

pis pietatem ſeu hypocriſin prodit, qua auſus *Chanbalanorum* ſupra dictorum, qui apud Bagdadenſes multum valebant, ſupprimere cogitavit. Hi enim *Chanbalani*, cum vanitatem *βαττολογίας* Mohammedanæ perſpicerent Deo non placere, preces clara voce fundendas, negabant, recuſabantque ſonum illum inconditum edere, quo vocem الله الله élaho! élaho! *Deus! Deus!* vel centies & ultra uno halitu repetere ſolent Mohammedani. Quam ob cauſam *Arrâdi* Chalipha, anno P. C. natum 834 teſte *Abu'l Pharagio*, per Satellitum præfectum in vulgus edidit: ne quis *Chanbalanorum* famoſum illud precum Mohammedicarum initium: بسم الله الرحمن الرحيم *in nomine Dei miſericordis miſeratoris*, ſecum ſuppreſſa voce dicerent; ſed ita, ut vox الله audiretur. Quod Chaliphæ mandatum cum Chanbalani nihili facerent, poſtea ferro & igne vindicavit, eamque ob cauſam vocem الله totiens in nummo eodem expreſſiſſe videtur. Quin imo, ut *Arradius*, quem legunt, καλλιγραφικῆ quaſi figura oſtenderet, quantopere Chanbalani iſti vindictam Dei & Mohammedis, cujus autoritatem vilipendebant, in ſe provocarent, duas priores literas nominis proprii Mohammedis, videlicet م *mim* & ح *Cha* ita efformavit, ut vox ماخد *vindex* evaderet. Poſtremam vero literam ejusdem illius vocis, ſcil. د *Dal*, in eam produxit longitudinem, ut figuram ſive gladii, ſive alius cujusdam inſtrumenti bellici, acciperet, quo ſe in Mohammedis illuſores vindicaturum ſignificavit. Huic Mohammedis nomini ἐπίθετον ſubjungit vulgatum: رسول الله *legatus illius Dei.* Quod Mohammed, ut autoritatem ſibi deſideratam conciliaret, in Corano vel centies de ſe pronuntiavit, quia niſi ſe ipſum, alium ſuæ veritatis teſtem ignoravit. Quam poſt autoritatem ut diſcipuli paterentur extingui, his vocibus, ſuo ſymbolo adjectis, confirmarunt. Poſtea quidem temporis Perſæ, cum ſeculo XIV *Alim*, Mohammedis generum, Turcorum *Abu backro*, Mohammedis ſocero, præferendum judicarent, in nummis poſt verba: رسول الله hæc adjecerunt: وعلي

 ولي

ولي الله i. e. & *Ali Propinquus Dei.* Quæ tamen verba hodierni Perſæ tam ſcite pingunt, ut litera ل *Lam* in voce *Ali* vocem محمد *Mohammed* ſuſtentet, atque vox ولي *Propinquus* etiam poſſit legi والي i. e. *Præfectus.* Conf. *Olearius* l. c. Cap. 40 p. m. 354, & *Tavernier* l. c. p. 627.

§. 7. Tandem ad nomen venimus illius, cujus auſpicio nummus noſter in publicum prodiit. Is fuit Chalipha, quem vulgus *Arrâdi* vocat, noſtra vero moneta & Arabes omnes *Al Râzi bellabi* appellitant, quibus & *Abraham Saccuth*, libri *Juchaſin* Autor, hunc illum ראצי appellando adſtipulatur. Nomina illius Principis integra hæc ſunt: *Achmed Abu'l Abbas Al Râzi.* Tribus gaudet nominibus, quorum prius, nempe *Achmed*, fuit nomen religionis; poſterius *Abu'l Abbas* familiæ: quia ex Abbaſidarum familia ortus, Abbaſidarum viceſimus Chaliphatum obtinuerat, cujus gratia nomen poſtremum *Al Razi bellabi* tanquam dignitatis regiæ teſſeram acceperat. Quod ergo etiam ſolum in monetis exprimebatur. Nam Perſæ, cum novum crearent Chalipham i. e. *Mohammedis vicarium*, morem illum antiquum videntur retinuiſſe, cujus *Joannes* Apocal. II, 17, meminit. Salutato quippe Chaliphæ ac in throno collocato nomen illud novum imponebant. Hunc in modum, teſte *Abu'l Pharagio*, cum pleriſque Chaliphis egerunt. Quæ novi nominis acceſſio cum Chaliphis huc usque tantum fuiſſet propria, in eum poſtea uſum abiit, ut etiam ad Veziros, i. e. ſummos belli duces, tranſierit. De quibus *Hottingerus Hiſt. Eccl. P. II Cap. X Sect. II §. 2 lit. i p. 89 & 101 ſq.* Hoc novum nomen, quod Chaliphæ ſortiebantur, duo ſecum ferebat judicia: *Judicium* de anteceſſoris rebus geſtis; & *judicium* de eligentium poteſtate, quam voce بالله *bellabi* i. e. a Dei gratia ſibi datam profitebantur electores. Nam *Alkaher*, qui noſtrum *Al Razium*, ſive *Arradium*, anteceſſerat, ferus erat ac crudelis, qui aliorum divitias potentiamque ferre non poterat. Ne vero noſter hæc veſtigia lubrica premeret, noſtrum electores appellarunt الراضي *Al Razi* i. e. τὸν θελ-

ξίνοον,

*ξῖνοον, placendo vincentem.* Accedit, quod *Munefus* evnuchus eum jam ante *Kaberum* Bagdadenſibus eligendum perſuadere eo nomine ſtuduerat, quod eſſet: صبي عاقل فيه دين وكرم ووفا ما يقول *puer, manſuetus, pius & munificus, qui fidem ſervaret, quam dedit.* Hic enim *Al Râzi* adhuc ætate puer regnum adeptus, ſcil. anno poſt C. N. 933, nihilo tamen ſecius magna cum laude ſex annos ita gubernavit, ut ab *Elmacino* p. 207 prædicetur fuiſſe: سمحا جوادا اديبا شاعرا كثير الفصاحة يحب معاشرة العلما ومحالطتهم ذا فضايل جمة i. e. *munificus, liberalis, eruditus, poeta magnæ eloquentiæ, multisque virtutibus præditus.* Cui encomio & *Abu'l Pharagius* p. 303 ſubſcribit. Quod vero ad Judicium de eligentium poteſtate attinet, obſervandum, circa initium ſeculi IX penes Chaliphas fuiſſe quendam filiorum ſibi ſucceſſurum conſtituere, ceu exemplo eſt *Harun* ille *Raſchid*, qui Saracenorum imperium ſuis diſtribuerat filiis. Poſthæc imperii proceres, poteſtate principem conſtituendi arrepta, ſatis habuerunt quendam Abbaſidarum legiſſe, cui novum imponebant nomen, ac pro nominis ſcopo *ἐπίθετον divinum* addebant. Hoc erat ſive علي الله i. e. *ſuper Deo iſto*, ſive لله *lillahi*, i. e. *Deo iſti*, ſive بامر الله *beamri'llahi* i. e. *in mandato Dei*, ſive لدين الله *ledini'llahi*, i. e. *decreto Dei*, ſive بنصر الله *benisri'llahi* i. e. *virtute Dei*, ſive لاعزاز دين الله *leizaz dini'llahi*, i. e. *virtuti cultus divini.* Quorum poſteriora Ægyptiorum potiſſimum Chaliphaarum fuere. Bagdadenſibus autem Chaliphis familiariſſimum erat بالله *bellahi*, i. e. *per Deum*, ſive *divina favente gratia.* Qua de cauſa *Abu'l Pharagius* p. 301 de noſtro Chalipha Bagdadenſi ita ait: ولقبوه الراضي بالله & *cognominaverunt eum Al Razi bellahi*, i. e. *placendo vincentem Dei Gratia*, ſcil. electum: *von Gottes Gnaden den Gefälligen.* Hæc præterea Saracenorum loquendi forma, cum ab illa non

mul-

multum abeat, qua antiquiſſimi Chriſtianorum Principes uſi ſunt, cunctatio eſſe poſſet aliqua, utrum Chriſtiani illam a Saracenis, an hi a Chriſtianis, mutuam acceperint. Quod tamen dubium aliis relinquo diſcutiendum, & de voto, quod hic ſubjectum reperio, conjecturam facio, ætatem *Razii* teneram reſpici, atque nummum in initio hujus imperii factum videri.

§. 8. Ceterum, quod jam monendum reſtet, eſſe aliud non videtur, quam character literarum, quæ in noſtra moneta conſpiciuntur. His quidem ii fecerunt ſatis, qui Cufenſes veteres examinarunt literas. Nihilo tamen ſecius character in nummo noſtro expreſſus eam ob rationem potiſſimum meretur obſervari, quod non ſolum ab eo profectus, ſub quo recentior literas Arabicas pingendi ratio ceperit exordium, ſed & in ſpeciminibus ultimis characteris Cufici adhuc integri haberi queat. Quippe *Abu Ali filius Mukla*, qui *Razii noſtri* Vezirus fuit, cuique *Al Razius* manum ob malum conſilium ſcriptum juſſit præcidi, teſte *Elmacino p. 205 Lib III Hiſt.* صاحب الخط المشهور الاول من نقل الخط الكوفي المولد الطريقة العربية لحسنة ومعانيها i. e. *Autor eſt Scripturæ (hodiernæ) celebris, primus, qui mutavit ſcripturam Cuſicam antiquam in ductum Arabum pulchrum & facilem.* Autores quidem filium *Moklæ* expreſſis verbis haud tradunt ſcripturam illam poſt manus jacturam inveniſſe; tamen, cum *Elmacino* & *Abu'l Pharagio*, etiam poſt, calamo manui præciſæ alligato, dicatur ſcripſiſſe, probabile eſt, literas illas ex hac neceſſitate ortas fuiſſe, aut ſaltem majori uſu veniſſe, quas cum Karmathiæ poſt ſectæ homines ſibi adſciviſſent, Karmathicas autumo dictas, uti antiquas illas Cuficas ab Academiæ loco, quem Perſiæ urbem ad hunc usque diem haud ignobilem novimus, dictas ſcimus.

§. 9. Hæc de nummo illo, apud Sleſvicum reperto, dicenda putavi, ex quibus nummum, ut ſpero, ſatis perluſtratum illuſtratumque fuiſſe, intelligent. Si quis autem rationem inire velit, qua in terram pervenerit Sleſvicenſem, veriſimilior haud

haud occurrit, quam Ottonis M. expeditio, qua poſt res in Italia adverſum Saracenos feliciter geſtas, anno poſt C.N. 949, Haraldum, Daniæ Regem, & ad Chriſtum & ſuum obſequium apud Sleſvicum compuliſſe Otto traditur. Qua in expeditione miles, qui antea contra Saracenos ſtipendia meruit, prædam amittere Saracenicam potuit. Plura de hac expeditione Ottonis M. Opuſculum noſtrum, *expeditiones Holſatorum ſacras* enarraturum, proxime bono cum Deo dabit.

## *ELEMENTA CHEMIÆ, QUÆ ANNIVERſario labore docuit, in publicis privatisque ſcholis, HERMANNUS BOERHAAVE.*

## *Tomi II.*

Lugduni Bat. apud Iſaacum Severinum, & Lipſiæ, apud Caſparem Fritſchium, 1732.

Edit. Lugd. 4, Tom. I Alph. 5 pl. 16, c. Tabb. æn. 17, T. II Alph. 3 pl. 4. Edit. Lipſ. 8, T. I Alph. 2 pl. 6, c. Tabb æn. 17, T. II Alph 1 pl 12.

UTi omnia celeberrimi *Boerhaavii* ſcripta, communi eruditorum applauſu dudum excepta, noſtris non indigere videntur præconiis, ita hujus potiſſimum præſtantiam prior illa, quæ inſcio & invito Autore, multis locis mutila & depravata, tantoque indigna nomine evulgata erat, editio abunde poterit docere, quæ, ſpuria licet, atque ab Autore repudiata, multos tamen emtores invenit, imo & admiratores. De qua uti jure ſuo graviſſime in Præfatione conqueritur Celeb. Autor, ita hoc nomine tamen in publicum profuiſſe illa videtur, quod hanc, multis nominibus præferendam illi alteri, avideque expectatam ab eruditis, nunquam forte alias in lucem prodituram, Autori extorſerit. Quæ uti chartæ ſplendore, typi elegantia, & quæ præterea ad externam libri commendationem pertinent, bibliopolam Lugdunenſem nihil, quod ad exornandum tam egregium Opus conferre poterat, prætermiſiſſe, abunde teſtatur, ita non minus egregie de civibus ſuis meruit non incelebris inter noſtros bibliopola, *Caſpar Fritſch*, dum hanc accuratam ſatis, elegantique forma pariter conſpicuam, editionem, ut eo magis noſtratium uſibus inſervire queat utiliſſimus liber, ad exemplar Lugd. excudi curavit. Toto cœlo errant, qui farraginem remediorum, arte Chemica producendorum, cum ſuperficiaria uſitatarum operationum explicatione, in egregio hoc Syſtemate tan-



Digitized by Google

tum contineri arbitrantur. Uti enim pleroſque Chemicorum libellos hac confuſione laborare dolet Autor, ita alium longe ſibi ſcopum præfixum habet: cum ex definitione Chemiæ, quam exhibet, facile innoteſcat, quam amplos ejusdem limites conſtituerit. Ita enim deſcribit: "Chemia eſt ars, docens exercere "certas phyſicas operationes, quibus corpora ſenſibus patula "vel patefacienda vaſis capienda mutentur per propria inſtru"menta, ut definiti & ſingulares quidam effectus producti in"noteſcant, horumque cauſæ ipſa per effecta pateant, in vari"os diverſarum artium uſus." Præmiſſa eſt Operi ſuccincta artis hiſtoria, in qua præcipuos antiquioris recentiorisque ætatis Chemicos, eorumque ſcripta, cum epicriſi ſobria recenſet, inſimulque docet, vitio Alchemiſtarum, qui primi fere tractandis igne metallis operam dederunt, contigiſſe, ut omnia artis producta protinus pro remediis corpori humano apprime profuturis habita, ſicque multa inutilia, imo noxia, in materiem medicam ſint introducta. Theoriæ fundamenta jacturus, ante omnia objecta artis conſiderat, eorumque nativam indolem explicat, ut eo rectius, quid ars in illis mutandis præſtiterit, innoteſcat. Primo itaque loco foſſilia ſub examen revocat, cumque ſimplex eorum fabrica nullam in illis, inter vaſa, &, qui his continentur, ſuccos, varietatem conſpiciendam præbeat, proprium cujusque characterem ſuppeditat; poſt illa vegetabile regnum in ſcenam producit, cumque illud corpora hydraulica, multis vaſis diverſisque ſuccis, in illis circulantibus conſtantia, ſiſtat, accuratam eorum anatomen exhibet, quique ſucci in ſingulis partibus hæreant, ſedulo docet; ubi inprimis, quæ de ſucco cujuslibet plantæ proprio monet, notatu digna ſunt, utpote qui, per omnem vim omnium partium plantæ applicatam, ſucceſſive recepto crudo ſucco, ortus, veram plantæ proprietatem, indeque natam virtutem continet, quod exemplo foliorum Chelidonii, ſuccum aureum, in pedunculo, Aloes, ſuccum luteum amarum peculiaribus ductibus continentis, illuſtrat, quos proinde, ſi genuinos deſideres, ſuccos arte ex his elicies vaſis, cum reliquis plantæ ſuccis confuſi indolem ſuam penitus mutare deprehendantur. Prælibatis ſic, quæ de objectis Chymiæ proponere neceſſe duxerat, omnem mutationem, his

Digitized by Google

per artem conciliandam, ſolo motu abſolvi docet, ut ita, quam varia ſint Chemiæ producta, omnia tamen ſeparando vel adunando nata eſſe cenſenda ſint. De ſeparatione Chemica id inculcat, ne nos partes corporum ita, uti in illis præextiterant, obtinuiſſe, aut vera phyſica eorum elementa produxiſſe cenſeamus, cum eo usque pertingere vix datum ſit induſtriæ humanæ, neque ex horum productorum combinatione priſtinum denuo componere corpus liceat artifici. Quo loco ſimul de ſpiritu rectore in vegetantibus atque animalibus, adeo apud Alchymiſtas decantato, lectu digna profert, quem dicit halitum tenuiſſimum, cuivis corpori proprium, quo illud ab omnibus aliis accurate diſtinguitur; cujus ſedes ſit oleum rei volatile, cujus tamen minimam ſaltem partem hic ſpiritus conſtituat: totam rem cinnamomi exemplo illuſtrat, e cujus corpore cum aqua deſtillato, omnis vis aromatica, in oleum rubrum in fundo vaſis collectum concentrata, extrahi poteſt, corpore cinnamomi priſtinam exacte figuram retinente, aſt omni fragrantia orbato; imo ipſum oleum, niſi ſollicite defendas, cetera nihil mutatum, ſpiritum hunc, ſimulque omnem virtutem ſuam avolare ſinet. Ut vero eo magis deſiderium Auditorum ad excolendam ſolidius artem Chemicam acueret, amplum ejus per plurimas partes uſum magnifico effert encomio, eumque non in phyſicis ſolum multa detegere nova, ſed per omnes quoque medicæ artis diſciplinas ſe diffundere, dum non ſolum ſtatum humorum corporis naturalem declarat, ſed eorum etiam in morbis corruptorum indicia prodit, indeque diætam his accommodandam docet, & egregia ad medendum remedia promit, egregie confirmat. Non minora ſunt, quæ in excolendis variis artibus mechanicis a Chemia ſuppeditari poſſe adjumenta monet. Inprimis lectu jucunda ſunt, quæ in Magia naturali hujus ope præſtari poſſe, copioſe differit, atque exemplo phosphori, magnorum motuum, certis corporibus ſibi commixtis, ciendorum, ſimilibusque declarat. De Alchemia quoque modeſtam addit epicriſin, atque genuinorum ejus artis Scriptorum, quos inter *Raimundum Lullium* honoris ergo nominat, ſcripta meritis laudibus proſequitur; in quibus



Digitized by Google

abſcondita naturæ egregie detecta laudat, atque ita de tota arte ſentit. "Ubicunque Alchemiſtas capio, video ipſos ſimpli-"ciſſimam veritatem nudiſſimis verbis deſcribere, nec fallere, "nec errare. Quando igitur ad illa loca pervenero, ubi per-"cipere nequeo, quid velint, cur falſi arguam eos, qui in arte "ſe longe præſtantiores dederunt me ipſo? Quare meam po-"tius ignorantiam in hiſce, quam illorum vanitatem, incuſo." Id tamen ſimul monet, ſubinde ſibi in mentem venire, annon hi viri, poſtquam tam ſingularia per naturæ vires detexiſſent, tandem velocitate prævidendi, & ea pro factis narraverint, quæ fieri poſſe, imo quæ fieri debere, colligebant, ſi porro perrexiſſent exequi, quæ eo usque tantum animo conceperant. Ceterum tum hic, tum alibi paſſim, multa inſpergit, quæ inſtruere, & ab erroribus, altius quid in hiſce tentaturum, præmunire, atque ad fallacias vanorum hominum detegendas inſervire queant. Jam ubi ad inſtrumenta Chemiæ activa explicanda pervenit, ignem puta, aerem, aquam, & terram, latius in illorum indaganda natura diffunditur, quam in Chemicorum quis ſcholis expectaverit. Quicquid enim de illorum proprietatibus, viribus, effectis, doceri in phyſicis poteſt, id omne hic accuratiſſime explicatum invenies; neque tamen abſtractis lectorum animi ideis defatigantur, ſed per uberrimam experimentorum, ſolicite recenſitorum, ſegetem illuſtrantur, indeque ductis conſectariis confirmantur omnia. Præcipue in doctrina de igne, univerſali illo Chemicorum inſtrumento, copioſus eſt. Primum enim in naturam ignis elementalis inquirit, cujus notam genuinam conſtituit, corporum, quibus ineſt, rarefactionem, eumque ubique æqualiter expandi probat, donec cauſa aliqua, quæ illum in paralelismum determinet, accedat; dein pabula ſic dicta ignis ſub examen revocat, atque ſolum duntaxat corporum oleum huc referendum demonſtrat; etſi, reliqua, huic admixta, ſubinde ad vim flammæ augendam non parum conferre, neutiquam neget: varios quoque modos ignem certorum corporum miſcela producendi fuſe recenſet; dum v. g. de calore ex miſtura corporum vegetantium, de calore generando ex miſcela corporum animalium & vegetantium, de igne genera-

nerato vero in corpore frigido ex ſolo acceſſu aeris, de igne producto ex frigidis foſſilibus ope aquæ, de igne producto miſcela liquorum frigidorum, agit; poſtea de effectis ignis varias proponit cautelas, quod nec univerſaliter, nec ſincere ſemper ſolvat, ſed ſubinde etiam componat, atque, pro vario gradu, varie ſubinde operetur, quo loco de gradibus ignis cognoſcendis atque dirigendis fuſius agit. Pari ratione in reliquorum ſic dictorum elementorum indolem inquirit, in quibus tot phænomena, quæ in cœlo, in terræ profundis, in vegetantibus pariter ac animalibus, obſervari ſolent, explicantur; egregia artis inventa, uti v. g. ſpeculorum uſtoriorum, dioptricorum, catoptricorum, thermometrorum, recenſentur, eorumque multiplex uſus docetur, ut lectu non jucunda minus, quam utilia, ſint, quæ ſuper his diſſeruit Celeb. Autor; nobis, quos in tanta copia rerum ſelectus inopes facit, Lectoribus, harum deliciarum cupidis, multa, quæ forte a Chemia longe abeſſe prima fronte videri queant, hic latere, indicaſſe, & ad eo ſtudioſius evolvendum librum, ſolidiſſime conſcriptum, excitaſſe, ſufficiat. Non minori utilitate ſe commendat doctrina de menſtruis, propriis illis Chemiæ inſtrumentis, quæ definit per corpus, quod, lege artis applicatum alteri, illud dividit in minutas partes ita, ut particulæ ſolventis inter partes diviſas ſoluti, penitus ſint intermiſtæ. Primo proprietates menſtruorum in genere conſiderat, eorumque modum operandi exponit, quem quidem ſolo motu abſolvi concedit, non tamen mere mechanico, in quo demonſtrando fuſus admodum eſt, atque limites operationis mechanicæ & phyſicæ accurate determinat, ut tandem fabulas multorum, quibus publico perſuadere conati ſunt, ſe jactare explicationem Chemicorum per mechanica, obtunderet, ſeque quam maxime ab illa abhorrere opinione, publice oſtenderet. Dein ſingulas menſtruorum, aqueorum, oleoſorum, ſpirituoſorum, ſalinorum, alcalinorum, tam fixorum, quam volatilium, acidorum cujusvis generis, ſaliumque neutrorum, recenſet, &, in quæ eorum ſe virtus exſerat corpora, quidve ex illa applicatione oriatur novi, accurate perſequitur. Quin & de *Paracelſi Helmontii*que univerſali illo

menſtruo Alcaheſt hiſtorice agit, atque,quæ ad cognitionem ejus facere poſſunt, ex propriis eorum ſcriptis ſtudioſe adducit, etſi fere unquam ulli Chemicorum tale arcanum poſſeſſum fuiſſe dubitet, id tamen ſuos monet: "ſalem marinum & "Mercurium omni modo Chemico tractat, nunquam pœni-"tebit operæ." Neque vero paſſiva inſtrumenta ſilentio prætermittit, ſed eorum materiem,conditiones,commoditates,ſuos docet, iconibusque appoſitis,formam exhibet. Inter alia furnum ſimpliciſſimum exhibet, furnum ſtudioſorum propterea a ſe dictum, quem olim in proprios uſus invenit, dum in Muſeo haud ita magno, in quo parvus modo caminus erat, multa cepit experimenta. Quo nec fumus nec fœtor fiat, qui calorem leniſſimum & æquabilem ſuppeditet, ut vel ova in eo excludi queant, qui tamen eo usque intendi queat, ut aqua in eo ebulliat. Aptus ergo ad omnes digeſtiones, deſtillationes aquarum, ſpirituoſorum,ſalium volatilium,quin & ſpirituum acidorum,in eo commodiſſime tutiſſimeque ſine magnis impenſis peragendas. His jactis theoriæ fundamentis, Tomo II ipſas operationes ſecundum trium regnorum corpora aggreditur, in quibus ita ſe gerit, ut omni evitata confuſione, ac tædioſa æque ſæpius jam factarum repetitione, quam neceſſariarum omiſſione, a ſimpliciſſimis, quorumque cognitio in ſequentibus præſupponitur, initium ducat, neque ſemper ad pharmaceuticam tantum in his adornandis reſpiciat, ſed & phyſicam corporis indaginem ſubinde absque ulla ad hanc relatione perſequatur.Pharmaciæ priori in Parte,quæ vegetantia tractat, abunde proſpectum eſt, in qua per omnes ignis gradus, a leniſſimo,qui ſeparando potius,quam multum in illis mutando agat, ad vehementiſſimum calcinationis usque, quid plantæ ſic tractatæ exhibeant, offert, quid fermentatio accurate hic deſcripta, & ab omni alia operatione, cum quibus ſæpius confunditur, ſolicite diſtincta producat, quid demum in putrefactione iis accidat, ſolicite perſequitur. In quovis proceſſu primo apparatus ad operationem peragendam cum neceſſariis cautelis explicatur, deinde de natura & uſu productorum copioſe diſſeritur, quomodo ex variarum ſubinde operationum productis artis lege denuo prudenter conjunctis egregia ſub-

Digitized by Google

ſubinde pharmaca parari queant, fide docetur. Sic v.g. proceſſus 39 docet, quomodo ex aquæ ſtillatitiæ unciis ſex, elæoſachari drachma una, & ſalis drachmis duabus plantæ cujusvis, debita proportione combinatis potio medicata, omnes illius plantæ vires concentratas exhibens, parari & cum effectu optato exhiberi queat. Altera Pars, quæ animalium deſtinata eſt ſcrutinio, theoriæ potiſſimum medicæ ſervit, dum liquorum corporis animalis, uti lactis, urinæ, ſanguinis, ſeri ſanguinis, albuminis ovi, analyſin inſtituit, mutationes poſt digeſtionem, putrefactionem ignis in illa actionem in iis obſervandas notat, indeque conſectaria de ſtatu eorum naturali æque ac præternaturali deducit: pharmaciæ tamen, quæ de ſale ammoniaco, quod animalis eſt proſapiæ, indeque parando ſale volatili oleoſo, item de *offa Helmontiana*, ex ſpiritu ſalis ammoniaci fortiſſimo, & alcohole puriſſimo enata, commentatur, egregia remedia ſuppeditant. In Parte tertia Sales, Sulphura, Metalla, atq; ſemimetalla Chemico examini ſubjiciuntur, pluraque hic iterum egregia in morborum ſanatione, naturæ metallorum exploratione profutura, occurrunt. Id obiter notamus, Virum Celeb. uti ubique immodicarum laudum oſorem ſe præbet, ita de remediis ex ſtibio paratis minus ſentire magnifice, neque binis illis creberrimi apud noſtros uſus, cinnabari puta atque diaphoretico antimonio, præ reliquis prærogativam concedere. In fine addita eſt brevis præcipuarum operationum Chemicarum repetitio, una cum experimentis de colorum productione, mutatione, perquam curioſis. Utrique Tomo Index rerum copioſus ſubjungitur, in Lipſienſi editione in meliorem variis locis ordinem redactus. Paucis indicavimus lectoribus, quid in elaboratiſſimo hoc Syſtemate contineatur, quod ſi ipſi cum cura evolvere non dedignabuntur, plura ſe, quam nos brevitatis ſtudioſi commemorare potuimus, in illo deprehendiſſe non negabunt, atque nobiſcum optabunt, ut Celeberr. Autor reliquas quoque artis medicæ partes, quas, brevibus aphoriſmis comprehenſas, ante plures jam annos edidit, continuo ſermone magis explanatas in publicos uſus divulget. Illi enim, qui in Italia ante biennium Praxeos *Boerhaaviana* titulo prodiere Commentarii, adeo parum ad reliquorum ſcriptorum acumen acce-

Digitized by Google

accedunt, ut hoc ipſo ſpurios eſſe facile pateat, tantoque magis deſiderium, illis ab Autore ſuo promulgatis fruendi, acuerint.

## *HENRICI JACOBI SIVERS, LUBECENSIS, Philoſophiæ Magiſtri, & Regiæ Boruſſicæ Scientiarum Societatis Collegæ, Curioſorum Niendorpienſium Specimen primum, ſiſtens Lapidis muſicalis, Echinitæ Cordati, & Stellæ Marinæ deſcriptionem, cum illuſtri Regia Scientiarum Societate, quæ Berolini floret, communicatum.*

Lubecæ, apud Jonam Schmidium, 1732, 8.

Plag. 1.

PRopoſitum eſt Autori, Diſſertationibus nonnullis illuſtrare ſcientiæ naturalis hiſtoriam, quæque ipſe ante aliquod tempus in littore Niendorpienſi collegit, jamque in Muſeo ſuo ſervat, in conſpectum eruditorum proferre quædam naturæ cimelia. Quorum tria, digna ſatis eorum, qui curioſi naturæ ſunt, oculis & admiratione, continentur Specimine hoc primo. Nos ſingula hic ære expreſſa dedimus, quod videremur nobis quandam in iis naturæ luxuriantis imaginem contemplari, jucundam admodum, & multum omnino elegantiæ habentem. Cujus ea ſint generis, cujus formæ & coloris, cujus denique ſint uſus atque pretii, malumus Lectores ex ipſius Autoris, quam noſtris, verbis cognoſcere. Figura prima ſiſtit *lapidem muſicalem*, de quo verba Cl. Autoris hæc ſunt: *Hic lapis arenoſus & coloris cinerei eſt, conſtans, quod ad longitudinem attinet, decem, latitudinem, paſſim ſeptem, paſſim octo pollicibus. Lineæ & ſic dictæ notæ muſicæ rubro nitent colore, & partim ſunt, ut hodie ſcribuntur, partim, ut ante aliquot ſecula a Monachis in membranis fuere ſcripta.* Nomen *lapidis muſicalis* cognitum antehac plane non fuit; magis vero cognita *Voluta muſicalis* fuit, cui cum perquam ſimilem Autor obſervaret hunc lapidem, ſimile ei, non infelici ingenio, nomen dedit. Alterum, quod hic cernis, eſt *Echinites cordatus*, qui *ſilice*, ut refert Autor, *conſtat duriſſimo, & cruſta albeſcente ſelenitica, vel, ſi mavis, in fluorem vitreum redacta, adhuc veſtitus eſt.* Ejus elegantiam facile

TAB. V. Fig. 3.

TAB. V. Fig. 4.

# TAB. V. ad An. 1732. M. Sept. pag: 414, 415, 432 e

Fig: I.





Fig. III.



Fig. II.

2. 1.




Fig. V.





Fig. I



Krugner fe

Digitized by Google

facile agnoſcent, qui eum cum echinitis aliis, haud raro obviis, & de quibus copioſe egerunt ſcriptores multi, comparaverint. Tertium, cujus hic nobis imago exhibetur, a forma *Stella marina* dicitur. *Inſectum eſt marinum*, (iterum Cl. Autoris verbis utimur) *in radios quinque diviſum, duro & ſpinoſo veſtitum corio, quod tamen in humido facile molleſcit & diſſolvitur. Radii ipſius excavati ſunt. In medio oris ſitus eſt, quo alimentum attractum conficitur, atque per omnes diſpergitur partes, &, quia nullo alio in loco apparet exitus, haud incongruum videtur, ore, quæ ſupervacua ſunt, excerni.* Stellas marinas cum in quinque diverſa ſtellarum genera abire oſtenderit olim *Mich. Bernh. Valentini*, ſuam, quam nobis ob oculos poſuit, refert Autor ad genus ſecundum, & *ſtellam marinam minorem* nuncupat. Ceterum, etſi in Autoris generatim inſtituto nihil ſit, quod reprehendi poſſit, in ipſa tamen tractandi ratione, forte ſint, qui ingenium Autoris deſiderent, quippe de quo promtius liceret faciliusque judicare, ſi, præter coacervatas ſcriptorum allegationes, de ſuo aliquid addidiſſet, & ſuos in phyſicis profectus magis ob oculos lectorum poſuiſſet.

---

## *NOVA LITERARIA.*

MEdiolani novum, idque illuſtriſſimum, Opus parat *Philippus Argelatus*, Vir plane eximius, in unum corpus collecturus ſcripta *Caroli Sigonii*, eruditiſſimi Italorum, ſingula, maximamque partem rarius jam obvia. De cujus inſtituti ratione ut certius conſtet Lectoribus noſtris, integrum, quod ea de re Vir ille bonus edidit, & nuper ad nos transmiſit, Programma, lectu quippe jucundum admodum, diligenterque compoſitum, huc transſcribemus:

*Quanti fecerint eruditi Viri* Caroli Sigonii *elegantiſſimos libros, ad univerſam propemodum antiquitatem illuſtrandam comparatos, ex eo potiſſime cuique ſit perſuaſum, quod inter Italos recentiores vix alter inveniri poſſit, quem cultarum nationum omnium perpetuum conſtansque judicium majoribus laudibus exornaverit, & cujus libros lectionis aſſiduitate ferme contriverit. Hinc factum eſt, ut non ſemel iterata ſit & apud noſtrates & apud exteros eorum librorum editio; ſed, creſcente in dies lectorum frequentia, rara admodum ætate noſtra purgatioris forma apparent exempla; jacturamque non ſemel apud*



Digitized by Google

*me, vel verbo, vel ſcripto, dolentibus eruditis viris, aliquando reparare deliberavi. Neque uno tantum argumento ad hanc operam capeſſendam invitabar hoc tempore, quo, vergente jam ad deſignatam calcem magna* Italicorum Hiſtoricorum *Collectione, otii aliquantulum ſupererat ab immani labore, quem ſi novus iſte in edendis Clariſſ.* Sigonii *Operibus exciperet, jam animo reputabam a condita urbe Roma in annum æræ Chriſtianæ MD abſolutum Italicæ Hiſtoriæ corpus me facile daturum. Si quis enim initium fecerit a Faſtis Conſularibus, quibus Romani Reges, ordine temporum ſervato, præmittuntur, deinde ad Hiſtoriam Occidentalis Imperii, & aureos Libros de Antiquo Jure Civium Romanorum, & de Judiciis, deſcenderit, quibus univerſa Romani Imperii adminiſtratio diligentiſſime explicatur, mox in libris de regno Italiæ finem fecerit, integram continuamque ſeriem habebit ad ea usque tempora, quæ Collectionis* Muratorianæ *Scriptores fuſiori calamo percurrunt, tantoque facilius, & accommodatius, quanti proderit vetuſtiora monumenta ſparſa ubique, ac non ſemel obſcura, in unum corpus ab emunctæ naris homine digeſta & explicata volutaſſe. Præterea amor me meus in* Sigonium *ferme angebat; is enim vivens Bononiam patriam meam cariſſimam diu literis coluit, quo uno ex titulo ſingularem a Bononienſi homine diligentiam, & non vulgare officium, jure ac merito poſcebat. Ceſſi ergo meo amicorumque deſiderio, &, ut celerius editionem inſtruerem, quicquid aeris & curæ neceſſarium reputavi, e meo privato penu contuli, ne* Palatinorum Sociorum *rationes diverterem in aliam cauſam, vel poſtrema communi cura priorem aliquantiſper publico cum incommodo turbarem. Sed, fateor, mihi in primis hæſitandum fuit; nam, ſi Bononienſem caſtigatiorem editionem renovaſſem, ſi* Wechelianam *alteram, non omnia illius Opera exhibuiſſem, ſi vero ineditos huc usque libros diſſimulaſſem, non ſatis ipſe mihi placere poteram;* Sigonius *vero præſtantiſſimos alios libros a ſe ſcriptos, veluti ſuis cum cineribus in ſepulchro latentes, brevi perituros doleret. Quamobrem in colligendis editis omnibus, quorum aliquot rariſſimi, & in MSS. inquirendis curam omnem, & patronorum amicorumque omnium operam primum adhibui, variasque Italiæ publicas Bibliothecas, vel præſens ipſe, vel alius quiſpiam, ut loci opportunitas ferebat, luſtravimus, neque a privatis*

Digitized by Google

*vatis abſtinuimus, petentes, inſtantes, obſecrantes, ne oblivioni celebratiſſimi viri lucubrationes diutius tradi paterentur, & univerſæ literariæ Reipublicæ gratiſſimum beneficium inviderent. Valuit apud omnes* Sigoniani *nominis autoritas, meumque deſiderium ita impletum eſt, ut nulli ſint libri hactenus editi, qui noſtram non venerint in poteſtatem ad editionem abſolvendam: præterea MSS. aliquot, quorum nova fiet acceſſio, gratiſſima tibi, Lector humaniſſime, futura ob eximiam Autoris elegantiam, antiquitatis peritiam, & exactiſſimum in rebus inveſtigandis judicium. Eorum librorum titulos non abſque cauſa reticere cogor; interim hæc in univerſum præfari juvat, ut conſilium meum, & novæ hujus editionis ſpecimen exhibeam, cetera in alia epiſtola, ſingulis Tomis præponenda, expoſiturus: itaque facile mihi perſuadeo, futurum, ut cum MSS. omnes ad poſteriores Tomos amando, dilata dies novum aliquod offerat, quod anxie quidem ac diligenter inquirere non deſino. Nunc de primo accipe.*

*Præponenda de more fuerat Autoris vitæ notitia, quæ, ſi in alio quopiam cognoſcenda fuerat, in* Sigonio *multo quidem diligentius erat inveſtiganda, ob literarias quæſtiones a pluribus cum homine acris ingenii actas, quæque varie a variis antea pro factionis fortaſſe amore recenſebantur. Ad eam operam, quæ literatiſſimum virum, & privatas e* Sigoniana *domo notitias, poſcebat, aptiorem neminem invenire uſpiam potuiſſem, quam Clariſſ.* Ludovicum Antonium Muratorium, *cui Muſarum omnium chorus, quicquid elegantiæ ac doctrinæ præſtantius erat, uberrime conceſſit, quique communem cum* Sigonio *patriam nactus, multo, quam ceteri, facilius ex familia ipſa certa rerum geſtarum monumenta producere poterat. Neque mea me fefellit opinio; is namque pro ſua in me humanitate, quam nunquam ſatis commendaverim, juſtaque gratiarum actione proſecutus fuero, intermiſſis pauliſper ſeverioribus occupationibus, cuncta, quæ ad* Sigonii *vitam, mores, ſtudia, opera, & literarias pugnas, pertinent, adeo exacte rimatus eſt, ut nihil amplius deſiderari poſſit, & innumeri ferme aliorum errores, cum de* Sigonii *vita ſermonem habuerunt, in poſterum corrigendi ſint, & vel factionum ſtudio, vel eorum oſcitantiæ, tribuendi.*

Sigonianos *libros aperiunt* Faſti Conſulares, *quorum uſus literatis Viris neceſſarius, mirum in quantas non ſemel angu-*

*ſtias impegerit antiquitatum amatores. Abſolutum* Sigonii *labore credendum erat arduum hoc opus; ſed, cum ab ejus ætate ad noſtram hanc, quaqua verſus Imperii Romani fines protendebantur, tot effoſſa ſint & effodiantur in dies lucidiſſima monumenta vetuſtatis, operæ pretium videbatur, cenſuræ limam adhibere, ne, qui* Sigonii *Faſtos absque ulla diſcuſſione recuſos legeret; novarum obſervationum opem non ſentiret. Hoc vero muneris, rogante me, ſuſcepit Doctiſſ. P. D* Joſeph Maria Stampa, *Comenſis e Somaſchæ Congregatione, qui, ſingulari uſus diligentia, omnes inſigniorum Criticorum obſervationes in hanc meam Editionem contulit,* Petavii *ſcilicet,* Pighii & Almelovenii, *quas ad firmandos potius, quam ad emendandos,* Sigonianos *Faſtos a Rege Romulo ad C. Julium Cæſarem adhibuit,* Mediobarbi, Pagii, Tillemontii, *ac omnium noviſſimi* Blanchini, *a Julio Cæſare ad obitum Auguſti. Ab hoc vero tempore ad A. Chriſti 146* Stampa *noſter Eminentiſſ.* Noriſium *viæ ducem habuit. Ad annum denique 284* Petrus Relandus *facem prætulit. Sed ita vir judicio graviſſimus in aliorum ſententiam venit, ut juſtis aliquando ex cauſis minime ſubſcripſerit, & ſuas ipſe inveſtigationes produxerit.* Cuſpinianum, Panvinium*que, etſi minus frequenter appellatos, adſtipulatores habuit; ſed, qui* Petavium, Pighium & Almelovenium *excuſſerit, illico comperiet, tres iſtos a duobus prioribus, quicquid in ſuis edidere Codicibus, fuiſſe mutuatos.* Pagius *etiam, eximius Em.* Baronii *cenſor, adjumento fuit, ſed* Stampa *non ſemel a Conſularibus regulis, in Hypatica Diſſertatione ſtabilitis, diſcedere voluit, ne Quinquennalia, Decennalia, Quindecennalia, Vicennalia, ſuum extra præſcriptum tempus anno integro, & aliquando biennio cum celebratiſſimo Diſſertationis Autore transferret.* Blanchinum *poſtremo in Romanorum Pontificum actis etſi diligentiſſimum veritatis exploratorem, ſi aliquando correxit, eas adhibuit rationes & teſtimonia, quæ ſibi Lectoris calculum arrogare mereantur.*

*Et, quoniam ad Chronologiæ rationem ſtabiliendam, unde ſacræ ac profanæ Hiſtoriæ lux unice petenda, plura occurrunt, quæ fuſiori calamo erant illuſtranda, Diſſertationem præmiſit de* Romæ conditæ, ac de inſtituti Conſulatus anno primo. De anni in menſes ac dies a Romulo facta diviſione, immutata a Numa Pom-

Pompilio, ac deinde a Decemviris emendata ; hinc a Julio Cæſare, mox iterum ab Auguſto, ac deinde a Gregorio XIII Pont Max. conſtituta in futurum ſtabiliori emendatione. *Alteram item inſeruit Diſſertationem* de Spoliis,& Comitiis Romanorum: de varia recentiorum Chronologorum opinione circa Urbis exordium, & calculum,quem in annorum computatione ſervabant,*eo conſilio,ut,ſi qui a* Stampa *noſtro diſcordes ſint,levi negotio cum eo convenire poſſint. Alias poſtremo Diſſertatiunculas addidit* de Chriſti nati anno vero : de ejus primo ſuſcepta poſt Baptiſma prædicatione : de ejus ſupremo Paſchate,deque ejus a ſua Incarnatione ad Paſſionem triginta trium annorum traducta vita mortali; *quæ omnia licet ad illuſtrandos* Sigonianos *Faſtos minus erant opportuna, ad continuandos erant omnino neceſſaria. Suſcepit id quoque muneris prælaudatus Pater* Stampa, *qui non tantum* Sigonianos *Faſtos ſumma diligentia emendavit illuſtravitque, ſed ſuam ex integro Continuationem adjecit, a morte nempe Auguſti , in qua* Sigonius *ſubſtiterat, ad Imperium uſque Diocletiani & Maximiani deductam, ſub quibus alterum* Sigonii *Opus de Occidentali Imperio ſumit exordium. In ea temporum ſerie complenda impenſo ſtudio Continuator celeberrimus adeo incubuit, ut nihil profecto prætermiſerit; quod ad Hiſtoriæ illuſtrationem, & Chronologiam firmius ſtabiliendam inſtaurandamque, noverat expedire. Ex his, Lector humaniſſime, prælibare liceat , quæ in Faſtorum editione pro viribus adhibenda curavimus ; neque enim inficias iverim, Opus hoc, latiſſime patens, non unum doctiſſimum* Stampam, *ſed plures alios , annoſque plures ſibi exigere debuiſſe.*

*Neque minori ſtudio ac eruditione illuſtrati ſunt Libri* de Occidentali Imperio *per Eruditiſſ. P. D.* Januarium Salinas, *Neapol. e Caſinenſi Familia, e celebratiſſimi Abb.* Jo. Baptiſtæ de Miro *Schola, quem Papiæ in S. Salvatoris Monaſterio degentem opportuna ſors obtulit. Is, Hiſtoriæ ſacræ ac profanæ peritiſſimus, illius ope ac Romanarum Legum notitia purioribus e fontibus, non e forenſium tabularum deliriis hauſta, qua pollet plurimum,* Sigonianos *libros expolivit, eluxatos quandoque temporum ac rerum locos in ſuam ſedem reſtituens, Legibus in Theodoſ. præcipue Cod. ſcriptis in teſtimonium productis, & Hiſtoricorum Synchronorum fide adhibita, quo novo adjumento firmiorem in poſterum figere pedem liceat in Occidentalis Imperii Hiſtoria ; ad quam cum ſacræ res etiam pertineant, id potiſſimum curavit, ut orthodoxa a pſeudoconciliis diſtingueret, & Catholicam veritatem conſtantiſſime ſtabiliret.*

*Secundus Tomus ex viginti Libris de Regno Italiæ compactus eſt, qui ſi non interituram unquam* Sigonio *famam præ ceteris pepererant, & obtriti ferme noſtrorum aſſidue manus percurrunt, liceat mihi aliquid audentius aſſeverare : majoris fortaſſe pretii æſtimandi ex noſtra ſolicitudine, atque Clar* Joſephi Antonii Saxii, *Bibliothecæ Ambroſianæ Præfecti , diligentia & cura publicam in lucem prodibunt. Is enim ex ampliſſimo eruditionis ſuæ theſauro, atque pluribus ex certis & venerandæ antiquitatis monumentis, Archivo præſertim Celebratiſſ.* Monaſterii S. Ambroſii *hujus Civitatis, quæ*



Digitized by Google

*neque* Sigonius, *aut alius quiſpiam, in hanc usque diem obſervaverat, aliisque pluribus vel editis adhuc, vel ineditis, Diplomatibus, atque ope Scriptorum noſtrorum Italicorum, Chronologiæ rationem & reſtituit, & factorum ſeriem vel ſupplevit, vel illuſtravit, amore in* Sigonium, *& ſtudio veritatis præcipuo, quod ipſismet illius Manibus opitulari videatur, & lucidius Italicam eorum temporum Hiſtoriam repræſentet ſuis perpetuis in notis, quæ rerum ſoliditatem, non inanem ac verboſam trutinam, continent.*

*Ceterorum, qui ſequuntur, librorum ordinem adhuc minime diſpoſui, ſed ſuas quique notas, & obſervationes, vel editas antea, vel noviſſimas literatorum Virorum, quo acceptiores fiant, itidem habebunt. Ad eos, nempe de* Antiquo Jure Civium Romanorum, Italiæ, ac Provinciarum, & de Judiciis, *nec non de* binis Comitiis, & Lege Curiata, *præterea, quæ in ſua Editione Theſauri celebratiſſimi Antiquitatum Romanarum Cl.* Grævius *notaverat, habebis prolegomena Cl. Viri, & multiplici eruditione inſignis,* Horatii Blanci, *J. C. Romani, nec non Commentaria perpetua J.C.* Joannis Materni, *Mediolanenſis.*

*Ad Libros de* Athenienſium, eorumque ac Lacedæmoniorum temporibus *manus adhibuit accuratiſſimus Vir, Orientalium linguarum atque Hiſtoriæ peritiſſimus, quem aſſiduis precibus fatigatum vici tandem pro ſua ſingulari humanitate: hoc unum in ſe ipſum inofficioſus, ac ferme injurius, quod nomen clariſſimum ſilentio reticendum voluit, id ſolum roganti mihi vix tribuens, ut* Societatem Jeſu, *cui nomen dedit, appellare liceat, ſed hoc erit perpetuæ laudis argumentum; nam ſicut cœtus iſte lucidiſſimas, quot in cœlo ſtellas, doctrinarum omnium faces enumerat, ita cuique me devotum beneficiorum acceptorum memoria perpetuo profiteor.*

*Et, quoniam* Sigonius *noſter de profana Hiſtoria & antiquitate optime meritus, ſacram etiam exegit, nobisque libros de* Republica Hebræorum, *&* Commentaria in Sulpicium Severum *vivens ipſe publici juris factos reliquit, & libris octo Chriſtianæ Eccleſiæ Hiſtoriam ſcripſerat, quam forſan aliquando invenire liceat; eos in unum Tomum a ceteris diſtinctos edere animus eſt, additis etiam perpetuis annotationibus. Neque ignoraveram, hoc ſibi operæ dudum aſſumſiſſe* Joannem Nicolai; *ſed ab homine factionis acatholicæ ſpurcatam atque infectam orthodoxi* Sigonii *induſtriam, nemo eſt, qui negare poſſit. Ad alium itaque Hebraicæ Græcæque linguæ peritum, atque in eorum temporum, ac rerum antiquitate inveſtiganda exercitatum, mihi erat confugiendum. Isque opportune præſens erat, tum humanitate mihi cum primis carus, tum multijugi eruditione ſingularis Vir,* Abbas Laurentius Maſei, *literariæ Reipublicæ notus ob varia ingenii ſui opera, & annotationes præcipue in quartum* Anaſtaſii *Bibliothecarii Tomum. Hic igitur ad Rempublicam Hebræorum novas ex integro annotationes procudit, atque ita* Sigonium *noſtrum illuſtravit, ut fruſtra ad* Nicolaum *Lector revocandus ſit, cujus errores non minus, quam aliorum id genus, ex occaſione convellit: & præterea Rabbinica de Judæorum*

*daeorum antiquitatibus confutat commenta, petitis e divino Bibliorum fonte argumentis: atque id eo facilius præſtabit Vir eruditus, cum Excellentiſſimi Viri, mihi nunquam ſatis beneficiorum memoria laudandi,* Comitis Caroli Archinti *ei pateat ad domeſticos uſus ornatiſſima Bibliotheca, unde a tot fontibus melioris notæ librorum emendationum ſuarum lucubrationes valeat haurire. Quod ad* Sulpicium Severum *attinet, cujus lectionem utilem admodum frugiferamque* Sigonius *teſtatur, ſi prius, quam Lector ſe conferat ad penitius cognoſcendam Hebræorum Rempublicam, aliquam habeat illius notionem hauſtam ex* Sulpicina *Hiſtoria a Noſtro Commentariis illuſtrata: optimum duxit idem* Abbas Mafei, *ab Republica iſta* Sulpicii *Hiſtoriam non ſejungere, atque illius novam editionem diſponere, in qua* Sigoniano *Commentario ſubjiciantur omnes omnium viſæ adhuc in* Sulpicium *obſervationes, ſanam tamen ſolidamque continentes doctrinam. Quare illas prædictas Abbas, pro Eccleſiaſticis ſtudiis impenſe laborans, recenſuit caſtigavitque; quod ſpero certe humaniſſimo Lectori pergratum futurum.*

*Erant cordi ſupra cetera, quæ de Patria Bononia ad ſacram profanamque Hiſtoriam ſpectantia* Sigonius *ſcripſerat, & Bononienſes literatos cives ad rem tractandam non immerito aptiores credidi, & mecum amore in patriam certantes plures inveni, nempe Adm. R. P.* Aloyſium Babbi, *Ordinis Servorum B Mariæ V. & J. C.* Alexandrum Machiavellum, *utrumque ob editis Operibus laudatiſſimum, ſacram primus, profanam alter Hiſtoriam accuratiori lima poliverunt.*

*Acceſſi tandem & ego, numerum Literatorum hactenus laudatorum Virorum nova perſona in me traducens,* Andreæ *namque* Doriæ Vitam *exornandam, an dicam onerandam, ſuſcepi, additis ſœderum aliorumque ſimilium a tanto Principe negotiorum geſtorum publicis documentis, quæ* Nicolaus Dominicus Mutius, *ex Januenſi Notariorum Collegio, Literarum & Literatorum amantiſſimus, publicis ex tabulis in Sereniſſimæ Reipublicæ Archivo, cui ipſe præeſt, aſſervatis mihi humaniſſime communicavit.*

*Ad* Scipionis *etiam* Æmiliani Vitam *ex Latinis Græciſque Scriptoribus nonnihil contuli, qua fortuna, videant Eruditi.*

*Hoc unum poſtremo additum volo: librum, cui titulus* Judicium de Romanæ Hiſtoriæ Scriptoribus, *ſi quidem* Sigonio *tribuendus, diligentiorem ad trutinam revocandum eſſe, plures jam ante obſervaverant; &, ne quid in Editione noſtra deeſſet, e Doctorum hominum libris ad Lectorum potius uberiorem apparatum, quam ad agendam cenſuram, plura excerpſi, & in univerſum Opus ad concinniorem elegantiam, ni fallor, expolienda omnia curavi, additis novis ac exactioribus* Tabulis Geographicis, *atque* Indice copioſiſſimo *ad ſingulos libros, in quo formando diligentiam, ſi unquam alias, accuratiſſimam labore improbo adhibuiſſe me, certo comperies.*

*Miraberis fortaſſe, me tot laboribus & expenſis fatigatum, novam hanc ope-*

Digitized by Google

*operam, quæ tot literatorum hominum ope, & in conquirendis, vel exſcribendis, vel exornandis libris ære multo aſſiduaque cura indiget, in hoc potiſſimum ætatis in ſenium vergentis, poſt edita hactenus tot librorum millia, ſuſcepiſſe. Undenam tantum otii ac virium, ſciſcitabere? Unico verbo ſatisfaciam: a Clementiſſimi Cæſaris Noſtri perpetua beneficentia, qui liberalitate ſua animum & vires addit: ille nobis literarium otium, & dulce præſidium vitæ parat: ille me ad nova in dies meditamenta ſacrarum largitionum ſtimulis impellit: ille Palatinos noſtros ad novos alios labores excitat, qui literariæ Reipublicæ utiles & grati futuri ſint, & Mediolanenſibus noſtris veterem ſtudiorum famam, ſi Dis placet, inſtaurent, & bonarum artium cultum, & commercia paulatim reflorentia, reſtituant. Quæ ſi Deus impleat omnia, ut rogamus, Cæſaris invictiſſimi gloriæ perpetuæ tribuemus.*

*Mens mihi fuit, cum primum* Sigonii *Tomum in lucem emitterem, Societatem inire; non ut alieno ære Typorum diſpendia ſuſtinerem, verum ut illa evitarem diſcrimina, quibus Opera ferme omnia, in plura Volumina diſtributa, premuntur in præſens; ſiquidem cum primi, qui in lucem eduntur, Tomi facile comparentur, deinde morte præpediente, vel genio, ceteri negliguntur; quo fit, ut plura imperfecta Volumina ad editoris perniciem tineis blattisque abſumenda relinquantur. Quapropter eam mihi Societatem ineundam decrevi, ut, qui Tomum primum emerint, ſequentis in parte pretium quoque perſolvant. Is igitur, quem nunc in lucem emitto, quoniam in magnam excrevit molem, duos foliorum numero Tomos æquabit, Sociisque in minori papyro pretio 25 librarum Imperial. dimittetur, dummodo pro ſecundo libras 12, cum dimidia perſolvant. Pro editis in majori papyro eadem habebitur ratio, aſſignato pretio librarum Imperial. 32, & 16 pro venturo. Hoc ſane beneficio carebunt, qui Societatem inire neglexerint; ab illis namque non minori ſolutione 35 libr. in ſtrictiori, & 45 in ampliori charta quodcunque Volumen in duabus Partibus diviſum poterit comparari. Juxta calculos a me initos, quinque Tomi omnia* Sigonii *Opera complectentur, niſi forte numerum auxerint inedita usque nunc ejusdem Autoris ſcripta, quæ mihi diligenti indagine perquirenti ad manus pervenerint. Non idem erit cuique Tomo pretium, verum uniuscujusque molis habebitur ratio, qua duce, quicquid perſolvendum fuerit, æqua lance aſſignabitur. Specimen interea papyri, characterum, ac tabularum ære inciſorum, Tomus hic, quem in lucem emitto, cuique præſtabit, nec ultra ſex menſium ſpatium unus poſt alterum evulgabitur. Illud tandem monendum arbitror, quod mihi inprimis cordi fuit, nempe ut ſolicita doctorum virorum cura illius correctionis onus ſuſciperet; &, qui laborioſam hanc provinciam ſuſcepere, tanta religione inſudarunt, ut, quicquid, quantumvis leve, illorum oculos effugerat, id in calce voluerint emendari. Nec minorem operam, imo, ſi fieri poteſt, diligentiorem, in ſequentibus pollicentur, adeo, ut, quod veritatis ſtudio dictum ſit, nihil ultra deſiderandum vel venuſtate, vel diligentia, ſeverioribus etiam cenſoribus relinquatur.*

✡ ✡ ✡

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*
*Calendis Octobris Anno MDCCXXXII.*

*VIRI QUONDAM ILLUSTRIS, HERMANNI CONRINGII, Polyhiſtoris celeberrimi, Medicinæ ac Politices in Academia Julia, quæ Helmſtadii eſt, Profeſſoris meritiſſimi, multorum Regum ac Principum Conſiliarii, Opera. Curavit Commentariisque ſuis hæc Opera paſſim auxit & illuſtravit JOANNES WILHELMUS GOEBELIUS, in Academia Julia JCtus, Regiæ Scient. Societ. Berolinenſis membrum.*

## *Tomus I & II.*

Brunſvigæ, ſumtibus Friderici Wilhelmi Meyeri, 1730, fol.
Tomus I Alph. 11 pl. 8, Tom. II Alph. 12 pl. 4.

QUam ſuo jam tempore meditatus eſt Ill. Gallorum Regis Conſiliarius & Prætor Argentoratenſis, *Ulricus Obrechtus*, ſed morte præventus dare non potuit, Operum *Conringianorum* Collectionem, eam nunc ſui muneris fecit Conſultiſſ. *Gœbelius*, iniquum fore ratus, tam incomparabilis Academiæ Juliæ alumni ſcripta ab alio, quam ejusdem cive, in unum corpus redigi. Siſtit nobis igitur ſex Tomis omnia, quæ *Conringii* ſunt, vel eſſe creduntur, aut ejus ſaltem doctrinam ulla ex parte, etiam aliena, referunt, Opuſcula, non quidem Theologici, Polemici, Medici & Phyſici argumenti, (ea enim, veritus, ne Collectio, quæ jam in tot Volumina excreverat, nimium ſe extenderet, tantum indicavit, alii vero edenda reliquit,) ſed

ea tantum, quæ ad *Hiſtoriam, Jus Publicum* & *Politices* ſtudium, in quibus totus fuit *Conringius*, ſpectant. Et horum quidem non modo ex officinæ librariæ *Georgii Wolfgangi Hammii*, Academiæ Juliæ quondam Typographi, paulo poſt fata *Conringii* edito, inſtructiſſimarumque Bibliothecarum, Auguſtæ Guelferbytanæ, & ejus, quæ uſibus ipſius Academiæ Juliæ comparata eſt, Catalogis, nec non ex Indice ſcriptorum *Conringianorum*, qui Syntagmati Epiſtolarum ejus ad Ferdinandum Epiſcopum Monaſter. & Paderborn. *Stephanum Baluzium*, Helmſtadii a *Caſparo Cœrbero*, Acad. ejus Profeſſore, anno ſuperioris ſeculi quarto & nonageſimo edito, acceſſit, plenam ſibi comparavit notitiam, ſed & deſcribendorum copiam a Viris Illuſtribus & Celeberrimis, *Hertelio*, *Hermanno von der Hardt*, *Auguſtino Leyſero*, Lipſienſibusque quibusdam Anonymis, Manuſcriptorum maxime, quorum XVII, in Præfatione Tomi I nominata, eruit, a Viris Ill. *de Alvensleben*, S. R. M. Pruſſicæ a Cubiculis, *Uffenbachio*, *Kreſſio*, *Schminkio*, *Treuero*, *Pol. Leyſero*, *Simone*, aliisque, impetravit affatim. Ordinem in diſponendis hiſce Tractatibus talem, qui rerum ubique reſponderet argumentis, ſervare non potuit, quippe alios Tractatus tardius conſecutus, alios vero, ſuis notis illuſtrandos, ad tempus retinuit. Etenim plerisque ſuos Commentarios, multa doctrina ſelectioribusque publici Juris documentis abundantes, *Conringiumque*, ubi neceſſarium putavit, ab adverſariis, *Lynkero*, *Raſewitzio*, *Valeſio*, aliisque, defendentes, adjecit, quamvis triennium, quod datum ad hoc opus fuit, non permiſerit, ut omnibus æquale ſtudium impenderit. Præmiſſæ ſunt cuilibet Tomo Præfationes a Conſ. Autore, quibus, quæ ad Hiſtoriam Tractatuum, quolibet Tomo contentorum, faciunt, breviter expoſuit. Acceſſit etiam Index locupletiſſimus, qui ſeptimum Volumen conſtituit. At illud ſilendum non eſt, ſphalmata in hac editione dari non pauca, & talia quidem, quibus ſenſui interdum & veritati, in Chronologicis maxime, multum derogatur, quod & ipſemet Conſultiſſ. *Gœbelius* indigne fert, ejus tamen omnem culpam in remotiſſimos a ſua urbe typographos eorundemque correctores, quibus, excepta aliqua Tomi IV Par-

Digitized by Google

IV Parte, in ipſa urbe impreſſa, totius Operis accuratio concredita fuit, transfert, ſe vero hoc erigit ſolamine, præſtantiſſimorum Operum Theſauros ſocios hujus mali habuiſſe. Operæ nunc pretium erit, quæ quoque Tomo contineantur ſcripta, indicare. Tomo I nempe poſt *Epiſtolam quandam Conringii ad Caſparum Barlæum*, quæ inter Epiſtolas Clariſſ. Viror. ex ſcriniis *Jan. Brantii* A. 1715 Amſtelod. editas, num. 55 p. 173 reperitur, quaque *Conringius* noſter *Barlæi* conſilium de ſuſcipienda cura ſtudiorum filii Cancellarii cujusdam Brunſvicenſis, ſpe certa Phyſicæ Profeſſionis in Academia Julia obtinendæ ſibi delata, inſtanter efflagitat, inſimulque, quod in partes remonſtrantium propendeat, ingenue fatetur, Præfationi coronidis loco adjectam, ut & poſt *Vitam Conringii in funere ejus*, a Prorectore iſtius temporis, *Melchiore Schmidio*, deſcriptam, aliorumque celebratiſſimorum Virorum de eodem copioſe congeſta teſtimonia, ſequentes habentur Tractatus *Conringii*: 1) *Exercitatio Hiſtorico-Politica de Republica antiqua veterum Germanorum*, Reſpondente *Nicolao Martini* A. 1654 publice defenſa. p. 1–25.
2) *De Germanorum Imperio Romano A. 1643.* Cujus Tractatus, quem Auguſto Duci Brunſvicenſi dedicavit, conſcribendi neceſſitatem ideo ſibi impoſitam putavit *Conringius*, quod Diſſertatio ejus thematis biennio ante a Nobili quodam Reſpondente, Autore, ſub ipſius Præſidio ventilata, adſcripto ipſius nomine, at diſſimulato nomine typographi, ſub titulo Diſcurſus novi de Imperatore, prodierat, quo facto tantam ſibi illatam exiſtimavit injuriam, quæ non aliter abſtergi poſſet, quam elaborato egregio hoc Opere. 26–107. 27 in Præfat. *Conr.*
3) *Franc. Guicciardini, Patricii Florentini, Diſſertatio de origine Poteſtatis ſecularis in Romana Eccleſia, cum nova H. Conringii Epiſtola*, quam ipſe *Conringius* præcedenti Exercitationi ſubjecerat, ex *Guicciardini* Codice manu ſcripto deſumtam; in Epiſtola vero, *Goldaſtum* ſecutus, Præfationem, huic Diſſertationi præmiſſam, *P. Pithæo* vindicavit. 107–113.
4) *Opus de finibus Imperii Germanici, quo jura finium, quibus illud continetur, a primo ejus exordio usque ad hæc noſtra tempora illuſtrantur.* Addendam judicavit *Conringius* aureo huic libello 114–463.



Digitized by Google

p. 117–128. *Præfationem* ſuam *in Ariſtotelis politica*, quæ hic ſimul exhi-
betur. Inciderunt etiam in manus Conſultiſſ. *Gœbelii* notæ
*Conringii* manu ſcriptæ, quas auditoribus ſuis in calamum di-
ctavit. Eas ſub textu collocatas deprehendimus cum hoc ſigno:
*C. A. M.* i. e. *Conringii annotat. manuſcripta*, ubi monendus eſt
Lector, imperitia corrigentium a pagina 148 usque ad 181
pro *annot.* ſcriptum eſſe *annal.* Ceterum extant & ejusdem
Autoris ſupplementa Libri I, quæ, eo adhuc vivente, A. 1680
primum, poſtmodum vero ſub nomine Libri IV A. 1693, acce-
dentibus in hac editione annotationibus incerti Autoris, de no-
viſſimis finium mutationibus, quæ per pacem Pyrenæam, Aquis-
granenſem, Neomagenſem, & vicennales inducias, contigerunt,
nomine Libri III inſignitis, comparuerunt; quorum illa, ſuo
cuique loco, quem illuſtrant, additis literis *C. A. E.* i. e. *Conr.*
*Annot. edita*, adjecit, has vero ad calcem ſeorſim, loco nunc ſe-
463–485. quente, exhibet. Eſt enim 5) ſub titulo: *Ad B. Hermann. Conr.*
*Tr. de Finibus Imper. German. Annotationes, ſive Liber quar-*
485–516. *tus.* 6) *Exercitatio de urbibus Germanicis, habita A. 1641,*
516–528. *Reſp. Gerhard. Bode, Hamb.* 7) *Exercit. de Germanici Im-*
*perii Civibus, habita 1641, Reſp. B. Chriſtoph. Guil. Blume,*
528–542. *Wolferbyt.* 8) *Exerc. de Imperatore Romano Germanico, hab.*
543–614. *1641, Reſp. Bogiſlao Ottone ab Hoym, Equ. Pomer.* 9) *Diſſer-*
*tatio de Capitulatione Cæſarea.* Sequuntur nunc ſcripta, quibus
controverſia inter Electores Moguntinum & Colonienſem de
Jure coronandi Regem Romanorum expenditur, ſive *Conrin-*
614–634. *giana*, ſive aliorum Autorum, & quidem 10) *Diſſ. de Jure con-*
*ſecrandi Reges Romanorum, quo alterum Colonienſe ſcriptum*
*expenditur.* Quæ, uti videtur Cl. *Gœbelio*, oppoſita eſt reſpon-
ſioni Colonienſi, mox nominandæ, Autore *Boineburgio.* 11)
635–656. Tres Deductiones, vernacula lingua conſcriptæ, & jam A. 1654
Bononiæ in 4 junctim editæ, quæ titulum habent: *Jus co-*
*ronandi Regem Romanorum*, quarumque prima: *Kurze Infor-*
*mation, warum Ihro Churfürſtl. Durchl. zu Cölln den Actum*
*coronationis Regis Romanorum vor Ihro Churfürſtl. Gnaden*
*zu Mäynz zu verrichten gebühret*, de A. 1653; ſecunda:
*Churfürſtl. Mäynz. Antwort auf die Chur-Cöllniſche Informa-*
*tion,*

Digitized by Google

*mation*, eodem anno edita; tertia denique: *Chur-Cöllniſche Antwort auf die Chur-Maynziſche den 8 Julii A. 1653 übergebne Erklärung in puncto juris coronandi.* 12) *Iterata Diſſertatio* p. 635-695.
*de Jure coronandi pro Electore Moguntino contra Colonienſes vindicias*, cujus Autor *Conringius* eſt. 13) *H. Conringii Aſſer-* 695-709.
*tio Juris Moguntini in coronandis Regibus Romanorum*, cui, cum tertium prodiret Helmſtadii A. 1664, ipſas pacti hac de re inter eminentiſſimos Moguntinum & Colonienſem Electores tabulas, A. 1657 ſubſcriptas, addidit *Conringius.* 14) *Her-* 709-739.
*mannus Conringius ἐλεγχόμενος, ſive Strictura in Aſſertionem Juris Moguntini in coronandis Regibus Romanorum, Autore Petr. a Streithagen, Heinsbergi ac Cranenburgi Canonico.* 15) 739-764.
*Iteratæ Vindiciæ Juris coronandi Reges Romanorum pro Archidiœceſi Colonienſi Bonnæ A. 1656*, quarum Autorem, præeunte *Petr. a Ludewig* in Comment. ad Aur. Bull. Conſult. *Gabelius Joannem Petrum Winzlerum* quendam, J. U. L. fuiſſe, conjicit.
16) *Iteratarum Vindiciarum Juris coronandi pro Archidiœ-* 765-785.
*ceſi Colonienſi examen*, quo præcedentem Tractatum refutavit *Conringius.* 17) *Anticonringiana defenſio Juris Colonienſis in* 785-794.
*coronandis Regibus Romanorum contra Hermanni Conringii Aſſertionem Juris coronandi primam & alteram auctiorem Bonnæ A. 1656.* Denique 18) *Caſtigatio libelli, cui titulus: An-* 794-811.
*ticonringiana defenſio Juris Colonienſis in coronandis Romanorum Regibus*, in cujus concluſione ſimul *Petr. a Streithagen* Stricturarum Autorem breviter refutat *Conringius.* Isque finis hujus litigii fuit. Sed & incidenter alium ſibi de alia quæſtione paravit adverſarium, dum aſſeruit, coronam Germanicam, qua hodie Imperatores coronantur, non eſſe Caroli M. cujus corona per Ludovicum II in Italiam translata ſit, ſed Conradi I, quam morti vicinus Henrico Aucupi per fratrem Fridericum offerri curaverit, quod refutandum ſibi ſumſit *Wagenſeilius* in ſuo de Civit. Noribergenſi Tractatu p. 242. 19) *Conringii Vica-* 811-836.
*riatus Imperii Palatinus defenſus A. 1658.* Hanc domus Palatinæ cum Bavarica contentionem ſuccincte expoſuit Clar. *Gæbelius* in Præfat. nec non prima ad hunc *Conringii* Tractatum annotatione. 20) *Bericht von des Hochfürſtl. Hauſes Braun-* 836-841.



Digitized by Google

*ſchweig Lüneburg hohen Vorfahren, Gerechtigkeiten, und*
p.844–984. *würckl. Beſiz über die Grafſchafft Stade.* 21) *Gründl. Bericht von der Landes-Fürſtl. Erzbiſchöffl. Hoch- und Gerechtigkeit über die Stadt Bremen, worinnen erwieſen, daſs dieſelbige ſeither dero Nahmen bekannt geweſen, biſs auf den heutigen Tag, ſich niemahls eines immediat unſtreitigen Reichsſtädtiſchen Prædicats noch Regierung gebrauchet, auch niemahls für eine Kayſerl. freye Reichs-Stadt gehalten, &c. Zur Antwort, auf einen von ihnen den Bremern hochgeſchäzten, zwar für langen Jahren durch ihren geweſnen Bürgemeiſter, weyland Heinrichen Krefftingh, der Rechten Doctorn, aufgeſazten, aber allererſt für wenig Jahren kund gewordnen Diſcurs A. 1652*, quam, variam eruditionem jurisque Germanici rariora referentem, Commentationem, *Conringio*, teſtimoniis aliorum doctorum virorum, & producto in medium conſilio ejusdem *Conringii*, cui titulus: *Gründl. Bericht von des Hochfürſtl. Hauſes Braunſchweig Lüneburg Vorfahren Gerechtigkeit bey der Stadt Bremen*, in quo ad illam, tanquam ſuam, iterato provocatur a *Conringio*, vindicat, aliaque octo ad hanc quæſtionem facientia
984–989. ſcripta indicat *Gœbelius* in Præfatione. 22) *Conſilium an Friederich Wilhelmen Churfürſten zu Brandenburg wegen ſeiner*
989. *Länder.* 23) *Conſilium de maris mediterranei dominio & commerciis Regi Chriſtianiſſimo.* Quod cum tribus proxime antecedentibus ex manuſcriptis prodidit Autor hujus Collectionis.

T.II. p.1–4. Tomo II exhibentur: 1) *Conringii Annotationes ad Præfationem, Libris Polit. Ariſtotelis præmiſſam*; ipſa Præfatio
5–22. cum Tractatu de Finibus Germaniæ Tom. I ſociata. 2) *Diſſ.*
22–223. *de Republica Imperii Germanici communi.* 3) *De Republica Romano Germanica Liber unus, Autore Lampadio, JCto, cum annotatis H. Conringii ad Partes priores duas, ac tertiæ Capita VII.* Quod Opus Chriſtiano V Daniæ Regi inſcriptum. Extorſit etiam Cl. *Gœbelius* Commentatiunculas *Conringii* ad reliqua P. III Capita, notis Autoris adhuc deſtituta, ex manuſcripto quodam, quas textui addidit. Ceterum acceſſerunt
223. ejusdem *Lampadii* explicatio L. 2 C. de Uſucap. pro hærede,

Digitized by Google

de, quæ breviſſima eſt; item ejus de natura nummi Diſcurſus; p. 224–227.
nec non *Jac. Aug. Thuani* Germanicæ Reip. deſcriptio ex L. 227–230.
II Hiſtoriar. excerpta; ac denique *Jac. Lampadii* de Majeſta- 230–237.
tis Civilis autoritate & officio circa religionem Opuſculum
poſthumum. 4) *Conringii Diſcurſus ad Lampadium poſterior,* 238–467.
*ex manuſcripto editus*, quem ex Bibliotheca Sereniſſ. Haſſiæ
Landgravii, beneficio Cl. *Schminkii*, Bibliothecarii ejus, adeptus
eſt Autor noſter, quique Diſcurſus mere Academicus ex ſcholis
*Conringii* eſſe videtur. Invenimus cohærere huic: *Jura &* 461–463.
*prærogativas Electorum de menſe Julio A. 1662*, una cum bre-
vibus animadverſionibus *Conringii*; nec non brevem expoſi-
tionem; *Was es mit den Reichs-Vicariaten vor eine Beſchaf-* 463–466.
*fenheit habe, und wem dieſelbe an dem Römiſchen Reiche zu-*
*komme.* 5) *Conringii de Pace Civili inter Imperii ordines religio-* 467–566.
*ne diſſidentes perpetuo conſervanda, Libri duo, quorum poſte-*
*riore jura & pax Imperii ab Innoc. X Papæ criminationibus*
*vindicatur*, liber aureus. 6) *Cenſura Diplomatis, quod Ludo-* 567–698.
*vico Imperatori fert acceptum Cœnobium Lindavienſe.* Tulit pro
hoc Opere *Conringius* præmium 1000 Imperialium & lautiſſi-
mam arrham. Occaſione hujus Schediaſmatis *Gebelius* doctiſ-
ſimus non modo in Præfatione generali ad hunc Tomum bel-
lum literarium de fide & autoritate Diplomatum breviſſime
exponit, ſed & inſtituerat, ſpeciatim, & de hiſtoria Diploma-
tum, & de arte Diplomatica, duabus Diſſertationibus præfari,
quod, cum aliis diſtentus negotiis diſtulerit, breviter de utro-
que themate loco introductionis tractat. Veniunt nunc octo
Diſſertationes Academicæ *Conringianæ*; ſcilicet 7) *de Conſtitu-* 699–755.
*tione Epiſcoporum Germaniæ*, hab. 1647, R. *Henr. Jul. Blume*,
Hannover. 8) *De Juribus & Comitiis Imperii German.* hab. 755–765.
1643. R. *Georg. Adamo Struvio*, Magdeb. 9) *de Officialibus* 766–777.
*Imperii Rom. Germ.* hab. 1669; R. *Conr. Frid. von Burgſtorf*,
Equit. March. 10) *de Septemviris Electoribus Regni & Imper.* 777–789.
*Germanor.* hab. 1644; R. *Henr. Wilh. Pape.* 11) *De Comitiis* 789–818.
*Imper. German.* 1666; R. *Arn. Henr. Engelbrecht.* 12) *De Præ-* 818–839.
*cipuis Negotiis in Conventibus Imper. German. ordinum olim*
*& hodienum tractari ſolitis*, h. 1666; R. *Jo. Caſp. Beker.* 13) 840–864.
*De*

Digitized by Google

*De nomothetica ſeu recta Legum ferendarum ratione, & in ſpecie de Legum conſtitutione in Imper. German.* 1643; R. *Jo. Adam*
p.864–899. *de Hammerſtein*, Nob. Weſtph. 14) *de Judiciis Reipubl. German.* 1647; R. *Chriſt. Ulr. v. Burgſtorf*, Equ. March. Illas Diſ-
900–916. ſertationes excipiunt ſex manuſcripta, & quidem 15) *de Jure Publico Regni Sueviæ liber ſingularis.* Quem manu ſcriptum Illuſtr. *de Alvensleben*, S. R. M. Pruſſicæ a Cubiculis, eidem
917–937. liberaliter exhibuit. 16) *Bericht, wie es mit dem Recht der Engeländer Fiſchereyen auf der Norwegiſchen und Iſsländi-*
937–952. *ſchen Seen eigentlich bewand.* 17) *Ohnmaſsgeblicher Vorſchlag von Aufnahme Ihro Königl. Maj. zu Dänemark und Norwegen Königreich und andern Ländern, vermittelſt dreyen groſſen Fiſchhandlungen*, quæ Diſſertatiuncula mere eſt œconomica,
953–966. non erudite conſcripta. 18) *Ohnmaſsgebl. Bedencken von ſtets währender Erhaltung der neuen Erb-Monarchie des höchſtlöbl. Königreichs Dänemark*, occaſione Monarchicæ ſucceſſionis in eodem Regno A. 1661 ſtabilitæ, datum. Debemus ex tribus his pro juribus Regni Danici conceptis Conſiliis primum
966–972. Conſ. *Kreſſio*, reliqua Cl. *Treuero.* 19) *Ohnmaſsgebl. Gedancken von der Stadt Braunſchweig, aus ſchuldigſter Treue aufgeſazt und unterthänigſt übergeben A. 1662 den 4 April.* 20)
973–1077. *Nic. Machiavelli Princeps, cum Animadverſionibus politicis*
1078–1088. *Herm. Conringii.* 21) *Vita Caſtruccii, a Nic. Machiavello de-*
1089–1092. *ſcripta.* 22) *Modus, quo uſus eſt Dux Valentinus in necando Vitellotio, Vitellio, Liverotto Firmano, Domino Paulo & Duce Gravinæ Urſinis, deſcriptus a Nic. Machiavello.* 23) *Herm. Conringii Diſſ. de Conſervatione regnorum.*

## *UBBONIS EMMII HISTORIA NOSTRI temporis. Opus poſthumum, nunc primum ex MSS evulgatum.*

Grœningæ, apud Jacobum Sipkes, 1732, 4.
Alph. 1 pl. 23.

MAgnum *Ubbonis Emmii* in republica literaria nomen & doctrina excellens ſalivam eruditis movere facile poterat

Digitized by Google

rat videndi Opus, quod de rebus ſui temporis inchoatum reli-
quiſſe ferebatur. Rem igitur fecerunt hiſtoriarum Friſica-
rum ſtudioſis gratiſſimam, qui libellum, non niſi in paucorum
ſcriniis deliteſcentem, ut alios deſcribendi labore levarent, nu-
per publicæ luci expoſuerunt. Quo officio ut eo diligentius
defungerentur, contulere tria, quæ nacti ſunt, exempla, quorum
unum jam olim a Viro docto prelo fuit deſtinatum, eoque
labore ſe hoc Opuſculum multo plenius & emendatius effeciſſe
contendunt. Atque ſi tractationem ipſam intueamur, erunt
fortaſſis, quibus non immerito diſpliceat titulus Hiſtoriæ, ſive
ille ab ipſo inditus ſit *Emmio*, ſive ab editoribus adjectus. Cum
enim hiſtoria eſſe debeat ſimplex factorum rerumque geſta-
rum narratio, in hoc libello deprehenderes continuam & non
ſine acerbitate ac vehementia quadam propoſitam ordinum &
præſertim Embdanæ civitatis defenſionem. Nimirum a primo p. 2.
Comitatus ſtatu orſus, libertatem prædicat, qua & nobiles &
oppidani & ruſtici, etiam cum aliqua præ reliquis Germaniæ
terris prærogativa, gaviſi ſint. Poſtea refert, Ubricum Greet-
zylanum in diſſidiis civilibus Capitaneum electum, & inde A.
1454 a Friderico III Imp. non optimo jure Comitem creatum
eſſe, conſervatis tamen libertate & privilegiis tum populi uni-
verſi, tum præſertim civitatis Embdanæ. Quæ quamvis & ſuc-
ceſſores illibata conſervare debuiſſent, primos tamen, arrogata
ſibi dictatoria poteſtate, frangere & debilitare omnia conatos eſſe
Edſardum & Ennonem Comites. Ab iis enim multa circa 7.
bona monaſtica & Eccleſiarum res, judicia etiam, tributa & ve-
ctigalia, Embdæ aliorumque oppidorum & plebis ruſticæ liber-
tatem, nova & cum recepto more pugnantia eſſe tentata. In- 8 ſeqq.
de orto inter Edſardum & Joannem fratres diſſidio, quo & or-
dines ipſi fuerint diſtracti, detuliſſe hos querelas ad Imperato- 11.
rem, qui, re commiſſa Duci Brunſvicenſi & Comiti Lippienſi,
ſententiam tulerit, ad cohibendos Comitis auſus comparatam.
Hac etiam violata, rediiſſe eosdem Commiſſarios, cognoviſſe
cauſam, & varia, quibus confirmarentur ordinum jura & privi-
legia, decreviſſe. His iterum neglectis, itum eſſe ab utraque
parte ad Cæſarem, qui falſis Comitis criminationibus motus,

ſevero in ordines & Embdanos præſertim mandato quietem
p. 19. usque ad plenam cauſæ diſcuſſionem imperaverit. Poſtea in
rebus præſertim Eccleſiaſticis multa temere a Comite eſſe in-
novata, adeoque turbatos Embdanos, ut curiam, portas, por-
tus, &c. occupare neceſſe duxerint. In his motibus ordines
fœderatarum provinciarum generales, cum ab ipſis Comes au-
xilia contra civitatem peteret, obtuliſſe ſe ad compoſitionem
litium conciliandam, id quod etiam ad effectum d. 15 Julii A.
1596 ſit perductum in caſtello Deltzylenſi. His ordine re-
27 ſeq. cenſitis, capita tranſactionis primaria *Emmius* perſequitur, ſi-
mulque enarrat, ut Comes mandato & decreto proviſionali (de
quo modo dictum eſt) Cæſareo abuſus, multa iterum præter
fas tentaverit, &, quamvis a Comite Lippienſi, denuo in Friſiam
harum rerum cauſa miſſo, monitus, via, quam ire cœperat, per-
rexerit, adeo ut etiam ab Imperatore per legatum reſciſſionem
pacti Delfzylenſis flagitaverit. Hæc, pergit *Emmius*, infelici-
us ceſſiſſe Edzardo, qui ordinum victoriam ſententia Cæſarea
ablatam evertere fruſtra conatus, has inter turbas obierit. Inde
39. ad res Ennonis delatus, filium veſtigiis paternis inhæſiſſe oſten-
dit, ubi primum prolixius verſatur in deſcribendis conventus
44 ſeq. Auricani actis, quippe ex quo fonte reliquarum diſcordiarum
pars haud exigua demanaverit. Succedit his novorum mo-
tuum deſcriptio, ut utraque pars, Comes & Embdani, circumtu-
lerint arma, ut hi arcem Grethanam, caſtellum Longanum,
aliaque loca, occupaverint, & ut denique mutuis digladiationi-
bus finem fecerit conciliata intercedentibus ordinibus fœdera-
66. tis transactio Hagenſis de A. 1603 d. 14 Aprilis. Cujus etiam
præcipuis momentis expoſitis, narrare pergit Autor, novas mox
emergiſſe lites, præſertim de præſidio Embdano, de ære publi-
co, de conſtituendo Quæſtore generali, in quibus pleriſque no-
bilitas a ceteris ordinibus ſejuncta cum Comite fecerit. Tra-
ctatum eſſe his de cauſis Marienhovæ, & poſt varias artes, qui-
106 ſeq. bus id, quod intenderat, obtinere conatus eſſet Comes, Decre-
tum ab eo tandem publicatum eſſe, duorum ordinum ſenten-
tiis plane contrarium, nobilitati conducibile, reliquo populo
perquam oneroſum. Acceſſiſſe, quod Comes militem ex pa-
ctis

Digitized by Google

ctis dimittere noluerit, & Embdanis commeatus nautici literas negaverit, imo palam & occulte negotiationem nauticam graviſſimis preſſerit incommodis. Re iterum ad Belgicos ordines delata, Comitem ab eis quoad hæc & alia gravamina monitum, nihil a priſtina ſententia receſſiſſe, præſertim cum aliquam ſpem collocaſſet in fortuna exercitus Hiſpanici, vicina loca tunc pervagantis. Adveniſſe eo tempore legatum Britannicum, a Rege ſuo ad componendas lites cum literis, ad Comitem æque ac Embdanos directis, miſſum. Hujus ſtudia prolixe deſcribit Autor, graviter conquerens, quam ignarus univerſi negotii ad decidendam controverſiam venerit legatus, p.132–161. quam ſervierit aulæ, & quam iniqua præcipue conſilio *Thomæ Franzii*, Cancellarii, ab Embdanis & tertio quoque ordine poſtulaverit. Diſceſſiſſe eum tandem re infecta, Comitem vero, Hiſpanicarum copiarum vicinitate fretum, in augendo milite ſuo, vectigalibus etiam & tributis aggravandis, ſubditisque ſuis milite Hiſpano vexandis, ſtrenue perrexiſſe. Miſſum ab eo poſtea in Angliam *Thomam Franzium*, qui Embdanis falſis criminationibus odium regis contraheret; hos autem, patrocinantibus ordinibus Belgicis, literis, ad regem datis, eo rem perduxiſſe, ut ipſi novum colloquium, cui legatus ſuus *Wynwodus* 185. iterum intereſſet, haberi placuerit. Hujus colloquii acta, poſtulata utriusque partis, & ſententiam Legatorum, ordine deſcribit *Emmius*, iisque expoſitis, alia commemorat, quæ litibus 198 ſeq. paulisper ſopitis de pecunia in ſtipendia militum a Comite dimittendorum ſolvenda, & de modo ſatisfaciendi fratribus Comitis Joanni & Chriſtophoro, acta ſint. Prolixum foret, ea ſingula recenſere, quæ poſtea inter Comitem & Embdanos diſputata narrat Autor, quorum præcipua momenta eo redeunt, quod Comes jura omnia ſubditorum Decretis Cæſareis & transactionibus Deltzylenſi ac Hagenſi munita everſum iret, ſubditos militibus peregrinis vexandos permitteret, de iis, qui per fraudulentas ipſius literas in Hiſpania captivi facti erant, liberandis nihil laboraret; quibus accedunt nonnulla alia, de ſacramento, a præſidio Embdano, antequam ſtipendia ſolverentur, poſtulato, imo de dimittendo univerſo illo præſidio, magna



Digitized by Google

p. 302. animorum contentione agitata. Rediit res demum ad novum colloquium, Hagæ inſtitutum, cui, præter utriusque partis legatos, interfuere adhuc *Spencerus* & *Wynwodus* a Magnæ Britanniæ Rege, & nonnulli ab ordinibus Belgicis ad id delegati. Cujus prolixiore deſcriptione finem Autor imponit tractationi ſuæ, a regimine Edſardi Comitis usque ad A. 1608 deductæ, & ita diſpoſitæ, ut, quæ ſingulis menſibus imo & diebus acta ſint, ordine recenſeantur. Ceterum, quod in hoc librorum genere primum eſſe debet, ut ſciamus, quo quæque fundamento, quave autoritate, ſingula narrentur, de eo quidem id ex Editoribus intelligimus, quod ex literis amicorum familiarium, nec non ex relationibus eorum, qui aut conventibus publicis & conſiliis interfuerint, aut legatione quadam functi ſint, ſua hauſerit *Emmius*. Quod cum in dubium vocare nolimus, illud certum tamen non eſt, an omnes dicendi genus acerbum & ſæpius efferveſcens æque ſint probaturi. Hæc omnia tamen non impediunt, quo minus libellum iis dicamus fore utiliſſimum, qui originem diſſidiorum eorumve motus ſub Edſardo & partim Ennone Comitibus, inprimis autem Embdanarum partium argumenta, cognoſcere cupiunt.

***JAC. WILH. IMHOFII NOTITIA S. R. G. I. Procerum, tam Eccleſiaſticorum, quam Secularium, Hiſtorico-Heraldico-Genealogica, ad hodiernum Imperii ſtatum accommodata. Editio quinta; ſtudio & opera JO. DAV. KOELERI, Hiſt. & Polit. P. P. & Bibliothecarii in Academia Altorfina.***

## *Tomus I.*

Tubingæ, ſumtibus Jo Georgii Cottæ, 1732, fol.

Alph. 3 pl. 18.

QUod a primis incunabulis ſuis adeo ſe probaverat ſocietati literatorum & in univerſum hiſtoriæ patriæ indagatoribus, Opus *Imhofianum*, ut intra paucos, ex quo lucem primum viderat, annos quater ejus iterata fuerit editio, nunc, ubi multa

in

in illo invenirentur, quæ antiquitatis ſpeciem induerant, quæque intervallo temporis fuerant immutata, (ultima enim editio jam A. 1699 publicata ſtudio & opera Cel. *Kœleri* auctius reviviſcit & limatius. Ipſe enim Ill. Autor cum librum elegantiſſimum ad priſtinum nitorem revocare per ætatem non poſſet, octogenarius quippe, tantæque molis operi ſuſtinendo fere impar, invenit tandem virum, quo non præſtantior alter, Cel. *Jo. Dav. Kœlerum*, qui aggrederetur negotium, & hanc Notitiam S. R. G. I. Procerum nova & ad hodiernam Germaniæ faciem accommodata forma orbi redderet literato; de quo digniſſimo laboris ſucceſſore Ill. *Imhofius* in Epiſtola, Operi præmiſſa, qua in lectulo æger decumbens & morti fere proximus rebus humanis & literatorum conſortio vale ultimum dixit, prolixe ſibi gratulatur. Non eſt nobis in animo, benevolo Lectori crambem apponere recoctam, &, quod jam olim in *Actis* noſtris præſtitum, ea omnia recenſere, quæ *Imhofium* in hoc Opere habent Autorem. Licebit potius enarrare in compendio, quæ in quinta hac editione lucubrationibus debemus Cel. *Kœleri*. Monendum tamen hic, ut ajunt, in tranſitu, faciliorem inde redditam fuiſſe operam Cel. Editori, quod non ſolum inſigni variarum annotationum & epiſtolarum ſummorum virorum, varia egregia novæ editioni ſuppeditantium, apparatu a B. *Imhofio* fuerit inſtructus, ſed etiam adjutores aliquot habuerit Sereniſſimos & Illuſtriſſimos, qui non gravati ſunt, coadunata ſingulari opera novum huncce fœtum illuſtriorem reddere ac perfectiorem; quæ inuſitatæ benevolentiæ documenta Editor in Præfamine mente grata debitiſque laudum præconiis extollit. Non exigui autem laboris rem aggreſſus videtur Cel. *Kœlerus*, qui Opus hocce Genealogicum, per XXX quippe, & quod ſupra eſt, annos a nemine reviſum, nec recuſum unquam, omnibus in locis, quæ ad ſtatum noſtri temporis accommodanda erant & deſcribenda, magno innovavit ſtudio feliciterque refinxit. Hinc innumeri hic deſignantur Principes, quos ætas, qua ultima libri editio adornata fuit, nondum viderat; hinc alii multi beatorum choro adſcribuntur, qui eodem tempore clavum tenuerant rerum

 publi-

publicarum; inde tot nova capita, quæ tot familiæ, ob acquiſitam vel Principum vel Comitum S. R. I. dignitatem inter Proceres Imperii cooptatæ, jure quodam ſuo poſtulaverunt; quæ quidem inter elegantem acceſſionum delectum, quem ſpartam hanc obeunti *Kælero* e ſcriniis ſuis porrexerat Ill. Autor, illi ipſi Altorfinæ Academiæ ornamento referuntur accepta. Ita enim in fine libri V tria adjecit Capita integra, quibus Principum de Lamberg, de Turre & Taſſis, & de Trautſon, proſapias enarrat, quas intactas plane in univerſo Opere reliquerat B. *Imhofius*. Operæ ſperamus nos facturos pretium, ſi, quæ prolixius de his dicta fuerunt Cel. Editori, quantum fieri poterit, breviter commemo-
p. 496. remus. Origo antiquiſſimæ familiæ Lambergianæ derivatur a Rittersbergiis in annalibus domeſticis, e quibus aliquis ob pedis læſionem *Claudus* per jocum, *der Lahme*, cognominatus eſt, cujus filii ac poſteri *die Lamberger* dicti ſunt, & ex Auſtria inferiori in Carniolam tranſierunt, ubi ſedem fortunarum habuere diuturnam. Jam A. 1161 Volradus ac Waltherus de Lamberg citantur a *Walthero* Ratisbonenſi in Diplomate fundatæ Eccleſiæ collegiatæ Canonicorum regularium ad S. Andream. Accurata tamen ſeries Lambergiorum incipit a Wilhelmo II ſive juniore Auſtriæ, toparcha, circa A. 1355 florente, qui filios tres reliquit, totidem linearum autores, inter quas Orteneggia, a Balthaſare filio deſcendens, omnium ampliſſima honoribusque variis eſt cumulatiſſima, quippe ex qua orti Principes Lambergii. Ex quorum progenerationis ſerie, quam totam enarrare nobis integrum non eſt, præ ceteris eminent Caſparus, qui natus A. 1492, mortuusque A. 1543, impetravit ab Im-
497. peratore Liberi Baronis titulum, Jo. Maximilianus, quem Imperator Ferdinandus II cum omnibus poſteris in Comitiis Electoralibus A. 1636 Ratisbonæ in numerum S. R. I. Comitum allegit, & condendæ pacis cauſa Monaſterium & Osnabrugam mi-
499. ſit, Leopoldus denique Matthias, cui Imperator Joſephus A. 1707 locum inter S. R. I. Principes conceſſit. Gaudet præterea Sereniſſima hæc domus variis dignitatibus hereditariis, quales ſunt Præfecti ſtabuli in Carniola & Marchia Vinidorum, Camerarii & rei venatoriæ Magiſtri in Auſtria ſuperiori, &

Dapi-

Digitized by Google

Dapiferi Epiſcopatus Salisburgenſis. Ampliſſimæ gentis *Turrianæ*, generalis veredariorum per Imperium, Burgundiam & Belgium, Præfecti hereditarii dignitate inclutæ, antiquiſſimum caput habetur *Eriprandus* ſive *Heribertus de Turre*, qui ſeculo circiter duodecimo ex Gallia tranſiit Mediolanum, ibique conjugio, cum filia unica *Tacii*, Domini Vallis Saxinæ,(Ital. Valſasſina,) inito, ſedem ſibi ſtabilivit fixam. Sufficiet, præter Lamoralum Turrianum, qui A. 1313 per adverſam civium factionem a ſolo patrio extorris ſeceſſerat in vallem Corneliam vicinorum Bergomatum, ac ob venationes fere continuas in adjacente Taxo monte, nomen ſortitus erat *Taxii*, a poſteris deinde ad noſtram ætatem continuatum, unicum nominaſſe Franciſcum, qui pro ingenii Italici dexteritate, auſpicio & indultu Ducum Burgundiæ ac Belgii, Imp. Maximiliani ac Philippi, ejus filii, pro ſublevando fiſco in ſumtibus, curſus publici cauſa faciendis, inſtituit ſuis impenſis equos ac veredarios alere, & per eos, per brevia intervalla diſpoſitos, transvectiones tam literarum Principis ac curiæ, quam curſorum publicorum ejusdem, celeriter ac gratis curare, mercatorum vero & privatorum epiſtolas ac faſciculos pro modico pretio. In cujus laudabilis operæ præmium non modo proventus inde redundantes illi addicti, ſed ſummum etiam veredariorum magiſterium aulicum fuit delatum, quod deinde multis honorum generibus auctum, hereditatis quodam jure ad ejus poſteros pervenit. Inter hos Leonhardus I, S. R. I. Liberi Baronis, Leonhardus II Comitis Imperii, Principis denique dignitatem Eugenius Alexander fuit conſecutus. Prolixiori hic recenſione hiſtoriæ Sereniſſimæ hujus gentis ſuperſedere facile poſſumus, juſtis quippe Commentariis expoſitæ a Duumviris ad hoc genus ſcribendi maxime idoneis, *Julio Chiffletio*, ac *Engelberto Flachio*, ex quorum ſcriptis, uti quidem libere confitetur, ſua etiam hauſit Cel. Editor. Nunc ubi ad *Trautſoniorum* gentem progredimur, æque nobis dubium de etymologia nominis illorum, ac Lambergiorum, ſubnaſci facile poſſet, niſi in utroque obſtaret autoritas Illuſtriſſimi Com. *de Wurmbrand*, tanta ſcilicet inter Geneographos, ut, qui contra illam aliquid tentaret, audaciæ

p. 501. 502. 503.

p. 505. daciæ non levis videatur accuſandus. Debet autem ex hujus ſententia Sereniſſima *Trautſoniorum* familia ortum ſuum nobilibus viris de Matraja, qui caſtrum olim ejusdem nominis, infra Oenipontum in Comitatu Tirolenſi ſitum, tenuerunt. Ex hac gente quidam *Petrus* Principi ſuo tam carus fuit, ut ab eo in familiari alloquio ſalutaretur lingua vernacula *Trauter Sohn*, quaſi dicas *fidiſſime cariſſimeque fili*, quo ſe deinde cognomine a ceteris gentilibus de Matraja diſtinxit, atque hoc poſteris fecit peculiare. Stemmatographia eorum incipit a *Bertholdo Trautſonio*, dicto Chrell, qui vixit A. 1134. Ex poſteris ejus Joannes junior a Ferdinando I liberi Baronis, Paulus Sixtus ab
507. Imp. Rudolpho II A. 1590 S. R. I. Comitis de Falckenſtein, & Joannes Leopoldus Donatus A. 1711 ab Imp. Joſepho S. R. I. Principis mactati fuerunt dignitate. Præter has, quarum jam mentionem fecimus, Principum illuſtres domos, addidit etiam Cel. Editor numero Comitum Genealogias Comitum de Wartenberg & Stadion, de quibus non abs re erit & hoc loco pau-
603. ca attuliſſe. Kolbio-Wartenbergica gens nomen habet a Caſtro Wartenberg in agro Wasgovico prope Cæſaris Lutram. Ejus poſſeſſorem antiquiſſimum commemorant Merbodum Seniorem Wartenbergicum, florentem A. 1169, & patrem trium filiorum, inter quos ſecundo genitus Wernerus Kolbio cognominatus eſt, cujus poſteritas hic recenſetur. Lectione digna ſunt, quæ hac occaſione in adjecta nota diſputat Editor contra Cel. JCtum Halenſem, *de Ludewig*, qui in Diſſertatione de Jure poſtarum hereditario non dubitaverat ſtatuere, Wartenbergicorum in Bohemia gentem nihil differre a Kolbiana Wartenbergica in Palatinatu Rheni. Inter viros ſummos, qui ex hac
607. gente provenerunt, Joannes Caſimirus, ſummum in aula Friderici III, Electoris Brandenburgici, aſſecutus faſtigium, A. 1699 ad S. R. I. Comitis adſpiraverat honores. Gentis *Stadioneæ* ſe-
663. riem Cel. Editor enarrare orditur ab *Eitel de Stadion*, militia claro & mortuo A. 1382 vel 1392, qui ex tribus uxoribus ſator fuit duarum linearum, Alſaticæ & Suevicæ. Hæc deſcendit a filio Ludovico, finemque ejus fecit Joſephus Conradus, A. 1693 cælebs mortuus. Inter eos autem, qui a Conrado, propaginis

Alſa-

Digitized by Google

Alſaticæ radice, genus duxere, Joannes Philippus S. C. M. Conſiliarius intimus, ab Imperatore A. 1686 cohoneſtatus eſt S. R. I. liberi Baronis, & A. 1705 S. R. I. Comitis titulo. Habes hic, B. L. quæ ad exornandam hanc Operis *Imhofiani* editionem ex ſcriniis ſuis nobiſcum liberaliter communicavit Cel. *Kœlerus*, in quo tamen non acquievit, ſed varii generis notulas paſſim ſubjunxit, & ipſi hinc atque illinc textui inſeruit acceſſiones, quæ non minus, atque illæ, ad affundendam ſummorum Principum ſtemmatibus meliorem lucem faciunt. Præſtant inter cetera, quæ p. 249.
de controverſia diſſerit, inter hiſtoriarum ſuborta indagatores, de Theodorico Buzico, quem pro Sereniſſ. Domus Saxonicæ 250.
ſatore habent; varia deinde de Palatinatu Saxoniæ, quoque ordine is ad Electores Saxoniæ pervenerit, enarrat; præterea de 251.
urbe Altſtetenſi nonnulla affert. Cap. VI L. IV in ſubjunctis notulis circa ea potiſſimum occupatus eſt, quæ ad hiſtoriam Sereniſſ. domus Wirtenbergicæ præ reliquis ſpectant. Non vacat hic loci, altius omnia repetere; ſed ſpeciminis loco hæc attuliſſe ſufficiat. Unum hoc non videtur prætermittendum, Cel. Editorem varia in hac editione expunxiſſe Capita, quibus Genealogiæ gentium illuſtrium, ſuccedente tempore extinctarum, continentur. Ita deſideraveris Duces Saxo-Lauenburgicos, Eggenbergicos, Oetingenſes, Crojenſes, Comites a Criechingen, a Falckenſtein, a Cronberg, a Furſtenberg, a Sulz, a Tilly, a Wolckenſtein & Eberſtein, a Wolfſtein, & Lib. Bar. a Fleckenſtein. Dubium tamen non eſt, quin fidem ſuam, quam dedit in Præfatione, liberaturus ſit Vir celeberrimus, & non eas ſolum, quæ in antecedenti editione hujus libri inter florentes locum habuerunt, verum etiam illas, quas B. *Imhofius* plane omiſerat, domos auguſtas in Tomum ſecundum ſit rejecturus, cui & reliqua Operis *Imhofiani* Capita reſervavit, ob evitandam nimiam libri novi molem reſecta, quibus, præter alias acceſſiones elegantes, hiſtoria de origine, progreſſu ac incrementis doctiſſimi hujus Operis, nec non vita Autoris, ſupra omnem laudem poſiti, adjungentur.

RISPOSTA ALLE ANNOTAZIONI CRITICHE &c. hoc eſt,



Digitized by Google

## *RESPONSIO AD ANNOTATIONES CRIticas ſuper librum nonum Hiſtoriæ Civilis Regni Neapolitani.*

Sine mentione loci, 1731, 8.

Plag. 10.

HOſpitem certe earum omnium rerum, quæ noſtra ætate in literis geſtæ ſunt, animum circumferre oporteret illum, cui ignotum plane clariſſimi ex condita paucis abhinc annis quatuor Tomis *Regni Neapolitani Hiſtoria* Viri, *Petri Giannonii*, nomen exiſteret. Nos ipſi, locis uno pluribus de inſigni hoc Opere & invidia, quam Autori præſtantiſſimo præter meritum vehementiſſimam conciliavit, in his Commentariis expoſitum fuiſſe, bene meminimus. Probus animi candor, fides incorrupta, & ſtrenua veritatis conſectatio, rariſſimæ, ſeculi noſtri vitio, in illis dotes, qui animum ad ſcribendas Hiſtorias adjungunt, cum optimi cujusque amorem atque præconium excitare deberent, jam, mortalium iniquitate, non niſi diriſſima odia, calumnias, convicia, & quicquid his pejus excogitari poteſt, in capita Autorum confertim cumulant. O ſeclum inſipidum! o inficetum! Cepit in ſe ipſo hujus rei experimentum ad omnem, ſi qua futura eſt, poſteritatem commemorabile Conſultiſſ. *Giannonius*, ob ſcriptam hanc compari cum doctrinæ exquiſitiſſimæ facultate mentis etiam integritate patrii regni Hiſtoriam, ita malevolorum opprobriis exagitatus divexatusque, ut extremum ſibi in Auguſtiſſimi Imperatoris gratia præſidium atque tutamen relictum viderit. Hoc dum fruitur tranquille, non intermittunt ex cucullatorum ordine plures, mordaciſſimis ipſum ſcriptis impetere, nihilque reliquum faciunt, ut cum conditore, libri etiam, quem plurimi fieri par fuerat, pretium ac fama miſerrime proſcindatur. Exſtitit inter hos vel nuper demum, qui, impari ſatis congreſſu, exili trium plagularum ſchedio, quod *Annotationes criticas in nonum librum Tomi ſecundi Hiſtoriæ Civilis Neapolitanæ Domini Petri Giannonii* inſcripſit, atque Italico ſermone, extemporali fere opera, compoſuit, in lucem publicam exire juſſo, criticæ cen-

Digitized by Google

cenſuræ ſubjicere ſuſtineret, quæ dicto loco de *Normannorum in Apuliam deſcenſu*, rebusque ibidem geſtis, expoſita ſunt luculenter non minus ac vere. Fingit Anonymus ille, communicatum fuiſſe ſecum Hiſtoriæ hujus exemplar impreſſum, ad cujus Tomorum ſingulorum calcem charta virgo agglutinata fuerit, cui poſſeſſor, veteris *Normannorum Hiſtoriæ* indagator ſtudioſus, illeverit quædam annotamenta, numero ſexaginta octo, quibus examinantur perquiſitius notanturque tradita a *Giannonio*. Confeſtim prelo iſta commiſit, & non Romæ ſolum inter Pontificiæ aulæ proceres ac literatos atque Neapoli, ſed in potioribus etiam aliis Italiæ urbibus, Epiſtolæ Schemate induta, diſtribuit, hoc ſibi fine propoſito, ut, quantum poſſet, imminutum iret elegantiſſimi Operis autoritatem.

Viſum antea fuerat, generoſo contemtu vindicare atque ſilentio levioris hujus armaturæ aggreſſoris offucias. Poſtea tamen potius exiſtimatum eſt, diluere ſolida reſponſione, quæ hæc ipſa eſt, quam indicamus, quicquid importunius objectum intempeſtiveque confutatum fuerat abs Adverſario, minutias potiſſimum Chronologicas, aut alia quædam ſimilis farinæ, ridiculo cum faſtu conſectato. Singula hic momenta abs Autore ἀνωνύμῳ, qui clariſſimi *Giannonii* familiaris perſonam induit, diligenter caſtigata atque diſcuſſa, neque ſine ſale interdum ac aceto, quod meruit utique miſelli cenſoris arrogantia, ſunt; &, noſtro quidem judicio, digna omnino hæc *Reſponſio* habetur, quæ in nova *Hiſtoriæ Neapolitanæ* futura editione repetatur, in plurium ſic Lectorum uſus ceſſura.

## *HERMANNI NOORDKERKII, JCTI, Specimen Lectionum, ſive Diſquiſitio de Lege Petronia.*

Amſtelodami, 1731, 8.

Plag. 10.

SUperiore anno evulgavit hoc non invenuſtum profecto Opuſculum Cl. *Noordkerkius*, in quo rogationes *Petronias*, quas veterum libri memorant, enarrat, & ex inſtituto perſe-

quitur. Cum vero quatuor iſtius nominis leges ſibi inveniſſe videantur artis noſtræ periti, de ſingulis ſingulari Capite exponit. Cap. I. *Ciceroni* de *Offic. L. III Cap. 2* laudari videtur *Petronium* aliquod Scitum, *de Peregrinis*, ſed quod Noſter felici ſtilo confodit. Locus *Ciceronis* ſine dubio in mendo cubat, ac in *Petronii* locum ſufficiendus *Pennus* quidam. Addicunt emendationi Codices non dubiæ autoritatis; addicit *Feſti*, ſed paululum emaculati, aſſenſus; & non parum ſummorum virorum ſuffragia addicunt. Quando vero, præter *Penni Papii*que legem, aliam, in peregrinos injuriam, veterum monumenta ignorent, nec opus ſit, ut eam ex *Valer. Max. L. III Cap. 4 & 5* exſculpamus, ſequitur, ut verum ſit, quod ille pronunciat, ex Legum Romanarum numero *Petroniam de Pe-*
II. *regrinis* ejici proſcribique debere. Alius *Petroniæ* ſanctionis fundus videri poterat *l. 74 D. de Manumiſſ: Lege Juniæ Petronia* ( al. *Patronia* ) *ſi diſſonantes pares judicum exiſtant ſententiæ, pro libertate pronunciari juſſum.* Sed Noſter mavult lege *Julia patron.* id eſt *patronorum*, inſtar Juliæ agrariæ, majeſtatis, judiciorum. Ipſam legem non de æqualibus numero ſingulorum judicum ſuffragiis accipit, propterea quod, ſi hoc evenerit, jam ex ipſis decemviralibus tabulis, qui pro libertate agebat, diſceſſit ſuperior. Videtur illi hoc Scito id voluiſſe Cæſar, ſi quis non una vice in libertatem aſſertus, & altera aſſertione liber judicatus fuerit, altera ſervus, aut totidem certe ingenuus, quot ſervus habitus erat, tum omnino pro libertate dandam eſſe litem. Addit, in *l. 38 de re jud.* D. Pium ſtatuiſſe videri, ſi per diviſa Centumvirorum ſubſellia pares utrinque perferantur ſententiæ, etiam tunc illam partem vincere debere, quæ pro libertate decernit. *Tertia*
III. eſt de *Servis*, & cohibenda dominorum ſævitia. Quam Autor omnium optime ab Auguſti ætate arceſſi contendit Legem enim, quæ poſt ea, & Tiberii potiſſimum, tempora, lata ſit, agnoſcit nullam; &, quæ credi ſolent juniores, aut ad Claudii usque ætatem latæ, *Scribonias*, *Juniam Vellejam*, aliasque complures, antiquiores longe eſſe exiſtimat. His alia quædam addit, quæ vel ad legis hujusce, vel generatim ad Domi-

nicæ

Digitized by Google

nicæ poteſtatis, limitibus juſtis circumſcriptæ, hiſtoriam, pertinent. *Poſtremo* loco aliam *Petroniarum* legum, eam ſcilicet, quæ eſt de *abolitione criminum*, explicat, eaque occaſione abolitionis hujus fata recenſet, & docet, hac legislatione effectum eſſe, ut is, qui uxoris adulterium jure viri detulerit, nec tamen intra tempus definitum peregerit, & pœnas daret, & ulterius deferre non poſſet. Cap. IV.

## *HERMANNI NOORDKERKII, JCTI, Obſervationum Decas, in quibus varia juris Romani capita exponuntur aut emendantur.*

Amſtelodami, 1731, 8.

pl. 13.

Alterum hoc Cl. Autoris Opuſculum farraginem Obſervationum non omnino inelegantium exhibet, earum potiſſimum, quæ ipſi, legis *Petroniæ* hiſtoriam meditanti, in mentem venerunt. Nos quædam inde delibabimus. *Capitis I* fundus eſt *l. un.* §. *2 D. de Offic. Conſ.* cui cum *Cujacius* ope ſiglorum ſubveniſſet, Noſter inde, cum de ipſo hoc, ſigla ſibi & verborum compendia, ubicunque aqua hæret, fingendi pruritu generatim agit, ac certis quibusdam regulis hoc emendationis genus includit, tum hoc loco fruſtra adhiberi monet. Ipſam legem vero ope ſalutaris illius geminationis arcani ita legit: *Ex Senatusconſulto, cum conſilii* (lege *CVM ſilii*) *cauſam examinat*. *Cap. III* capitali illi, & quæ in JCtorum opprobrium & cruciatum poſita dicitur, *l. 7 de capite minutis* unius voculæ jactura ſuccurrit, atque, *tutelas etiam non admittit* (pro: *amittit*) *capitis deminutio*, legi debere cenſet. *Cap. IV*, præterquam quod multum operæ impendit *l. 18 ff. de minoribus* emendandæ partim, partim explicandæ, non indocta monuit de verbis, *inducere, conſiliari*, aliisque; de *auditorio principis*, de quarundam, quibus JCti utuntur, *vocum* immerito damnata *latinitate*, &c. *Cap. V l. 3 D. de ſepulcr. Violat.* exponit, quæ cum adſcribat *D. Pio*, quod *Capitolinus* tribuit *Hadriano*, multus eſt in eo, ut, qua id ratione contigerit, doceat,

 ac

Digitized by Google

ac profliget ſententiam eorum, qui *Hadriani* nomine *Antoninum Pium* in legibus noſtris nonnunquam intelligi putant, *Cap. IX* ad *l. 7 §.ult.D. ad L. Jul. Majeſt.* commentatus, occaſionem legis ex iis,quæ habet *Lampridius Helogabal.Cap. 13*, deducit ac de crimine majeſtatis, quod facto committitur, ejusque a verbis diſcrimine exponit, ac violatas Imperatorum imagines in militibus propterea ſeverius vindicatas refert,quod plerumque defectiones militum inde principium capere ſolebant. Quæ cum ita ſint, conſtabit ex his de Obſervationum harumce & emendationum pretio & loco, quas quidem, præter elegantiam & doctrinam, vel ipſa, quam Autor ſervat, & pæne dixerimus affectat, modeſtia, & erga Viros primi ordinis reverentia ſatis, quod arbitramur, commendat.

## *ELEMENTA JURIS CANONICI ET Proteſtantium Eccleſiaſtici*, *adornata a JO. GEORGIO PERTSCH, JCto. Pars prior & poſterior.*

Francofurti & Lipſiæ, 1731, 8.

Alph. 1 pl. 9 ½.

QUatuor libris abſolutæ ſunt hæ Inſtitutiones Juris Eccleſiaſtici, confectæ a Viro doctiſſimo, JCto Jenenſi,& Conſiliario Saxonico. Horum in primo, poſtquam Jurisprudentiam Eccleſiaſticam conſideravit generatim, deque origine ac diviſione legum Eccleſiaſticarum, itemque de Jure Principum circa ſacra, diſſeruit, de Jure perſonarum agit, adeoque ſingulos Clericorum ordines eorumque jura perſequitur. Et in *ſecundo* quidem *Capite* breviter exponens hiſtoriam Juris Eccleſiaſtici, obſervat, tempore Chriſti & Apoſtolorum nullas fuiſſe leges Eccleſiaſticas, nec tamen Eccleſias eo tempore caruiſſe ordine, eoque vel arbitrario, vel ab Apoſtolis ſibi commendato, ſed directionem Eccleſiarum tum non fuiſſe conjunctam cum imperio ſtricte dicto; poſt Apoſtolorum exceſſum ſenſim imperium ſive jurisdictionem irrepſiſſe in Eccleſiam ambitione Epiſcoporum, nec iis eam fuiſſe ereptam a Conſtan-

Digitized by Google

ſtantino M. aliisque Chriſtianis Principibus. Hinc Canonum Eccleſiaſticorum Collectiones, e quibus tandem conflatum eſt Corpus Juris Canonici ſive Eccleſiaſtici, ordine recenſet, ac ſimul oſtendit, quam aſtute Epiſcopi Romani in ſe tranſtulerint ſummum ſacrum imperium. Addit, *Luthero* impetum in Jus Canonicum faciente, id acriter tutatos fuiſſe JCtos Wittebergenſes, & illas quoque retinuiſſe leges, quæ non conſentiant cum Proteſtantium dogmatibus. *Cap. II* de natura Eccleſiæ agens, primo docet, Pontificiis Eccleſiam eſſe Monarchiam ſacram a civili republica diverſam, ſed ita tamen cum ea conjunctam, ut utatur multis in caſibus miniſterio eorum, qui præſunt imperio civili. Horum in caſtris militare ait & illos noſtratium, qui ſeparatum ſtatum faciunt ex Eccleſia, de forma regiminis Eccleſiaſtici diſputant, Clericorum & Laicorum diſcrimen propugnant, & miniſterio Eccleſiaſtico quandam gubernationem aſſignant. Ipſe naturam Eccleſiæ, quatenus ſignificat cœtum externum & particularem, ita duce S. Scriptura deſcribendam putat, ut ſit ſocietas æqualis (hoc eſt, omnis imperii expers,) ad colendum Deum ſecundum doctrinam a Chriſto traditam unita, & ordine conveniente colligata. Inde conficit, Eccleſiam non eſſe Remp. quandam, ſed eſſe collegium quoddam, cui ſi ipſe Princeps accedat, tum ei ſummam inſpectionem ſive jus circa ſacra denegari non poſſe. Hinc doctrinæ quidem puritati ſimulque pietati ſtuderi debere, ſed nec illam vi adhibita cuiquam imperari, nec hanc mediis coactivis promoveri oportere: adeoque nec ferendam eſſe diviſionem membrorum Eccleſiæ in homines Clericos & Laicos, in ſpirituales & ſeculares. *Cap IV* diviſiones legum Eccleſiaſticarum exhibet, & quidem primo ex mente Romanenſium, deinde ex mente Proteſtantium. *Capite* vero *quinto* philoſophatur de jure Principum circa ſacra, quod ex eo derivat, quod Principis ſit. providere, ne collegium ullum convellat ſecuritatem publicam, nec turbas excitet. Princeps igitur ex Cl. Autoris ſententia relinquere debet cuivis collegio Eccleſiaſtico libertatem tenendi doctrinas ſuas, quæ quidem pacem civilem non turbant; nec quenquam cogere ſua religione dimiſſa ſequi

Digitized by Google

qui aliam; multo minus pœnis afficere diverſæ religioni addictos. In ea tamen Eccleſia, cujus ipſe membrum eſt, jus habet exigente neceſſitate doctrinam determinandi publicam, curandique, ut doctores Eccleſiæ conſtituantur ii, qui ſunt & docti & pietatis ſtudioſi, itemque ordinandi cultum publicum & ceremonias, bonorum Eccleſiaſticorum curam gerendi, certumque modum præſcribendi excommunicationi, non tamen propterea habendus pro capite Eccleſiæ aut Epiſcopo. Jactis hiſce fundamentis Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ, nunc demum *Cap. VI ſqq.* Cl. Autor tractanda ſuſcipit jura perſonarum Eccleſiaſticarum, ubique curate oſtendens, quibus in capitibus receſſerint Proteſtantes a doctrina Juris Canonici, ſimulque rite ponens principia, & deductas inde concluſiones ſubjungens, nec diſſimulans, nondum ex omni parte ſatis emendatas ſibi videri Proteſtantium doctrinas Juris Eccleſiaſtici. Ita *p. 97 ſq.* ordinem doctorum Eccleſiaſticorum non eſſe ſimpliciter neceſſarium, docet; *p. 104* juramenta religionis defendi poſſe negat.

In *ſecundo libro* agit pro modulo Inſtitutionum ſive Elementorum de Jure rerum Eccleſiaſticarum, ſpiritualium & temporalium, corporalium & incorporalium. Omnia vero hic turbata & obſcuris terminis involuta eſſe, queritur, ideoque non poſſe ordinem adhiberi concinnum, ſed inſiſtendum eſſe traditis Juris Canonici. Hic *p. 363* ſtatuit, legem Decalogicam de Sabbatho non eſſe moralem; *p. 360*, potius minuendas eſſe in Eccleſiis noſtris, quam augendas, ceremonias ſacras; *p. 374 ſq.* exorcismum baptismalem rejicit, in ejusque locum reduci optat unctionem; *p. 376* putat, baptismum ordinarie fieri debere in Eccleſia, non domi; *p. 377* baptismum a mulieribus peragi poſſe, non concedit; *p. 391 ſqq.* exiſtimat, in doctrina de S. Cœna multas apud nos ſupereſſe reliquias doctrinæ Pontificiæ, quæ etſi non corrumpant eſſentiam ſacramenti, tamen melius eſſe, ut Euchariſtiæ celebratio reducatur ad ſimplicitatem Apoſtolicam; *p. 407* ſcribit, Proteſtantium praxin de pœnitentia Eccleſiaſtica ita eſſe comparatam, ut concluſiones ex reprobatis principiis exhibeat; *p. 413* rejicit formulam abſo-

Digitized by Google

abſolutionis prætoriam, & *p. 414* nummum confeſſionarium, qui quamdiu ſervetur, publicam confeſſionem in Eccleſiis permanſuram eſſe, ſuſpicatur; *p. 425* cenſet, Proteſtantes plerasque concluſiones ex eo, quod matrimonium ſit ſacramentum, fluentes retinuiſſe; *p. 432 ſqq.* multa vult correcta in doctrina Proteſtantium de ſponſalibus, de nuptiis, de divortiis.

*Libro III*, quem inſcripſit *de univerſa tritura forenſi*, proceſſum forenſem per partes ſuas deſcribit. Denique *Libro IV* de proceſſu criminali agit, deque delictis ac pœnis, *hæreticos*, id eſt, a religione publica diſſentientes, non debere puniri, ſed eorum diſſenſum ferendum eſſe, contendens.

## Anleitung zur Hiſtorie ꝛc.

hoc eſt,

## *INTRODUCTIO IN HISTORIAM SCIentiæ Medicæ*, Autore GOTTLIEB STOLLIO.

Jenæ, apud Meyeri viduam, 1731, 4.
Alph. 5 pl. 11.

CUjus jam A. 1718 in his *Actis p. 558 ſqq.* recenſuimus *Hiſtoriam Philologicarum & Philoſophicarum diſciplinarum*, ejusdem Cl. Autoris nunc Lectoribus noſtris offerimus *Hiſtoriam ſcientiæ Medicæ*. Cum enim illud Opus adeo probari videret bonis omnibus, ut ſæpius eſſet prelo ſubjiciendum, imo & Latinam in linguam transferendum, (vid. in his *Actis A. 1728 p. 335*) in animum induxit, etiam ſuperiorum Facultatum, quas vocant, concinnanda hiſtoria bene mereri cum de ſua, tum de poſtera ætate. Nunc igitur ſiſtit duobus deſcriptam libris, quorum prior generalia, poſterior ſpecialia complectitur, Medicinæ hiſtoriam. Et priori quidem illo usque ad *p. 382* originem ſcientiæ artisque medicæ perſequitur ad noſtra usque tempora, præfatus tum de Medicinæ cum Philoſophia connexione, tum de ejus adverſariis pariter ac defenſoribus, tum denique de iis, qui ante ipſum hiſtoriam Medicinæ expoſuerunt ſive breviter, ſive copioſe. Jam cum ante *Hippocratem* non



Digitized by Google

videatur ars medica tractata a quoquam fuiſſe ſcientiæ modo, de hoc & ejus libris omnia profert, quæ viſa ſunt commemoratu digna. Hinc eodem modo diſſerit de Medicis *Hippocratem* conſecutis, clarioribus partim, partim obſcurioribus: inprimis de ſectarum medicarum conditoribus, *Eraſiſtrato*, *Herophilo*, *Serapione*, (autore ſectæ Empiricæ,) *Aſclepiade*, *Themiſone*, (conditore ſectæ methodicæ,) *Theſſalo*, (quem vocat *ſuæ ætatis Eiſenbarthium* ob miram jactantiam,) de diviſione ſectæ methodicæ in *Epiſyntheticos*, *Eclecticos*, & *Pnevmaticos*, quorum inter illos *Leonides* eminet, inter iſtos *Cornelius Celſus*, inter hos *Aretæus*. Hinc ordine illos perſequitur Medicos, qui ſub Romanis Imperatoribus fama artis ſuæ floruerunt, quos inter *Muſa* Auguſti, *Dioſcorides* Veſpaſiani, *Galenus* Septimii Severi, imperium illuſtravit. Et de *Galeno* quidem & ſcriptis ejus ampla ei ſe obtulit dicendi materia. Inter hujus ſectatores refert Arabum Medicos, qui ſeculo floruerunt ſexto & ſex ſequentibus. Agit igitur hic, ut clariores producamus, de *Gebero*, *Khaſio*, *Alchindo*, *Avicenna*, *Averroe*, *Joanne Meſue*. Tum Chriſtianos Europæ Medicos, qui ante ſeculum Lutheranum excelluerunt, in ſcenam producit, *Conſtantinum Afrum*, qui fundamenta jecit ſcholæ Salernitanæ, *Thaddæum Florentinum*, *Petrum Aponenſem*, *Arnaldum Villanovanum*, *Valeſcum de Taranta*, *Nicolaum Leonicenum*, & ceteros. Seculi vero decimi ſexti & ſequentium Medicos clariores recenſet ordine regionum, Italos, Hiſpanos, Gallos, Anglos, Germanos. Multus hic etiam eſt de illo mundi cymbalo, *Theophraſto Paracelſo*. Noſtri ſeculi Medicos §. *242* præfert ſuperioribus ob majorem philoſophandi libertatem & experimentorum copiam, acriorem item Matheſeos & Phyſices culturam. Inter eos, quos ex hoc noſtro ſeculo laudat, Germani ſunt *Langius*, *Francus*, *Bruno*, *Linſingius*, *Veſtius*, *Schelhammerus*, *Dolaus*, *Albinus*, *Wedelius*, *Rivinus*, *Jungkenius*, *Valentinus*, *Hoffmannus*, *Stahlius*, *Vaterus*, *Verdriſius*, *Furſtenavius*, & *Nenterus*.

Poſterior liber exhibet hiſtoriam ſingularum Medicinæ partium, cum theoreticarum, tum practicarum, Anatomiæ, Phyſiologiæ, Pathologiæ, Semioticæ, Therapevticæ, Pharmacevticæ,

Digitized by Google

ceuticæ, Chemiæ, Chirurgiæ, & Diæteticæ. Non licet nobis per brevitatis noſtræ leges hic morari. Sufficiat dixiſſe, eadem, qua ſuperior liber generalis, methodo parique induſtria hunc quoque contextum eſſe. Illud unum e Præfatione addimus, Cl. *Stollium* duo duntaxat Capita poſterioris hujus libri elaboraſſe, hiſtoriam ſcilicet Therapeuticæ & Diæteticæ; cetera deberi induſtriæ *Chriſtiani Wilhelmi Keſtneri*, Doctoris Medicinæ doctiſſimi. Supereſt, ut ſignificemus noſtris Lectoribus, jam elaborare quoque aggreſſum eſſe Cl. *Stollium Hiſtoriam Jurisprudentiæ* & *Hiſtoriam Theologiæ*, Cl. *Keſtnerum Lexicon litterarium medicum:* quibus tribus Operibus non minorem, quam ei, quod modo recenſuimus, applauſum promittere nulli dubitamus.

## *DANIELIS GEORGII MORHOFII POLYhiſtor, Literarius, Philoſophicus, & Practicus, cum Acceſſionibus Virorum Clariſſimorum, JOANNIS FRICKII, & JOANNIS MOLLERI, Flensburgenſis. Editio tertia. Cui Præfationem, Notitiamque Diariorum Literariorum Europæ præmittit JO. ALBERTUS FABRICIUS, SS. Theol. D. & Profeſſor in Gymnaſio Hamburgenſi.*

## *Tomi II.*

Lubecæ, ſumtibus Petri Bœckmanni, 1732, 4.

Tomus I Alph. 6 pl. 1½, Tom. II Alph. 5 pl. 2.

HAbent, cur plaudant ſibi poſt tantum temporis decurſum, & immortalitatem jam demum aſſecuturos ſe ſperent *Morhofiani* manes, poſtquam, qui patrocinium eorum ſuſcipiat, & edito *Morhofianæ* doctrinæ teſte luculentiſſimo, æternum iis monumentum erigat, exſtitit Vir excellentis doctrinæ, *Jo. Albertus Fabricius*. Ita de Polyhiſtore, cui multum debet ætas tam noſtra, quam ſuperior, præclare mereri Polyhiſtorem præſentis ævi incomparabilem, non intelligit tantum, ſed gaudet etiam nobiſcum, quisquis virorum optimorum par illud nobiliſſi-

liſſimum colere pro merito, & de ampliſſimis utriusque in literas meritis recte exiſtimare, didicit. Non eget laudibus noſtris Opus inſigne & eximium, cui magnificum *Polyhiſtoris* nomen inſcripſit *Morhoſius*, utpote quod omnium, qui artium bonarum ſcientiarumque fata & viciſſitudines, & quid in unoquoque doctrinæ genere præſtiterint ſcriptores laudatiſſimi, noſſe certo cupit, ad hunc usque diem teri manibus, & cum maximo eorum fructu pervolutari, quin & laudibus paſſim extolli videas exquiſitiſſimis. Neque nullius momenti eſt, ſed, quanto ſemper liber præſtantiſſimus fuerit in pretio, ſatis nos illud docet, quod, magnæ quantumvis formæ molisque Opus iteratis vicibus lucem publicam aſpexerit, tamque per terras late omnes migraverit, ut, qui novam ejus editionem expeterent, jam aliquo abhinc tempore permulti fuerint. Satisfacturus horum deſiderio, quem ad incrementa literarum vere natum omnes novimus, S. Rev. *Fabricius*, in manus reſumſit librum, ſuaque effecit cura, ut in conſpectum eruditorum jam prodierit quam emendatiſſimus. Etſi vero, quod ex multorum utique fuiſſet deſiderio, quodque præſtare, ſi voluiſſet, Vir ſummus potuiſſet feliciſſime, nihil hic additum ex ampliſſima doctrinæ ejus ſupellectile invenias, neque ſuum eſſe exiſtimaverit, in alieni Opus ingenii exercere jus ac poteſtatem quandam, & de augendis illuſtrandisve, quæ copioſe perſecutus eſt *Morhoſius*, argumentis laborare quicquam; hanc tamen, ut inſpectanti cuilibet pateſcit, ipſe dediſſe operam dicendus eſt, ut &, quæ *Morhoſianæ* debentur induſtriæ, hic legerentur integra, &, quæ addita illis ſunt a Viris nobiliſſimis, *Jo. Frickio* & *Jo. Mollero*, ipſi lector ſubjuncta Operi haberet, nec quicquam adeo, quod vetuſtioribus illis ornamento fuerat, in hac nova Editione jure poſſet deſiderari. Eandem igitur, quam ſuus illi Autor olim dederat, libri formam eundemque habitum, quin & modum tractandi eundem, ordinemque rerum, vides; &, in his ſi, quæ carpas, videris inveniſſe tibi, exprobranda hæc Autori, ſcias, non Editori, eſſe. Limam adhibere Operi, & ex ſuo ingenio hinc atque illinc expolire dicta *Morhoſii*, noviſque acceſſionibus & momentis rerum adaugere,

Digitized by Google

gere, ſi conſtitutum fuiſſet Celeb. *Fabricio*, ſane, quæ ejus eſt in his rebus eruditio prorſus incredibilis, nullum eſt dubium, facie prodıturum hoc Opus longe alia, nec ſimilem futurum ſui fuiſſe *Morhofium*, propterea quod ſcriptorum, qui vel ante tempora *Morhofii* in variis doctrinæ partibus ingenii fecere periculum, vel ab ejus inde obitu famam ſcriptis conſecuti ſunt, numerum eſſe tantum conſtat, ut, ſi *Polyhiſtorum*, qualem dedit nobis *Morhofius*, Decada ſcribas, ſcribendi nunquam deficere tibi ſentias materiam. Cui rei documento eſſe poteſt *Elenchus* ille *Diariorum literariorum*, quibus inde ab aliquo tempore res literaria aucta eſt mirifice, Præfationi ſubjunctus a Celeb. *Fabricio*; quo de argumento, pauciſſima habuit, quæ diceret, *Morhofius*, quippe in ea conſtitutus ætate, qua Diariorum ejusmodi inter eruditos parum auditum cognitumve nomen fuerat. Mirari hic vix ſatis poſſumus ampliſſimum eruditionis apparatum, & copiam ſcriptorum, numerum quadringenteſimum excedentium; ut, qui addere his aliquid, non memoratum *Fabricio*, laboraverit, is fruſtra prorſus inſumturus videatur operam. Nec autorem ſuum ipſa diſſimulat Præfatio, *Morhofiano* Operi præmiſſa, brevis ea quidem, paucasque implens paginas, at plena frugis bonæ, & ad delectandos lectores admodum compoſita. Quæ, ne forſan ſint, qui calamo a nobis ſcripta criminentur mercenario, eorum, quæ leguntur hic, potiſſima, & memoratu præ ceteris digniſſima, age, in commune conferamus, &, *Morhofiani* Operis, dudum in vulgus cogniti, intermiſſa jam mentione omni, *Fabricianis* bellariis, nove appoſitis, utamur pabulo ingeni dulciſſimo. Commemoratis laudatisque *Caſp. Barthii* & *Morhofii* in literas meritis, expoſitaque Polyhiſtoris *Morhofiani* hiſtoria, varios Noſter hiſtoriam literariam ſcriptis explicandi modos, quibus ante *Morhofium* uſos paſſim eruditos conſtat, perſequitur. Quorum quatuor cumprimis genera nominat, *Chronologicum*, *Alphabeticum*, *reale*, ſive *Claſſicum*, atque *Geographicum*. His quintum addidit *Morhofius*, idque omnium præſtantiſſimum, quod dicere *Criticum* poſſis, quodque æſtimari hoc pluris debet, quo majoris emolumenti res eſt,



Digitized by Google

ſcriptoris uniuscujusque prærogativas virtutesque præcipuas probe certoque habere cognitas. De ſingulis accurate pro more ſuo & erudite diſſerentem vides Editorem diligentiſſimum. Et temporum quidem rationem habuiſſe in pertractando hoc genere literarum unus ei dicitur *Lambecius*, qui magnum & ab ultimis initiis ad noſtra usque tempora deductum Opus meditatus, in *Cadmi Mileſii* ætate ſubſtitit, editoque *Hiſtoriæ Literariæ Prodromo*, cura *Fabricii* noſtri A. 1710 iterum in lucem exire juſſo, quanta doctrina & ſolertia ad hoc ſcribendi negotium acceſſerit, abunde eruditos docuit. Cœptam hanc a *Lambecio* telam ut pertexat tandem peritiorum aliquis ætatis noſtræ, nos cum Cel. *Fabricio* mirum in modum vehementerque optamus. Qui Lexicorum ſeu *Alphabeticum* ordinem adhibuerunt in concinnanda rei literariæ hiſtoria, primum in his numerat *Conradum Geſnerum*, Medicum Tigurinum, cujus *Bibliotheca Univerſalis* magnam continet exquiſitiſſimarum rerum copiam; ut conjectura vix aſſequi cauſam poſſis, cur, qui novis eum formis exprimi curaret, inde ab A.1545, quo primum aſpexit lucem, ad hoc usque tempus nemo exſtiterit. *Geſnerum* qui vel in compendium redigere, vel locupletare multis modis, conarentur, haud pauci fuere, in quibus non ultimo collocandi loco videntur *Conradus Lycoſthenes*, *Rob. Conſtantinus*, *Joſias Simlerus*, *Jo. Jac. Friſius*, cujus ipſius libro addita nonnulla ab *Alphonſo Ciacconio*, porro *Anton. Verdierius*, *Jo. Hallervordus*, & *Georg. Matth. Kœnigius*, quorum diverſi pretii Opera literaria notiora ſunt Lectoribus, quam ut de iis copioſe hic ſit commemorandum. Horum omnium induſtriam longiſſime ſuperaſſet *Chriſtoph. Hendreichius*, ſi, quos animo conceperat, & quorum elegantiſſimum ſpecimen nobiſcum communicavit, perficere ei per ætatem licuiſſet *Pandectas Brandenburgicos*. Pertinet huc ipſum quoque, cura *Jo. Burch. Menckenii* olim in lucem prolatum, poſtea *Chriſt. Gottl. Jœcheri* opera multis modis auctum, & ejusdem beneficio propediem in conſpectum eruditorum habitu ornatuque novo proditurum, *Compendioſum Lexicon eruditorum*, ſermone ſcriptum vernaculo, ſpatioque admodum exiguo continens erudi-

Digitized by Google

eruditorum multa millia. His omnibus quam proxime accedit inſtitutum *Alphonſi Laſoris a Varea*, ſeu, qui ſub Anagrammate hoc ſe ipſum voluit abſconditum, *Raphaelis Savonarolæ*, hominis Itali, cujus *Orbem literarium univerſum*, ſimili compoſitum ordine Alphabetico, ante aliquot annos publice promiſſum, avide jam expectamus, & *Joannis Phil. Werneri*, patria Northeimenſis, & ſcholæ Oſterodanæ ad Hercyniam Rectoris, qui ſervare in ſcriniis ſuis dicitur *Pandocheion clarorum literis virorum*, ſive *Onomatologum*, vitas reſque omnes eruditorum memorabiles complexum, &, quamprimum prodierit, huic ſtudiorum generi aliquid additurum incrementi. Adjungi his denique poſſunt *Bælii, Morerii, Hofmanni*, aliorumque, Lexica, nemini ignota, in quibus, ut res alias quaſcunque, ita etiam eruditorum hiſtorias ſtrictim & concinne videas enarratas. Ordinis *realis*, ſive *claſſici*, hoc eſt, ad diſciplinas accommodati, obſervantiſſimus fuit *Conr. Geſnerus*, idem, quem primum diximus in Alphabetico verſatum, *Pandectarum* ſive *Partitionum univerſalium* Opere, in quo ſcientiarum nobiliſſimarum, præter Medicinam, omnium ſcriptores diligenter collegit dijudicavitque accurate, non minorem, quam *Bibliotheca univerſali*, famam conſecutus. Secuti hunc poſtea temporis multi ſunt, quorum ſtudio debentur Bibliothecæ reales vel Theologicæ, vel Juridicæ, vel Medicæ; neque in his quiſquam eſt, qui præferri, ſi conſilii amplitudinem conſideres, *Martino Lipenio* mereatur, occupatiſſimo in hoc ſcribendi negotio, cujusque Bibliothecas multiplices, ſi doctioris cujusdam, quiſquis demum ſit ille, viri manu augeantur aliquando & expoliantur, nullum eſt dubium, promovendo noſtro omnium commodo tam poſſe aptas reddi, ut aliorum omnium ſuperſedere deinde labore queamus. Eorum, qui per gentes varias nationesque eundo, literarum fata ſcriptis expoſuerunt, nonnullos ætatis injuria ſurreptos nobis, haud immerito dolet S. Rev. *Fabricius*. Non enim niſi memoria nobis ſupereſt librorum triginta περὶ πόλεων καὶ ὃς ἑκάστη αὐτῶν ἐνδόξους ἤνεγκε, quos ſcripſiſſe olim fertur *Herennius Philo, Byblius* Grammaticus, Epitomesque hujus Operis,

ris, quam tribus libris *Ælius Serenus* concinnaverat, nec non *Geographiæ eruditi orbis*, a Viro quodam erudito compoſitæ ſtudio doctrinaque ſingulari, denique librorum decem, quos ſimili ſcribendi genere ab Adamo ad annum usque poſt C. N. 1501 deducere inſtituerat *Phil. Labbeus*, vir in præcipuis literarum partibus præ ceteris ſuæ ætatis ſcriptoribus laborioſiſſimus. *Jo. Andr. Quenſtedii de Patriis illuſtrium virorum* Dialogo quæ addi poſſint, fere ſunt innumerabilia. Qui patriam ſuam collaudandam, hujusque viros eruditos ſuſceperunt enumerandos, horum tanta eſt copia, ut vel ſola eorum nomina implere librum poſſint. De Germania univerſa, neminem fugit, quanta ſint merita *Jacobi Friderici Reimmanni*, & ipſius *Morhoſii*, qui egregium *de meritis Germanorum in literas* Opus paravit, ornamento futurum ſummo Germaniæ noſtræ, niſi occupatiſſimum jam in eodem elimando Autorem ad beatas ſedes evocaſſent Superi. Alios, qui provincias civitatesque Germaniæ ſingulas ſcriptis illuſtrarunt, tabernæ literariæ bene multos oſtendunt. Italiæ cumprimis ea contigit felicitas, ut regio fere nulla, nec oppidulum fere ullum, intactum manſerit civium optimorum calamo; neque ſcriptorum ejusmodi inire numerum poſſis, ſi, quæ dedit nobis S. R. *Fabricius* in *Conſpectu Theſauri literarii Italiæ*, vel fugitivo oculo inſpexeris. Novam & ab his omnibus, quorum modo fecimus mentionem, longe diverſam viam ingreſſus *Morhofius*, cum Hiſtoria conjunxit Criticen, & e re juventutis fore quam maxime exiſtimavit, ſi ſcriptorum uniuscujusque ſcientiæ artisque ſingulorum non virtutes tantum laudesque ſingulares exponeret, ſed vitia etiam maculasque notaret, ut a præpoſteris judiciis diſcerent cavere ſibi juvenes, & imitanda ſibi, quæ bona, fugienda, quæ mala eſſent, proponerent. Secuti hunc, laudabili conſilio, poſtea temporis viri boni permulti; de quibus prolixius hic agere, abhorret ab inſtituto noſtro. Præfationem S. R. *Fabricii* claudit *Brevis Notitia Alphabetica Ephemeridum Literariarum, & aliorum quorundam ſcriptorum ejusmodi diurnorum, hebdomadariorum, menſtruorum, anniverſariorumque*; cujus nec ipſius, etſi præter titulos libro-

brorum & Autorum nomina nihil fere continentis, inutilis adeo, quod fatemur, aut infructuoſa nobis fuit lectio. Habes hic incredibilem ſcriptorum ejus generis copiam, non ſane futuram tantam, niſi *Commentarios Academiarum*, *Pariſienſis* atque *Petropolitanæ*, aliosque, *Acerras* item, *Biblicam* ac *Philologicam*, *Amœnitates Juris Canonici Strauchianas*, *Analecta Haſſiaca*, *Th. Crenii Animadverſiones Philol. & Hiſtoricas*, *Parrhaſiana*, ſimilesque libros multos, forſan hoc in loco peregrinos, adjectos Celeb. Editor voluiſſet reliquis, majori jure & delectu in hunc Indicem relatis. Laudi tamen majori copiam nimiam cedere Celeb. *Fabricio*, quam defectum nimium, dixeris non immerito. Illud enim fatendum omnino, quæcunque inde a ſemiſeculo in Germania, Italia, Anglia, Gallia, Belgio, aliisque terris, prodiere, Diaria, aut ſimiles his libellos eruditos, diligenter accurateque connotatos hic omnes eſſe, ut ſatis cognoſci inde poſſit, contexendo huic Indici non heri aut nuper demum inſumi aliquid operæ cœptum ab Autore præclariſſimo. Unde eodem non ſine fructu utentur illi inprimis, qui Ephemeridum, nihil aut parum diſcrepantium titulo, noſſe diverſitatem variumque genus cupiunt; id quod vel harum rerum peritiſſimis evenire in dignoſcendis Gallorum *Bibliothecis* poteſt, quarum alia Germanica, (*Germanique*,) alia Gallica, (*Françoiſe*,) alia Anglica, (*Angloiſe*,) alia Italica, (*Italique*,) alia Belgica, (*Belgique*,) quam, nuper demum inchoatam, non addidit Autor, alia antiqua & recentior, (*ancienne & moderne*,) alia ſelecta, (*choiſie*,) alia nova ſelecta, (*nouvelle choiſie*,) alia curioſa, (*curieuſe & inſtructive*,) alia librorum novorum, (*des livres nouveaux*,) alia judiciorum plena, (*raiſonnée*,) alia denique univerſalis, (*univerſelle*,) ſingulæ inter ſe differunt longiſſime. Similiter, quas Itali ſermone ſuo *Giornale* dicunt, harum alias Venetiis, alias Parmæ, alias Ferraræ, alias Foro Julii, alias Mutinæ, prodiiſſe, hoc in loco edocemur accurate ſatis. Ceterum, etſi, præter titulos libellorum, pauciſſima hic ſint addita, ea ipſa tamen, quæ ſunt addita, æſtimanda videntur maximi, atque cognitu, quod auguramur, gratiſſima erunt Lectoribus. Nobis inprimis illud placet, virorum,



Digitized by Google

qui præcipuam Diariis, ἀνωνύμως editis, operam inpenderunt, indicata hic eſſe nomina; unde factum, ut *Acta novæ Academiæ Philexoticorum naturæ & artis* Autorem præ ceteris habere *Franc. Lanam*, Bibliothecam Anglicam *Michaelem de la Roche* & *Armandum de la Chapelle*, Bibliothecam univerſalem partim *Jo. Clericum*, partim *Jo. Cornandum de la Croſe* & *Jac. Bernhardum*, apparatum librorum Europæ (*Bœckſaal van Europe*) *Petrum Rabum* & *Wilh. Gewel*, Diarium *Clef du Cabinet des Princes Carolum Jordanum*, *Diarium Europæum Hiſtorico-Literarium Jacobum Hommey*, Opus literarium (*Eſſais de Literature*) *Morrierium*, Doctorem Sorbonicum, Hiſtoriam eruditionis noſtrorum temporum (*Hiſtorie der Gelehrſamkeit unſerer Zeiten*) *Jo. Chriſt. Clodium*, Hiſtoriam Criticam Reip. literariæ, Gallice ſcriptam, *Philippum Maſſonum*, Diarium Amſtelodamenſe (*Journal d' Amſterdam*) *Gabrielem Dartiſum*, & Hamburgenſe (*Journal d' Hambourg*) eundem, Relationes literarias (*Memoirs of Literature*) *Mich. de la Roche*, denique Rempublicam eruditorum (*Republik der Geleerden*) *Jo. Ruyterum* primum, poſt alios, Lectorum jam nemini non poſſit innoteſcere. Plura, non adeo vulgaria, quorum hic facta ſubinde mentio, tacemus de induſtria, ne temere transmigraſſe videamur præfinitos nobis limites. Binis verbis addimus, Diarium *Clef du Cabinet des Princes* tanta, teſte *Fabricio*, qui hoc ipſum ex Hiſtoria Critica Reip. Liter. refert, exceptum eſſe approbatione omnium, ut exempla ejus quadraginta millia brevi tempore publice ſint vendita; quale honoris & applauſus ſummi genus, dubitamus, an noſtra ætate Ephemeridum ſcriptor ullus audeat ſibi a lectoribus, jam delicatis nimium, promittere. Sed ſatis verborum ſit; nos ad extremum pro incolumitate *Fabricii* noſtri, ſine exemplo Polyhiſtoris, defuncti jam laboribus tot laudatiſſimis, & in ipſo conſtituti ſenectutis limine, imploramus Superos, utque illuſtriorem reddere ſplendorem literarum, & publice prodeſſe ſcriptis pergat compoſitiſſimis, per eam, quam dudum comparavit ſibi, nominis immortalitatem precibusque omnibus ipſum obteſtamur.

*ANONYMI*

Digitized by Google

## *ANONYMI EXPLANATIO DUARUM VOCUM* מִכְמָר & כְּתוֹא*, quæ Jeſ. LI, 20, reperiuntur.*

AMbo hæc nomina ſunt monadica, quæ vehementer ingenia doctiſſimorum virorum exercuerunt, & noſtrum quoque exercebunt, idque eo magis, quod etiam recentiſſimi Obſervatores illa prætericrunt. De priori תוֹא duæ ſunt præcipuæ ſententiæ, in quas diſtrahuntur interpretes; quarum altera illud de *bubalo* exponit, altera de *oryge*. Hanc præfert *Bochartus* in *Hieroz. P. I Cap. 28*, ſequentibus permotus argumentis, quod 1) תאו *Deut. XIV, v. 5*, inter ſpecies cervorum & caprarum ſylveſtrium ponatur: 2) ibidem inter Judæorum cibos recenſeatur, quod de bubalo non credit, cum ejus eſum communi ſuffragio omnes execrentur: 3) in Judæa & vicinis locis nulli boves ſylveſtres fuerint: & 4) תוא, juxta noſtrum locum, laqueo capiatur, quod de bubalo nemo dixerit, qui potius fovea capiatur, aut ſimili arte. Sed his argumentis ſatisfacere poſſem facillime, ſi pro bubalo pugnare vellem: & quidem reſpondendo ad 1), loco *Deuteronom.* aliud nomen extare, ſcil. תאו, duabus literis ultimis tranſpoſitis, cujus diſcrimen a præſente quoque agnoverunt *LXX*, dum ibi converterunt per ὄρυγα, h. t. vero aliud ſurrogarunt, ut deinde videbimus: ad 2), hoc, enervato primo, cadere: ad 3), nec orygem in Judæa & locis vicinis inveniri, ſed tantum in Africa, quod omnes Hiſtorici teſtantur: ad 4), *oryga reti capi, quis fando audivit unquam?* quæritur in *Lexico Caſtelli*. Sed nihilominus levibus *Bocharti* rationibus induci ſe paſſi ſunt viri magni, *Majus* in *Supplem. Lex. Cocc. Vitringa* in *Comment.* ut utroque pede in illius ſententiam deſcenderint: quorum hic gloriatur, laudatum *Bochartum* nihil hic nobis reliquum feciſſe, ille vero, repetitis hujus argumentis, ſubjungit, quod, niſi oryx, quæ conjectura ſit, appelletur תוא a voce, dici poſſit, eum nomen accepiſſe a cute maculis diſtincta, cum hæc ſignificatio ſit in lingua Arabica, & hic locum inveniat. *Bochartum* quoque ſequitur *Clericus* in *Comment.* recens edito. At enim vero, niſi omni judicandi facultate deſtituor, nec de bubalo,



Digitized by Google

nec de oryge, ſermonem Deo hic eſſe, arbitror. Eccur enim rem notiſſimam, afflictiones ſcil. populi propter hujus peccata, ſimilitudine tam longe petita & ignota illuſtraret, deſumta ſcilicet ab animalibus peregrinis, & vix vulgo Judæorum notis? Cauſam quidem docere voluit *Vitringa*, ſed quæ minime ſatisfacit, cum, ad deſcribendam ferocem Judæorum indolem, ſimilia deſumi a rebus notis potuiſſent, ut *Pſ. XXXII, 9.* Augetur argumenti noſtri robur, ſi, quod ipſe ſtatuit *Vitringa*, vaticinium hujus Capitis ad perſecutiones & liberationem Eccleſiæ ante Chriſti adventum pertineat, cui ſane Deus imaginem rei ignotiſſimæ proponere haud potuit. Deinde explicatio durior eſt, ſi *fera retis* explicetur de fera in reti capta. Cui enim illa facile, propter ellipſin geminam vocum *in* & *capta*, in mentem venerit? Plures rationes dabo infra. Vides igitur, B. L. quantopere etiam maximi Viri in interpretandis locis difficilibus, & enodandis vocabulis obſcuris, hallucinentur. Sed quid tandem, inquis, de voce תוא ſentis? Dicam, ſi prius & alterum nomen מכמר illuſtravero. Huic notionem *retis* impoſuerunt, quam falſiſſimam eſſe puto, cum retia non capiendis feris, iisque magnis & ferocibus, ſed avibus & piſcibus, inſerviant. Potius igitur hoc nomen *calorem*, quam notionem etiam Ebr. כמר obtinet, ſeu adjective *calidum*, ſignificat, quam vim in eadem quoque forma in Chaldaiſmo habet, ut videre eſt in *Lexico Buxtorfii majori.* Et hoc argumentum pro notione hujus vocis ſolum mihi ſufficeret, ſi aliis deficerer. Jam dicam, quid de his duobus nominibus ſentiam. Certo mihi perſuadeo, non loqui Deum de animali quodam, ſed herba aliqua ſeu planta, quæ calore ſolis aduſta inclinatur ad terram, & marceſcit. Sed quænam illa ſit, perdifficile eſt ad dijudicandum. Non contemnendæ ſunt verſiones antiquæ τῶν LXX, Syri & Arabis, qui omnes de *beta* exponunt, & illi quidem de *beta ſemicocta*, hic melius de *beta flacceſcente*, iſte optime de *beta marceſcente* ܐܝܟ ܫܠܩܐ ܕܒܨܡܚ *ſicut beta marceſcens.* *Bochartus l. c. p. 975* in cauſas harum verſionum (incluſa etiam Chaldaica: *ſicut lagunculæ confractæ;* quæ utique aliena eſt,) quas omnes pro falſis habet, inqui-

quirit, & fatetur, ſe in his tenebris nil quicquam videre, ſed tamen conjecturas allaturum, donec meliora ſuppetant. Sed vereor, ne vir maximus luci tenebras offuderit, & omnis ejus inquiſitio, quoad tergeminam illam verſionem, ſit fruſtranea. Cum beta enim etiam Latini languidos compararunt, & *Catullus* dixit 68: *Languidior tenera cui pendet Sicula beta* &c. *Auguſtus* Imperator vocem *lachanizare* i. e. languere in *betizare* commutavit, teſte *Suetonio* in *Octav. Aug. Cap.* 87. Conf. *Babelonii Notas ad h. l.* & *Lex. Fabri ex edit. Cellarii*. Ex quibus colligas, languorem betæ in proverbium abiiſſe. Vid. *Eraſmi Opus Adag. p.* 451. Reſpondet etiam hæc explicatio optime verbo עֻלְּפוּ, quod nil aliud, quam languorem, ſeu diminutionem virium, ſignificat. Lubens igitur verſiones veteres jam ſequor, & aptiſſime totum comma ita transfero: *Filii tui languerunt, jacuerunt in compitis omnium platearum, ſicut beta calida* (ſole calefacta ſeu aduſta, & flacceſcens, marceſcens,). Hæc imago ut aptiſſima eſt; ſic & omnibus fuit notiſſima, utpote in calidis regionibus ubivis obvia. Syris Radix כמר ſonat *triſtis, mæſtus fuit*, unde etiam nomina ab initio Servili - מ aucta, *triſtitiam, mærorem*, ſonantia. Hinc etiam convertere poſſemus: *ut beta triſtis*. Triſtantur autem herbæ, quando calore ſolis langueſcunt, caput velut demittentes, & verſus terram ſe inclinantes. E contrario ſimile a bubalo aut oryge petitum non quadrat, quia illi ideo capiuntur, ut occidantur; cum Deus hic languentibus ſeu deficientibus liberationem promittat. Hinc quoque verbum שׁכבו *jacent* non de morte accipiendum, ſed de ſtatu ſituque languentium. Dubito quoque, an ſapientiæ Dei ſatis congruat comparatio afflictorum Eccleſiæ membrorum cum brutis ſylveſtribus, iisque robuſtis & ferociſſimis. Sed reliquum eſt, ut etiam Radicem hujus nominis producam. Reſtituo illam ex Arabiſmo, ubi Radix ثَأِيَ ſonat *debilis, infirmus fuit*: unde nomen ثَأْي *tenuitas, infirmitas*. In *Bibliis Tubingenſibus* nomen תוא generalius exponitur de feris captis, quæ reti-

 bus

bus expedire ſe nequeunt. Perperam Cl. Autor noviſſimæ *Interpretationis Germanicæ Jeſ.* hanc vocem prorſus omiſit, cum tamen titulus libelli explanationem omnium vaticiniorum verborumque ſublimium promittat. Atque ſic brutum in plantam, ſævum orygem, ut *Martialis* loquitur *Lib. XIII Epigr. 95*, in teneram betam hac explanatione mutavi. Plures hujusmodi voces obſcuræ non tantum in hoc, ſed & in ſingulis *Jeſaiæ* Capitibus, occurrunt, quas omnes pari ratione enucleavi. MStum, quod duo Alphabeta excedit, æquum Bibliopolam expectat, ſumtus in illud facturum.

*CHRISTIANI SIGISMUNDI GEORGII, L. L. A. A. M. Ordinis Philoſophorum Witteberg. Aſſeſſoris, Vindiciarum N. T. ab Ebraismis Libri tres. Quibus, quicquid Ebraismi a* TH. GATAKERO, *JO. VORSTIO, JO. OLEARIO, reliquis, Græcæ Novi Fœderis dictioni eſt affictum, tum argumentis, tum teſtimoniis, ex probatiſſima antiquitate Græca erutis, diluitur, ſimulque veræ nominum ac verborum, particularum, figurarum, phraſium, ſignificationes, pondera, atque uſus, excutiuntur; cum tribus Indicibus.*

Francofurti & Lipſiæ, proſtant apud Samuelem Godofredum Zimmermannum, 1732, 4.

Alph. 2 pl 1.

ID ſibi Cl. *Georgius* præcipue datum eſſe credidit, ut N. T. libros dialecto Attica exaratos eſſe probet. Idcirco non ſolum variis Diſſertationibus, nullos in textu N. T. Græco Ionismos, Aeolismos, Dorismos, Bœotismos, Poetismos, Perſismos, Rabbinismos, deprehendi, defendere conatus eſt, verum etiam haud ita pridem Cl. *Sigism. Frider. Dreſigio*, qui, Præſide Celeb. Prof. *Jo. Erh. Kappio*, *de Novi Fœderis Græci Latinismis merito & falſo ſuſpectis* in hac ipſa Academia A. 1726 diſputavit, controverſiam movit, & propugnavit, Latinismos Græcæ novi fœderis dictioni immerito tribui. Ad He-

Digitized by Google

Hebraismos nunc ſe vertit. Neque etiam his locum in Græco N. T. textu concedi debere, tuetur. Cum Vir Clariſſ. ut ipſe profitetur, ſibi perſuadeat, in ipſum Spiritum S. injurios eſſe, qui Hebraismos in N. T. Græco ſibi deprehendere videntur; fidem ei non denegandam exiſtimamus, quando in Præfatione, huic, quem præ manibus habemus, Commentario præmiſſa, profitetur, ſe unice in ſummi Numinis gloriam, non autem ex pruritu ſummis viris contradicendi, ad hunc librum exarandum animum appuliſſe, & novem annos huic labori impendiſſe. Dabimus operam, ut, quid Vir doctiſſimus in hac Commentatione ſua præſtiterit, paucis verbis exponamus. Tribus libris hæc Commentatio abſolvitur. Quemadmodum Vir Doctiſſ. Lib. I partim argumenta contra Ebraismos in medium profert, partim de argumentis, quæ ad defenſionem Ebraismorum afferri ſolent, ex inſtituto diſputat; ſic reliquis duobus libris operam navat, ut voces, figuras ac locutiones, pro Ebraismis habitas, nullos Ebraismos eſſe, elegantiſſimorum Græcorum ſcriptorum autoritate & teſtimoniis probet. Libro enim II de Ebraismis, nomini, verbo & particulæ, affictis, tribus Capitibus verba facit, & Lib. III quatuor Capitibus in Ebraismos, Ellipſi, *Ευγγενία*, Syntheſi, Hypallagæ, Enallagæ, Emphaſi & Phraſi, tributos, inquirit. Quomodo in his argumentis perſequendis verſatus ſit, exemplis quibusdam in medium prolatis docebimus. Et principe quidem loco recenſebimus, quæ Cl. Autor lib. I Cap. 1 argumenta contra Hebraismos adducat & ſua faciat. Attica dialecto N. T. libros Græcos ſcriptos eſſe, ut Vir Clariſſ. probet, ad *1 Cor. XIV* provocat, ubi Apoſtolus *v. 9*: *ἐὰν μὴ εὔσημον λόγον δῶτε, πῶς γνωσθήσεται τὸ λαλούμενον;* h. e. uti Cl. Autor interpretatur: *niſi aptum, concinnum, atque uſitatum vocum nexum adhibeatis*, quomodo quis eam intelliget? Ex his enim verbis concludit, omnes Barbarismos, inter quos & Hebraismos numerat, viros *Θεοπνεύστους* dedita opera evitaſſe; præſertim cum Apoſtolus *v. 11* addat: *ἐὰν οὖν μὴ εἰδῶ τὴν δύναμιν τῆς φωνῆς, ἔσομαι τῷ λαλοῦντι βάρβαρος.* Ex *Eſ.* etiam *Cap. XXVIII, 11*, ad ſuam ſententiam defendendam argumentum ducit. Cum enim Deus inibi profiteatur, ſe, re-

jecto

Digitized by Google

jecto populo Iſraelitico, & eorum linguam rejicere & novam linguam uſurpare velle; inde confici poſſe exiſtimat, in N. T. inepte linguæ rejectæ idiotismos quæri. Credibile etiam non eſſe, propugnat, Deum linguarum autorem & conditorem impure ſcripſiſſe, & Barbarismos ſuo verbo inſeruiſſe. Eſſe quidem in N. T. aliquot locutiones, ibidem profitetur, quorum Attica puritas ex optimis Græcis ſcriptoribus non poſſit probari; ſed hoc inde evenire exiſtimat, quod omnes Græci ſcriptores ad manus noſtras non pervenerint. Vehementer dubitamus, argumenta hæc ita eſſe comparata, ut aliquis propter ea Hebraismos in N. T. dictione Græca admitti nolit. Non videtur Vir Clariſſ. ſatis notionem vocis Barbarismi expendiſſe, cum hunc Commentarium ſcriberet. Cl. Autor ſibi perſuadet, Barbarismos in Græca lingua eſſe omnes voces & loquendi modos a dialecto attica recedentes. Atticam enim dialectum abſolute ſive, quod idem eſt, in omnibus circumſtantiis optimam eſſe, exiſtimat. Sed, cum Barbarismus ſit loquendi ratio, quæ in illa lingua, ſive in illa dialecto, de qua Barbarismus prædicatur, non eſt recepta, facillimo negotio intelligitur, non ſequi: Hebraismi deprehenduntur in dictione N. T. Græca; ergo barbare locuti ſunt Apoſtoli. Tum demum hoc ſequeretur, ſi viri Θεόπνευςοι promiſiſſent, ſe dialecto Attica velle N. T. libros exarare. Ubi autem unquam dixerunt, ſe dialecto Attica voluiſſe ſcribere? Scripſere procul dubio ſtilo ſibi gentilitio, quem linguæ Hebraicæ indolem redoluiſſe, quis *dubitat?* Cur enim alia dialecto ſcribere voluiſſent, quam illa, quæ tum temporis ab omnibus propemodum, qui in Romani Imperii provinciis Græce loquebantur, erat recepta? Nonne ipſe Apoſtolus dicit *1 Cor. XIV*, loco a Viro Cl. citato: *ἐὰν μὴ εὔσημον λόγον δῶτε, πῶς γνωσθήσεται τὸ λαλούμενον; niſi perſpicuum & uſitatum ſermonem adhibeatis, quomodo id, quod dictum eſt, intelligetur?* Cum vero viri Θεόπνευςοι ſtilo ſibi gentilitio ſcripſerint; Hebraismi, quibus uſi ſunt, pro Barbarismis haberi nequeunt, quoniam illo, quo viri Θεόπνευςοι vixere, tempore in lingua Græca communi conſenſu fuere recepti atque civitate donati. Si forſan Virum doctiſſimum vox Ebraismi offen-

Digitized by Google

ſendit; vellemus, obſervaret, eos, qui Ebraiſmos ſermoni N. T. græco tribuunt, tantum eo reſpectu ejusmodi locutiones Ebraiſmos appellare, quo referuntur ad locutiones, quibus ſcriptores græci antiquiores uſi ſunt. Nemo autem illorum negabit, græcas locutiones eas poſſe appellari, ſi de ſermone græco, qui tempore Apoſtolorum in uſu fuit, unice ſit ſermo. Ceterum rectiſſime Vir Clariſſ. obſervavit, difficile admodum eſſe judicare, quænam loquendi ratio Ebraiſmus dici mereatur. cum omnia Græcorum ſcripta ad tempora noſtra non pervenerint, neque omnes, qui Ebraiſmum eſſe græcam quandam N. T. locutionem opinantur, vel legerint veteres ſcriptores græcos, vel etiam dictionum, quas legerunt, recordentur. Ipſe Vir Clariſſ. felici ſolertia hoc Commentario ſuo probavit, multas eſſe locutiones perperam pro Ebraiſmis a nonnullis habitas, cum autoritate veterum Græcorum ſcriptorum poſſint excuſari. Ne exemplum deſit, provocamus ad locutiones in N. T. ſæpius obvias, in quibus tertia perſona pluralis numeri activæ p. 246. vocis pro paſſiva adhibetur, ut *Luc. XII, 20*, *ταύτῃ τῇ νυκτὶ τὴν ψυχήν σου ἀπαιτοῦσιν ἀπό σοῦ*, *hac nocte tuam animam repetent a te*, i. e. *repetetur* anima tua a te. Ejus generis locutiones *Jo. Vorſtius* & alii pro Hebraiſmis habuere. At enimvero Autor noſter multis in medium prolatis locis probat, ejusmodi locutionibus ipſum *Iſocratem*, *Ariſtotelem*, & alios veteres ſcriptores Græcos, ſæpenumero uti. Ita *Iſocrates*, *εἰς ἀρχὴν*, inquit, *καταςαθεὶς μηδενὶ χρῶ πονηρῷ πρὸς τὰς διοικήσεις· ὧν γὰρ ἂν ἐκεῖνος ἁμάρτοι, σοὶ τὰς αἰτίας ἀναθήσουσιν*, *magiſtratum adeptus, nullius improbi miniſterio in obeundis negotiis utitor; nam, quicquid ille deliquerit, id tibi attribuent, i. e. attribuetur. Act. VIII, 10*, dicitur: *πάντες ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου προσεῖχον*, *omnes a parvo usque ad magnum attendebant.* In quibus quidem verbis *Jo. Vorſtius* Hebraiſmum ſibi deprehendere viſus eſt. Tuetur enim, præter morem Græcorum ſigno univerſali *πάντες* voces *μικρὸς* & *μεγαλός*, itidem univerſalitatem conſtituentes, additas eſſe. Sed veriſſime Clar. Autor annotat, ipſum etiam *Ariſtotelem* Lib. XIV Cap. 1 Metaph. dixiſſe: *οὐδὲν γὰρ ἐςιν, οὔτε μέγα οὔτε*

μικρὸν ὄυτε πολὺ, ὄυτε ὀλίγον. Atque adeo jure meritoque illam loquendi rationem Hebraiſmum eſſe negat.

Plura exempla non commemoramus, cum eo conſilio hæc tantum referamus, ut B. L. ad ipſius Commentarii, quem præ manibus habemus, lectionem invitemus. Quem quidem ſi legerint, licet procul dubio Cl. Autori non concedent, ab omnibus Ebraiſmi dictionibus N. T. eſſe immunem, utique tamen agnoſcent, magnam in elaborando hoc Commentario & in evolvendis Græcis ſcriptoribus Cl. Autorem poſuiſſe induſtriam, neque rem omni utilitate carituram præſtitiſſe.

## Betrachtungen ꝛc.

hoc eſt,

*MEDITATIONES DE VERITATIBUS DIvinis in Confeſſione Auguſtana contentis & cum iisdem connexis, quas partim ex principiis rationis, ſingulas autem ex principiis Scripturæ ſacræ deduxit, & ad uſum pietatis infucatæ tranſtulit JOANNES GUSTAVUS REINBECCIUS, Potentiſſimo Boruſſiæ Regi a Conſiliis Eccleſiaſticis, & Inſpector Coloniæ ad Spream.*

Berolini & Lipſiæ, ſumtibus Ambroſii Haude, 1731, 4.
Alph. 2 pl. 9.

MEditationes in Auguſtanam Confeſſionem, quas hic ſiſtimus, maximo & communi omnium applauſu exceptæ ſunt, quod Autor S. Rev. non modo diſtinctius explicet dogmata ſingula, quam vulgo fieri ſolet, verum etiam in iis probandis accuratius procedat, ſe non minus Philoſophum, quam Theologum, probans, ſuoque exemplo docens, quam utiliter Philoſophia veri nominis cum Theologia conjungatur. Nulli adeo dubitamus, exemplo tam illuſtri excitatum iri alios ad intemeratum Philoſophiæ verioris cum Theologia connubium. Utitur autem egregie principiis tam metaphyſicis, quam phyſicis & moralibus *Wolfianis*, de quibus paſſim diximus in his *Actis*, atque ita ipſo facto oſtendit, quam ſit Philoſophia *Wolfiana* in Theologia utilis, ut non ex vano hanc utilitatem toties prædicaverit Philoſophus.

Digitized by Google

phus. Exhibemus vero hic tibi non niſi Meditationes in Articulum primum Auguſtanæ Confeſſionis, de ceteris dicturi, quamprimum in lucem publicam prodierint. Primus Articulus de Deo agit. Is igitur anſam dedit Theologo conſummatiſſimo, ut omnem de Deo doctrinam & ejus operibus, quæ ex utroque lumine agnoſci poſſunt, viginti meditationibus comprehenderet. Agit in hiſce de exiſtentia Dei, de Scriptura ſacra, de unitate Dei, de ſpirituali ejus natura, de æternitate, immutabilitate, immenſitate, omnipræſentia, intellectu, ſapientia, voluntate, potentia, bonitate, ſanctitate, atque juſtitia. Hinc progreditur ad arduam de Trinitate doctrinam, &, ea abſoluta, pergit ad creationem, conſervationem creaturarum, & providentiam. Ubi de creatione agit, hominem inprimis contemplatur tum quoad partes eſſentiales, tum quoad imaginem divinam, tum quoad ſexus differentiam. Colophonis tandem loco conſenſum Confeſſionis Auguſtanæ cum Concilio Nicæno & diſſenſum cum hæreticis, tam antiquis, quam recentioribus, docet. Prolixum nimis foret, de ſingulis dicere. Suffecerit itaque, ſpeciminis loco nonnulla prælibaſſe, ut lectorem idiomatis Germani peritum ad ipſum Opus lectu ſane digniſſimum perluſtrandum excitemus. Exiſtentiam Dei probat beneficio principii rationis ſufficientis, in Philoſophia *Wolfiana* decantatiſſimi, ex eo, quod mundus in ſe non contineat rationem actualitatis ſuæ ſufficientem in ſe, atque adeo admittendum ſit ens a mundo diverſum, in quo eadem reperiatur, & cui ea tribuenda ſint attributa, per quæ intelligitur, cur mundus, qui exiſtit, talis potius ſit, quam alius: qua in re *Wolfii* veſtigia premit. Etſi enim in definitione Dei, quam huic argumento probandi exiſtentiam Dei convenienter exſtruit, occurrunt, quæ ex definitione *Wolfiana* exulant; Philoſophiæ tamen *Wolfianæ* gnaris conſtat, Philoſophum in Syſtemate methodi tenaciſſimum, ne impingeret in regulam, quam in Logica demonſtravit, de iis non cumulandis in definitionibus, quæ per ſe invicem determinantur, ea omiſiſſe, quæ ex determinationibus definitionem ingredientibus demonſtrari poſſunt; Theologum vero magis ſolicitum, ne lectores methodi ignari, quales plurimos præſupponere debet, definitionem Numine inferiorem exiſtiment, propterea quod non videant,



Digitized by Google

quomodo cetera prædicata in eadem involvantur. *Wolſius* nimirum Deum definit per ens a ſe,in quo continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ hujus univerſi, ac inde deducit, eidem competere ſummam perfectionem ac naturam ſpiritualem Dei,eidemque applicat attributa ex notione aſeitatis fluentia. *Reinbeccius* contra ſummam illam perfectionem definitioni Dei adjicit,& nonnullolorum ex notione aſeitatis fluentium mentionem in eadem facit, Deum adeo definiens per ens non corporeum, ſed ſpirituale, a mundo diſtinctum, quod eſt a ſe, ac virtute ſibi propria ſubſiſtit, abſolute neceſſarium, & in ſe immutabile, atque rationem ſufficientem in ſe continet,cur præſens mundus talis ſit,conſequenter huc requiſitam ſummam perfectionem in ſe comprehendit. Enimvero,quoniam non omnes capiunt probationes ex concatenatis inter ſe ratiociniis conflatas, quæ judice Noſtro non ſine ſingulari acumine intelliguntur, ad argumenta alia a contemplatione univerſi deſumta digreditur,quæ tamen magis evolvit,quam vulgo fieri ſolet, feliciſſime uſus rationibus metaphyſicis *Wolſianis*, ut majorem evidentiam fuerint conſecuta,& fortius extorqueant aſſenſum. Agedum vero,videamus aliquod ſpecimen in Articulo quodam puro, de quo in Theologia naturali altum eſt ſilentium. Nemo dubitat,talem eſſe, qui de Trinitate agit. De eodem Noſter in meditatione decima tertia agit. Primo loco obſervat,quod hic per perſonam intelligatur ens,quod propriam habet ſubſiſtentiam, proprietatibus quibusdam characteriſticis præditum eſt,& rationis compos certarumque actionum capax. Unde tres in eſſentia divina perſonas admittentem affirmare ait, quod pater propriam habeat in divina illa unicaque eſſentia ſubſiſtentiam, quod inſtructus ſit proprietatibus divinis & opera patre divina, alius vero ſit a filio & Spiritu S. & eadem de *filio*, eadem quoque de Spiritu S. repetere. Monet vero,hic non de termino perſonæ, ſed de re, agi, adeoque perinde ipſi videtur,ſive quis vocabulo perſonæ uti velit, ſive tres iſtos,qui participant, unicam iſtam ac individuam eſſentiam divinam,tres teſtes cœleſtes *1. Joh. V*, 7, vocare velit, ſive ſimpliciter dicere malit, patrem quidem eandem cum filio & Spiritu S. habere eſſentiam, alium tamen eſſe a filio & Spiritu S. alium etiam a patre & Spiritu S. eſſe filium, alium

um a patre & filio eſſe Spiritum S. Ultro largitur, nos ſic nondum habere ideam Trinitatis ſatis claram, ſed ſupereſſe adhuc plurimum obſcuritatis, id tamen mirum videri non debere, propterea quod Trinitas in numero myſteriorum ſit, myſterium vero dicatur, quod quomodo poſſibile ſit penitus non intelligimus. Removet autem a notione Trinitatis contradictionem, quia alio reſpectu Deus dicitur unus, nimirum quoad eſſentiam, alio autem trinus, nempe quoad perſonas, per quas eſſentia divina non multiplicetur. Perperam igitur rejici, quod nullius contradictionis argui poteſt. In divina eſſentia pluralitatem admittendam eſſe in unitate, probabiliter hoc modo adſtruit Noſter, veluti quod in unitate divina, tanquam attributo Dei, ad ſummam ipſius perfectionem pertinente, eſſe debeat, quod incomprehenſibile; quod Deus tanquam ſummum bonum perfectiſſimo modo ſeſe communicare debeat, adeoque eſſentialiter, neceſſario & ab æterno, ſed citra ſui multiplicationem, propter æternitatem, immutabilitatem ac unitatem; quod beatitudo Dei ſumma & independens tendere debeat verſus ſui ſimile a ſe quidem diverſum, ſed quod tamen eſt in ipſo Deo; quod denique gloria ſumma, quæ Deo debetur, locum habere non poſſit ſine perſonarum pluralitate, inprimis ab æterno. Hiſce argumentis, etſi ad convincendum minime ſufficientibus, animum tamen a præjudiciis vacuum diſponi poſſe ad aſſenſum veritati revelatæ præbendum. Ab iis adeo digreditur ad loca Scripturæ, in quibus myſterium iſtud revelatum: ubi etiam in nota vindicare ſtudet locum *1 Joh. V*, 7, a *Luthero* in verſione Bibliorum Germanica omiſſum, *Bugenbagio*, amico ejusdem ſingulari, rogante typographos, ut eundem ex Bibliis omittant in poſterum edendis, quem Antitrinitarii pro ſuppoſititio habent, propterea quod in antiquiſſimis exemplaribus Græcis non extet, atque ex verſione Syriaca & Arabica exulet. Ex *Millii* enim teſtamento editionis Oxonienſis p. 742 patere, quod in exemplaribus quibusdam antiquiſſimis extiterit; ex verſione Syriaca, unde Arabica conflata fuerit, ſeculo demum quarto, vel quinto, facta, nil quicquam confici, niſi quod interpres uſus fuerit exemplari, in quo non extiterit, quemadmodum & *Luthero* acciderit; nimiam *Bugenbagii* facilitatem nihil probare. In fine de-



Digitized by Google

nique Articulum ad praxin translaturus,evincit,quod cognitu neceſſarius ſit, ſi quis operis redemtionis particeps fieri voluerit. Ex his duobus ſpeciminibus liquet,quomodo Noſter in Articulis,tam puris,quam mixtis,verſetur. Optant omnes, qui has meditationes legerunt,ut ceteros quoque Auguſtanæ Confeſſionis Articulos eadem luce colluſtret. Quibus Philoſophia *Wolfiana* ob methodi, qua Philoſophus utitur, ignorantiam obſcurior & difficilior viſa fuit, illi in poſterum facilius ex operibus Philoſophi proficient, ubi has meditationes ſedulo legerint.

## *NOVA LITERARIA.*

NOn carere Hungariam theſauris literariis , ſive domi partis, ſive illatis aliunde, quibus orbem literatum ditare queat, auguſti hujus Operis, quod recenſebimus, quodque palam cognoviſſe, publici intereſt plurimum, exemplo conſtabit. Ejus per ſingulos *Tomos*, quorum V ſunt, inſcriptio talis eſt. *Tomus I:* Auguſta geneſis priſca origine Regia, ſuprema Archi-Ducali & Ducali dominatione , Sicambro - Franco - Auſtraſio-Auſtriaca, ſacra Majeſtate Auguſtiſſimi & Invictiſſimi Caroli, nati Archi-Ducis Auſtriæ, Romanorum Imperatoris VI, Hiſpaniarum, Hungariæ, & Bohemiæ,Regis,&c. Regio-Cæſarea majorum ſuorum, Romanorum Imperatorum, plurium ac variorum Regum S. R. I. Electorum, Archi-Ducum, Ducum, Principum ac Heroum,majeſtate , ſerenitate , ac celſitudine, eorumque hiſtoria, decorata ſtudio & opera *Theodori Amade*, Equit. Comit. *de Amaden*, Abbatis S. Mariæ de Caſtro Carino, Commendatoris S. Marthæ Lignacenſis, Ord. S. Joannis de Jeruſal. Melitenſ. Dynaſtæ de Oſterwald, Heerburgh, &c. Per *Henricum Antonium Peregrini a Tergeſto* collecta, Venetiis anno ſalutis 1716. *Tomus II:* Auſtriæ gloria auguſta, in ſacro Romano Imperio fundata, per innumeros Romanorum Imperatores eorumque filios Principes, natos Archi-Duces Auſtriæ, plurimis, eisque maximis, regnis auctos, de patre in filium ſuccincte deducta, æternitatis æmula, in Imperio perennans. Per *Theodorum Amade*, Equit. & Comit. *de Amaden*, Abbatem S. Mariæ de Caſtro Carino, Commendatorem S. Marthæ Lignacenſ.

Digitized by Google

cenſ. S. Joan. de Jeruſal. Melitenſ. &c. Venetiis anno ſalut. 1694. *Tomus III:* Sol Auſtriacus, ſive auguſtiſſima domus Auſtriaca, omnium Regum ac Principum parens, Reges, & Italiæ Principes, exhibens: Hiſtorice & Genealogice: cum propriis familiarum gentilitiis armorum teſſeris, adumbrata, ſtudio & opera *Theodori Amade*, Equit. Comit *de Amaden*, Abbatis S. Mariæ de Caſtro Carino, Commendatoris S. Marthæ Lignacenſ. Ordin. S. Jo. de Jeruſ. Meliteſ. &c. Venetiis anno ſalut. 1698. *Tomus IV*: Probatio probationum, natalium Auguſtiſſimi & Inviĉtiſſimi Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Hungariæ & Bohemiæ Regis, &c. Hiſtorice, Chronologice, & Genealogice, cum propriis familiarum gentilitiis teſſeris, per *Theodorum Amade*, Equit. Comit. *de Amaden*, Abbatem S Mariæ de Caſtro Carino, Commendatorem S. Marthæ Lignac. Ord. Meliteſ. &c. A. Chriſti 1680. *Tomus V*: Probatio probationum, natalium Auguſtiſſimæ & Clementiſſimæ Eleonoræ, Romanorum Imperatricis, Ungariæ, & Bohemiæ Reginæ, &c. Hiſtorice, Chronologice, & Genealogice cum propriis familiarum gentilitiis teſſeris deducta per *Theodorum Amade*, Equit. Comit. *de Amaden*, Abbatem S. Mariæ de Caſtro Carino, Commendatorem S. Marthæ Lignac. Ord. Meliteſ. &c. Venet. A. Chriſti 1680. Opus hoc, quinqueque, madmodum ex inſcriptione patet, *Tomos*, ſive *Partes*, complectitur. Horum qui poſteriores alias ordine ſunt, primi confecti atque elaborati fuere; IV quidem ab ipſomet Autore, *Theodoro*, Comite *Amade, ab Amaden;* primo, quem affectum reliquit, *Peregrini* quidam *a Tergeſto*, ex Autoris tamen MSS. & diſpoſitione, ſupremam manum addidit. In hoc docetur atque oſtenditur, domum Auſtriacam ab antiquis Sicambrorum, Francorum, & Auſtraſiæ, Regibus, a Marcomiro nimirum incipiendo, usque ad Leopoldum I Imperatorem, perpetua, nec interrupta unquam, ſerie, deſcendere. *Tomus* II tres tabellas exhibet, in quibus natorum omnium natarumque, ex hac auguſtiſſima domo, a Rudolpho I ad Auguſtiſſimum noſtrum Imperatorem Carolum VI, qua Archi-Ducem, inſignia commonſtrantur, eorundemque omnium vitæ exponuntur. *Tomus* III cognationes & affinitates, quas auguſta domus cum univerſis totius Europæ Regibus ac Principibus habet, per inſignia explicat. *Tomus* IV Auguſtiſſimi Leopoldi Auguſtisſimos & Sereniſſimos Natales, usque ad LXIV Majores, dilucide, & ad uniuscujusque captum, ob oculos ponit, ita, ut probationes, paternæ a maternis, per diverſa latera, quæ occupant, nullo negotio, diſcernantur. In Capite libri Schema totius operis apparet. Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi inſigne in medio a parte dextera, in linea inferiori, Pater; in ſecunda, aſcendendo, ſemper Avus, & Avia, Paterni; in tertia, quatuor Proavi Paterni; in quarta, octo Abavi Paterni; in quinta, ſedecim iterum Atavi Paterni; in ſexta denique ac poſtrema, duo & triginta Majores Paterni, pulchro ordine, conſpiciuntur; ſiniſtrum latus Matris genus, ad eandem rationem, occupat. Poſt hunc conſpectum ſequitur inſigne iterum Imperatoris Leopoldi ſolum, majori forma exhibitum, cum brevi compendio

vitæ

Digitized by Google

vitæ ejusdem; Patris dehinc Ferdinandi III ſolum denuo, cum compendio brevi vitæ ejusdem: ac Matris tertio, iterum ſolum, cum ſimili vitæ compendio. Tres hos quatuor Avi excipiunt in una tabella, Patris a dextra, & Matris a ſiniſtra; inſigne autem Leopoldi rurſus in medio eorum. Poſt hanc tabellam, quilibet horum Avorum in ſeparato folio cernitur, majori denuo forma, cum brevi deſcriptione vitæ, ut memoratum paulo ante fuit; primo quidem Paterni, deinde etiam Materni; poſt hos quatuor Avos, octo Proavi, primum conjunctim atque in medio eorum, (quod deinceps apud reliquos etiam obſervandum,) Leopoldus denuo, deinde quilibet eorum iterum ſeparatim; poſt octo vero hos Proavos, ſedecim Abavi, poſt Abavos Atavi, poſt Atavos Majores, eodem ordine, ſicut antea, primum conjunctim, deinde quilibet eorum ſeparatim, conſpicitur, adjecto ſemper compendio vitæ, ut quodlibet folium ſeparatum etiam inſigne, ac vitam quoque unius, exhibeat atque conficiat. Ad ſexaginta vero quatuor Majores ubi deventum fuerit, poſt quemlibet eorum, nova iterum tabella proponitur, quæ illius agnationem & cognationem ad quintum gradum doceat; ſic, ut in qualibet tabella triginta & unum inſignia conſpiciantur, quarum tabellarum tot numero videntur, quot majores, hoc eſt, ſexaginta quatuor, triginta nimirum ac duo, Paterni, Materni totidem. *Tomus* V ad eandem plane formam & rationem factus eſt de Auguſtiſſimæ Imperatricis Eleonoræ Auguſtiſſimis ac Sereniſſimis Natalibus, nihil ut inter utrumque interſit, quam inſignium differentia, quæ in hoc alia ſunt, quam in illo. Iſtud pariter notandum, quod in cujuslibet deſcriptione vitæ ad marginem & in fine citentur probatiſſimi autores, unde illa, quæ proferuntur, deprompta ſunt. In univerſo autem Opere inſignium plus minus decem millia reperiuntur cum coloribus & metallis, ad omnem elegantiam & accurationem picta. Laboratum in eo fuit annis omnino ſex ac triginta, ab anno videlicet 1680 usque ad annum 1716; neque ulli, qui Opus hoc viderit, eſſe dubium poteſt, quin multa millia nummorum in ſolis pingendis inſignibus inſumſerit Autor, adeo accurate, & eleganter facta ſunt; nec fieri fere aliter potuit, quin aut duos aut plures etiam præſtantiſſimos pictores ſemper ad latus habuerit. Omnia in hoc Opere magna & vere Regia atque Imperatoria ſunt, cui vix aliquid viſum adhuc ſimile in Genealogicis fuit. In Hungariam, quod mirabile, delatum fuit, poſſeſſorque illius nunc eſt *Gerardus Cornelius Drieſchius*, alias *van den Drieſch*, Sacræ Cæſareæ Majeſtati, nec non Celſiſſimo Principi Emerico, Archi-Epiſcopo Strigonienſi, Primati Hungariæ, a Conſiliis. Qui illud publici juris facere amaret, ſi cum ſocietate quadam Bibliopolarum convenire ea de re ipſi poſſet.

---

In lucem nuper exire juſſimus Supplementorum ad *Acta* noſtra *Tomi X Sectionem I & II*; id quod Lectores noſtros, nec hæc faſtidientes, ignorare noluimus.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Novembris Anno MDCCXXXII.*

---

## *D. MAGNI AUSONII, BURDIGALENSIS, Opera; Interpretatione & Notis illuſtravit JULIANUS FLORIDUS, Can. Carnot. juſſu Chriſtianiſſimi Regis in uſum Sereniſſimi Delphini recenſuit, ſupplevit, emendavit, Diſſertationem de vita & ſcriptis AUSONII, ſuasque animadverſiones adjunxit JOANNES BAPTISTA SOUCHAY, Regiæ Inſcript. & Human. Liter. Academiæ Socius.*

Pariſiis, typis Jacobi Guerin ad Ripam Auguſtinianorum, 1730, 4.

Alph. 4 plag. 18.

QUam jam nunc adduximus, editionem D. *Magni Auſonii* juſſu Regis Galliarum in uſum Delphini jam ante aliquot annos non ſolum inſtituerat *Julianus Floridus*, Canonicus Carnotenſis, cui *Apulejum*, in uſum pariter Delphini Pariſiis A. 1688 editum, debemus, verum etiam ita perfecerat, ut jam prelo ſubjiceretur. At vero, cum, vix aliqua parte operis typis exſcripta, *Floridus* præter ſpem & opinionem de vita decederet, & opus inceptum quidem, ſed non abſolutum relinqueret, librarii, quos Regis munificentia prius adjuverat, ſumtus jam impenſasque veriti, incepto deſtiterunt. Quo factum eſt, ut *Auſonius* a *Florido* illuſtratus per tres fere annos lateret in obſcuro, donec in manus *Jacobi Guerin* perveniret, qui *Joannem Baptiſtam Souchay* rogando tandem permovit, ut huic



Digitized by Google

editioni *Auſonii*, a *Florido* inſtitutæ, manum admoveret, & ad umbilicum perduceret. Atque huic Viro doctiſſimo maximam ſine dubio partem acceptam referre debemus hanc *Auſonii* editionem, cui & Præfationem, licet pauciſſimis paginis abſolutam, elegantem tamen, & de hac nova editione ſatis copioſe differentem, & catalogum Autorum interpretatione & animadverſionibus in uſum Delphini illuſtratorum ordine chronologico diſpoſitum præmiſit. His proxime annectitur præter ſummam eorum, quæ hac editione continentur, Diſſertatio Cl. Editoris de vita ac ſcriptis *Auſonii* eruditiſſima, quam ſequuntur diverſorum Epiſtolæ ad *Auſonium* miſſæ, nimirum *Theodoſii* Imperatoris una, *Symmachi* ſeptem ſelectæ, & *Pontii Paullini* duæ, annotationibus quibusdam illuſtratæ. His denique omnibus accedunt variorum Virorum teſtimonia de *Auſonio* & judicia. Quod vero ad ipſam hanc editionem attinet, ſedulus in id incubuit Cl. *Souchay*, ut textum *Auſonii*, collatis inter ſe editis, quos undique parare potuit, libris, emendatum exhiberet, in iis etiam, quæ jam, vivente *Florido*, excuſa erant, & denuo typis mandabantur. Defuerunt enim ipſi codices manuſcripti, niſi quod in Regia Bibliotheca duos reperit, N. 4740 & 4902, in quibus ludus ſeptem ſapientum, Periochæ in *Homerum*, verſus Paſchales, Catalogus urbium, aliaque ſeptem Opuſcula, leguntur. Ipſis *Auſonii* verbis in quacunque pagina proxime ſubjicitur interpretatio, quam pro more editionum in uſum Delphini emiſſarum confecit *Julianus Floridus*, cujus vero annotationes in *Auſonium* intimam partem obtinent per Opus univerſum. De iis ut quæ nobis, eas perluſtrantibus, viſa ſunt, pauciſſimis dicamus, eo potiſſimum ſine eoque conſilio ab Autore adornatæ videntur, ut mojori eſſent uſui tironibus literarum, quam viris hac in re jam ſubactis & inter Philologos numerandis. Nam licet inficiari nolimus, nonnulla etiam in his annotationibus occurrere, quæ poſſint doctiſſimis quibusque quodammodo facere ſatis, multo tamen plura in iis obſervantur, quæ & trita ſunt, & jam pueris vix ære lotis notiſſima. Huc accedit, quod, quæ ex Autoribus aliis ad ſcriptorem noſtrum illuſtrandum addu-

adducuntur, plerumque ſine capite, vix ac ne vix quidem libro indicato, proferuntur. Denique, ſi quo in loco ſcriptura variet, partes ſuas expleſſe ſibi videtur *Floridus*, adductis *Scaligeri*, *Vineti*, *Tollii*, aliorum, conjecturis, quas ſine judicio prætermittit. Et, licet plurimum laboris exhauſtum fuerit a Cl. *Souchay* in ſupplendis iis, quæ e *Floridi* Commentariis interciderant, tantum tamen abeſt, ut his acquieſcendum ſibi duxerit, ut potius novas animadverſiones in Poetam noſtrum ſcribere apud animum conſtituerit. Etenim, cum obſervaſſet, pleraque non ſatis a *Florido* explicata fuiſſe, quæ tenebricoſa eſſent, & explicatus haberent difficiles, nec quemquam ea pertractaſſe, quæ ad hiſtoriam ævi potiſſimum *Auſoniani* pertinent, ſtatuit illius Operi adjungere, quæ aut ipſe obſervaverat, aut ille ab aliis obſervata omiſerat. Quod ut accuratius exſequeretur, verboſam *Franciſci Sylvii*, Ambianatis, in quædam Edyllia expoſitionem, *Mariangeli Accurſii* Diatribas in totum Poetam, *Joſephi Scaligeri* libros duos lectionum *Auſonianarum*, amplos *Eliæ Vineti* Commentarios, & quicquid *Turnebus Barthiusque* in Adverſariis, *Lipſius* in Electis, *Gronovius* in Obſervationibus, *Canterus*, *Junius*, *Tollius*, alii, annotarunt, ſapienti ſane conſilio & ſumma diligentia pervolvit, & ex iis, quæ bona fuere viſa, laudatis Autoribus, in ſuas animadverſiones tranſtulit. Neque tamen, quanquam ſæpiſſime & in pleriſque paullo ante laudatos viros eſt ſecutus, nonnunquam ſibi religioni duxit, eoſdem vel relinquere, vel, ſi opus fuit, notare. Quo factum eſt, ut non, quemadmodum *Floridus*, varias Interpretum cogitationes tantum recenſeret, verum etiam, quam duxerit præferendam, ſignificaret Lectoribus atque aperiret. Multum vero in conficiendis ſuis animadverſionibus adjutus eſt Cl. *Souchay* iis, quæ in perexiguo licet *Martini Deſpoſii*, Burdigalenſis codice manuſcripto invenit. Reperit illum forte fortuna ad calcem unius editi e Bibliotheca Regia, ex quo, quæ ad rem pertinebant, diligenter excerpta ſuis obſervationibus inſeruit. Inprimis etiam ex hiſtoria illorum temporum, quibus hic Poeta vixit, animadverſiones ſuas concinnavit, & hujus ope lucem Autori minime raro accendit.



Digitized by Google

Neque enim ſolum hac ratione annum inveſtigavit, quo pleraque carmina ſcripta fuerunt, verum etiam eos ut plurimum feliciter detexit, quorum nomini vates monimenta ſua inſcripſit. Gratum etiam lectoribus futurum arbitramur, quod Cl. *Souchay* in ſuis animadverſionibus ea, quæ tam *Auſonius* ipſe ex aliis, quam quæ alii, maxime Galli, ex Noſtro expreſſerunt, aut indicavit, aut retulit, ac relata inter ſe comparavit. Ex quibus ſane intelligitur, quanti præſtent animadverſiones Cl. *Souchay* annotatis *Jul. Floridi*, quantumque *Auſonius* novis ornamentis editus Cl. Editori debeat. Melius tamen noſtra ſententia feciſſet Doct. *Souchay*, ſi, quæ ipſe in hunc Poetam eſt commentatus, ipſi *Auſonii* textui æque, ac *Floridi* obſervationes, ſubjeciſſet, ne ſtudium legendi evolvendis ad calcem animadverſionibus remitteretur. Quibus adjiciuntur obſcœna e textu *Auſoniano* reſecta, *Scaligeri*, *Vineti*, *Floridi*, aliorum, annotationibus explicata. Accedunt denique tres in Poetam noſtrum indices ſatis ſpiſſi pro more harum editionum. Primus eorum exhibet voces omnes Latinas, quæ in univerſis *Auſonii* Operibus occurrunt. Alter, qui ex editione *Tollii* deſumtus eſt, ſiſtit voces uſus rarioris, tam veteres, quam novas, adjectis vocibus, ab *Tollio* prætermiſſis. Tertio vero indicantur Græcæ & ex Græco Latinoque per jocum compoſitæ voces, quæ in hoc Poeta obſervantur. Multis inſuper hæc editio ſcatet erroribus typothetarum, prout illud ab ipſo Editore adjecta judiciis de *Auſonio* emendanda in textu, in interpretatione, in notis *Floridi*, in animadverſionibus *Souchay*, & in Diſſertatione ipſa de *Auſonii* vita & ſcriptis, plus ſatis demonſtrant, quæ tamen ſine ullo negotio multis poſſent exemplis adaugeri. Ceterum illud Lectores ignorare nolumus, paginæ 433, qua Epiſtolæ *Auſonii* incipiunt, præmiſſum eſſe novum titulum Tomi ſecundi indicem. Quoniam vero pagina, quæ fuit in primo Tomo, in altero etiam eſt continuata, incertum, quo conſilio, nos in recenſione hujus editionis pro uno tantum Tomo habuimus Opus integrum, præſertim cum nec moles Voluminis obſtet, quo minus una poſſit ligatura comprehendi, nec priori titulo Tomus primus legatur inſcriptus.

LES

Digitized by Google

## LES METAMORPHOSES D'OVIDE &c.

h. e.

## *P. OVIDII NASONIS LIBRI METAMORphoſeon, Gallice converſi cum notis & explicationibus hiſtoricis, Autore BANERIO, Abbate, Academiæ Regiæ Inſcriptionum & elegantiorum literarum Socii; cum imaginibus æri inciſis.*

## *Tomi III.*

Amſtelodami, apud R. & J. Wetſtenios & G. Smith, 1732, 12.
Tom. I pl. 20, Tom. II pl. 14, T. III pl. 12, Tabb. æn. 2.

Diu eſt, cum in fabulis antiquorum Poetarum declarandis cum laude verſatur Vir doctiſſimus, ut cujus explicatio fabularum hiſtorica (*Explication hiſtorique des fables*) anno ſeculi hujus XV iterum edita, copioſam harum rerum meſſem lectoribus offerat. Quo facilius illi fuit hoc opus ſuſcipere, & metamorphoſes *Ovidianas*, ut factum jam videmus, illuſtrare. In Præfatione primam fabularum originem refert cum aliis ad ea tempora, cum in ſuas Noachidæ colonias primum abiere, neque tamen ab iisdem hominibus fictas ait, neque tempore eodem. Fundamentum & radices quaſi habuerunt veritatem ipſam, ſpeciatim illud Dei cum hominibus commercium, de quo Patriarcharum fide acceperant. Acceſſit admiratio corporum cœleſtium, totiusque naturæ, & ſi qui inter homines excellerent, in quibus ornandis luxuriarunt ingenia. Acceſſit peregrinantium vanitas & credulitas, licentia pictorum, (modo ſatis antiqua illa ars ſit, ut ad catholicas illas fabulas referri poſſit,) linguarum ignorantia, quæ æquivocationes peperit, ſuperbia hominum origines ſuas illuſtrare volentium, ſacerdotum compendia, atque licentia Poetarum, quorum enixa opera inprimis factum, ut Hiſtoria & Theologia gentilium fabulis impleretur. Quicquid fere erat ad ſuam usque ætatem fabularum, collegit, & ſummo artificio contextum propoſuit *Ovidius*, ita quidem, ut varietate admirabili in ſimilibus



Digitized by Google

factis enarrandis, & copia quadam beata, nunquam exareſcentis ingenii flumine, a chao inde ad ſua tempora perpetuum carmen deducat. Sed illa vis ingenii, illa copia, luxuriat ſæpe, ut nimis multa dicat, ut nihil cogitandum lectori relinquat, ut luſus verborum & acumina rebus ſeriis miſceat. Utraque res h. e. copia illa felix, & illa prope ad faſtidium & ſatietatem producta luxuries, difficultatem pariunt interpreti, inprimis verborum luſus, quos vix admittunt teretes hodie auriculæ, adde ingenium Gallorum impatiens, qui nolunt ſibi bis eandem rem dici, adde defectum ſynonymicarum vocum & phraſium &c. Majus negotium exhibet interpreti caſto illa *Naſonis* licentia, qua de amatoriis rebus libere admodum & remoto ſæpe velo locutus eſt. Has & plures difficultates cedere juſſit interpres noſter autoritati *Bozii*, perpetui Academiæ inſcriptionum Secretarii, propoſuitque ſibi tale interpretandi genus, quod ſenſus autoris bene perceptos quam commodiſſimis linguæ ſuæ verbis reddit, iisque ipſis, quibus uſurum licet ſuſpicari *Ovidium*, ut hoc utamur, ſi noſtro ævo Gallica proſa dicere vellet, quæ elegantiſſimo carmine Romanis ſuis cecinit. Secutus eſt interpres editionem Cl. *Burmanni*, niſi ubi MStorum quorundam lectiones ideam viderentur offerre magis floridam (*une image plus riante*). Ipſi verſus Latini e regione poſiti ſunt editionis majoris, quæ elegantiſſimis figuris exornata, & duplicatis chartis impreſſa, apud eosdem Bibliopolas prodiit, quo Opere jam diu ſpectaculum elegantius non uſurparunt oculi. Quoties autem ab recenſione *Burmanniana* receſſum ſit, notula adjecta indicatum. In explicatione fabularum negat ſe ſpectaſſe Vir Doctiſſ. quicquam præter hiſtoriam, miſſis, quæ alii in iis quærunt & facile inveniunt, morum præceptis, aut alterius generis allegoriis. In his explicationibus non negat eſſe quædam præcepta in libro, quem paullo ante laudavimus, omnia tamen expenſa diligentius: multarum Diſſertationum, in Academia, quam ornat, prælectarum, hic ſumma capita breviter conjecta: multum profuerunt & interpretationi & declarationi Collegarum monita. Quæ ſpinoſiora videbantur, hic omiſſa, cum omnibus ſcriptus ſit hic liber,

Digitized by Google

liber, non doctis, quos ſua opera indigere, modeſte negat. Sed cum ait, ſe rejeciſſe lectores ad Autores alios, ubi edoceri queant luculentius, viderit, quatenus hoc ſit præſtitum. Videmus quidem, paſſim laudari *Diodorum Siculum*, *Apollodorum*, *Servium*; ſed ſolis nominibus laudari, quod genus neceſſarium antiquis temporibus, hodie quidem ſubleſtum &, ut verum dicamus, ſubabſurdum videtur, ſimileque illius mulieris facto, quæ ad maritum cum daret literas, ex Gallia forte, ita eas inſcripſit: *Viro meo, in Germania.* Idque ipſe agnoſcit Vir doctus, quod inde apparet, quia recentiorum fere libros ſatis accurate laudat, indicata etiam editione. Num id ſibi vult *Banerius* & plerique ipſius populares, adeo familiares eſſe debere lectoribus Autores antiquos, ut leve indicium ſufficiat? At hi æquiſſimo animo toto illo choragio carent. Scilicet eam ob cauſam in margine ponuntur autoritates, ut, qui velit, requirere illas poſſit. Quantillæ vero operæ eſt, ſi ante oculos & præ manibus habeatis, Viri politiſſimi, *Plutarchum*, *Diodorum Siculum*, reliquos, ut illud tribuatis nobis vel occupatis, vel non ita, quam vos, in veterum librorum lectione verſatis, ut comiter indicetis, quo non tantum libro, nam illud ſic ſatis ſæpe videmus fieri, ſed Capite, ſed verſu, ſed pagina certe, reperiamus, ad quæ nos ablegatis. Quandoquidem ipſa verba veterum, Græca præſertim, proponere, ne qua labes tam elegantibus libris inferatur, non ſoletis. Nolumus interpellari lectores reliquos, quibus multo pumice levigatæ chartæ veſtræ deſtinantur; ſed illud petimus, quod humanitas veſtra vix poteſt negare, ut, cum in marginem nos rejicitis, ibi certe non nomina ſola ponatis, ſed quærendi moleſtia nos levetis, niſi vultis forte, in eam nos ſuſpicionem venire, tractari veſtros a vobis lectores, ut peregrinatores quidam ſuos auditores ſolent. Hi cum narrarunt multa incredibilia, ſi quis dubitare ſe indicet, eum abire jubent ad eas gentes, de quibus prædicant, & rem coram explorare. Etiam veſtra, credite, intereſt, hanc nobis veniam uti detis. Sunt enim ſuſpicioſi homines, qui alienis oculis, & fide aliorum laudari a vobis dicant veteres, qui ex verſionibus Latinis aut Gallicis Græcorum

minus

Digitized by Google

minus accuratis vel male intellectis vos ſapere, & quid non?
vel muſſitent vel dicant. Noſtis, quid de vobis *Burmannus*:
ſed hæc præter inſtitutum. Hoc agamus! ſumamus ſpecimi-
nis cauſa librum ſeptimum, &, quid hic dignum obſervatione
lectorum noſtrorum occurrat, videamus. De verſionis ratio-
ne dicere nos nihil attinet, niſi ſicubi illa videtur nimis ab Au-
tore recedere. Ut *v. 62*: *Quid? quod neſcio qui mediis*
concurrere *in undis montes dicuntur*, dilute nimis vertit: *je*
p. 5. *ſais qu'il s'y rencontre des écueils*, ſcilicet, quaſi legatur *occur-*
*rere*, cum tamen ad Symplegadas reſpiciat *Naſo* ſ. Cyaneas ru-
6. pes. *V. 97*, omiſſa ſunt verba *Ovidii*, quæ ad jusjurandum
Jaſonis pertinent, & maximam vim habent, *Eventusque ſuos*,
*per tanta pericula*. *V. 117*, multo plenior eſt & magis na-
tiva imago Poetæ: *Pendulaque audaci mulcet palearia dex-*
*tra*, quam iſta interpretis, *après les avoir careſſez de la main*;
7. *V. 119*: *inſuetum ferro proſcindere campum*, *un champ*, *qui*
*n'avoit jamais été labouré*. Putabamus, id velle *Ovidium* con-
ſuetiſſima metabole, boves illos nunquam antea araſſe. *V. 133*
non apparet ratio, cur *Pelasgi* h. e. ſocii omnes Jaſonis, vo-
8. centur *les Capitaines* (ita ſcriptum, non *Capitains*,) *Grecs*:
paullo poſt eos vocat *les Princes Grecs*, quod forte facilius
concoquas. *V. 156 ſpolioque ſuperbus Muneris auctorem, ſecum,*
*ſpolia altera, portans*. Hic addit Interpres aliquid, plane con-
tra decorum, ut nobis quidem videtur, *fier de cette riche dé-*
*pouille*, plus fier encore *de la conquête de Medée &c.* Quin
9. Medeæ præſentia minuebat ſuperbiam, quæ tacita objiceret,
non virtute ſua, ſed veneficæ artibus, ſpolia illa ſe conſecutum.
In explicatione hujus fabulæ de aureo vellere, quo Jaſon Me-
deæ ope potitus eſt, proponit quædam eorum, quæ de hiſtoria
pleno, quod ajunt, ſacco dudum collegerunt Viri docti, inprimis
autem ad explicationem fabularum a ſe editam & quasdam
Diſſertationes, in Academia Inſcriptionum prælectas, provocat.
Adoptat etiam, quod nuper in *Lavaurii* collatione fabularum
cum hiſtoria ſacra facientem vidimus, *Bocharti*, quem *Jo. Cle-*
*ricus* ſequi ſolet, de origine fabularum, certe nominum, ex
oriente repetenda, ſententias: niſi quod Ebraicas literas non
ponit,

Digitized by Google

ponit, ne politos homines deterreat, credimus, qui mètus nos non prohibet. Ita *Argo* eſt navis longa, cum rotundæ fuiſſent ſuperiores, ab ארך: ita Harpyiæ ſunt ארבה *locuſtæ*, ita cum *Gaza* ſ. radix עז & ad *arietem* & ad *theſaurum* notandum apta ſit, patere ajunt originem de *vellere arietis aureo.* Cum שור ſ. תור non minus *taurum*, quam *muros*, נחש *ſerpentem* pariter ſ. *draconem* & *æs*, e. c. g. a. ſignificent, facile eſt ad exiſtimandum, quantus ingenio poetarum & interpretum campus patuerit, pateat. Si hoc ſpecimine judicandum ſit, elegantia libro & venus ſua conſtat omnino, non tantum ſi, majoris præſertim, editionis nitorem ſpectes, ſed etiam ſi Cel. Autoris dictionem & rationem narrandi, qua tenebit facile illos, qui ſua lingua legere *Naſonem* non poſſunt, & tamen, quibus ille rebus populo ſuo placuerit, ſcire non nolunt: reliquos qui accuratius legere Poetas & intelligere ſtudent, ad fontes ipſos, aut, ſi omnino Gallicos interpretes cognoſcere velint, ad *Meziriacos*, & ſi qui horum ſunt ſimiles, ablegare fas fuerit.

## *EVERARDI OTTONIS, JCTI ET ANTECESSORIS, de Tutela viarum publicarum liber ſingularis; cujus Pars I eſt de Diis Vialibus, II de Magiſtratibus Viocuris, & III de Legibus ad viarum ſecuritatem pertinentibus.*

Trajecti ad Rhenum, apud A. Hoſmans & J. S. Boſch, 1731, 4. Alph. 1 pl. 14.

Eſt vero, quod *Everardi Ottonis*, celeberrimi JCti, ſumma in rem literariam merita honorifica mentione proſequamur. Qui cum omnem ætatem ſuam Themidi Muſisque ſacram eſſe voluerit, tot præſtantiſſimis præclariſſimisque libris regni literarii terminos mirifice ampliavit. Cujus ſingulari indefeſſæque diligentiæ novum hoc ſelectæ exquiſitæque doctrinæ monimentum debemus, in quo tam amplum pretioſumque elegantioris doctrinæ theſaurum reperies, quem fruſtra

 ſtra

Digitized by Google

ſtra quæſiveris alibi. Divertit in Romanorum Græcorumque vireta, & amœno jucundoque hoc excurſu & delectat, & prodeſt, & difficillimis Autorum legumque locis lucem affundit clariſſimam. Diſcant inde noſtri homines, præſertim ii, qui in Themidis caſtris haud imbelles milites eſſe cupiunt, quam egregiam inuſitatamque utilitatem afferat, primos juventutis annos melioribus literis ſapientiſſimo tradidiſſe conſilio. Illuſtris enim *Otto*, cum olim ea, quæ ad Ædilium Curulium munia pertinent, ſumma conquiſiviſſet induſtria, in *Bergierii* Opus de publicis & militaribus Imperii Romani viis, & notas, quibus Opus hoc illuſtraverat *Henninius*, incidit. In quo libro, cum Deos viales, legesque viatorum gratia latas, nequicquam quæreret, & ſpicilegium quoddam de magiſtratibus viocuris ſibi relictum videret, tentare cœpit, num opis aliquid & adjumenti communibus Muſarum ſacris afferre poſſet. Calcar præterea addidit ipſi, quod *Scaliger* ad Catalecta pauca de Diis vialibus literis mandaſſet, & liberale *Reineſii* hac de re commentandi promiſſum morte ejus interierit. Hinc Deo bene juvante Halæ A. 1714 Partem priorem hujus libri, quam tamen in nova hac editione novis iisdemque exquiſitiſſimis acceſſionibus locupletavit, in dias luminis auras emiſit, alteram vero & tertiam Partem inchoatam relinquere eum juſſit demandata ipſi jura Duisburgi docendi provincia. Nunc eo alacrior promptiorque ſpem nobis olim factam explet, quo magis non vanum eum fuiſſe augurem, & ſuo exemplo permoviſſe alios, ut hanc materiam, quam plane deſertam intactamque reliquerant viri docti, ſibi excolendam illuſtrandamque ſumerent, lætatur. Laudat proinde *Gottlieb Siegfriedum Bayerum*, qui Deos viales Græcorum, & Reverendum *Chriſtianum Weiſium*, qui Numina Hebræorum, Chaldæorum, aliorumque binis Diſſertationibus expoſuit, quorum clariſſimorum Duumvirorum labore ſe egregie adjutum fuiſſe in ornando expoliendoque hoc libro, gratus fatetur. Libri inſcriptionem a voce latiore tutelæ ſumſit, quæ non modo viarum munitionem, ſed Deos etiam viales, & Magiſtratus viocuros, ac leges itinerum ſecuritatem præſtantes ambitu ſuo comprehendit.

Digitized by Google

dit. Dii ſane Deæque a certis, quas terra vel mari habebant, tutelis nomen hoc acceperunt, idque memorata toties apud *Ovidium*, *Petronium*, & in Marmoribus priſcis *tutela proræ*, *hortorum*, *loci & navigii* abunde confirmat. *Horatius* quoque Auguſtum curatorem viarum maximum, *tutelam Italiæ præſentem*, vocavit. *Celſus* autem noſter, proprio ſignificatu, legati *ad tutelam viæ Aureliæ* meminit; ſicut *Clodius* ex reditu legato Reipublicæ Campanorum *viæ tutelam* præſtitiſſe dicitur in lapide *Gudii*. Tribus pulcherrimus hic liber partibus abſolvitur. Pars I Diis vialibus ſacra eſt, cujus Cap. I de religione & ſuperſtitione veterum peregrinantium, Cap. II de ſtatuis, aris & templis Deorum vialium, Cap. III de Diis vialibus Ægyptiorum, Judæorum & Syrorum, Cap. IV de Diis vialibus Chaldæorum, Arabum & Perſarum, Cap. V de Diis vialibus Germanorum, Gallorum, Britannorum, Hiſpanorum, Indorum, Turcarum & Ruſſorum, Cap. VI de Jove, Græcorum & Romanorum ſummo viarum Præſide, Cap. VII de Apolline Baccho & Jano, Cap. VIII de Diana, Hecate, Venere & Iſide, Cap. IX de Mercurio, Cap. X de Hercule, Cap. XI de Laribus & Geniis vialibus, Cap. XII de Silvano, Priapo, Fortuna, Bivia & Quadrivia, Cap. XIII de Neptuno, Dioscuris & ceteris Diis marinis, Cap. XIV de fatis Deorum vialium agit. Pars II Magiſtratus viocuros complectitur. Tractat hic Autor Cap. I de regia cura viarum publicarum. Cap. II de Cenſoribus, primis præfectis viarum Romanarum. Cap. III de Ædilibus Curulibus & Municipalibus, viarum urbanarum Curatoribus. Cap. IV de magnifica viarum ſtructura, ſecundum legem viariam Gracchi, Tribuni. Cap. V de Quatuorviris, Duumviris & Curatoribus viarum. Cap. VI de Auguſto, tutore viarum maximo. Cap. VII de Præſidum cura viarum in provinciis. Pars III leges ad viarum ſecuritatem pertinentes recenſet. Continet Cap. I Edictum viarium Ædilium Curulium. Cap. II occaſionem & neceſſitatem hujus Edicti. Cap. III ſententiam hujus Edicti. Cap. IV ſanctionem Edicti, ejusque æquitatem. Cap. V Edictum Prætoris de dejectis, effuſis, & pericu-

 loſe

Digitized by Google

loſe poſitis. Cap. VI Edictum Prætorum adverſus nautas, caupones, & ſtabularios. Cap. VII Edictum Prætoris adverſus Publicianos. Cap. VIII Interdicta Prætorum viaria & de via reficienda. Cap. IX pœnas raptorum, latronum, & piratarum. Cap. X cædem viarum expiandam, & damnum ſpoliatis reſarciendum. Cap. XI varias Leges viarias. Sed tempus poſtulat, ut, ſpecimine uno alteroque allato, dictis noſtris fidem faciamus.
p. 6. Magna fuit religio Græcorum, qui non temere ſe in viam dabant, niſi ſacra feciſſent iis vialibus, & ab iis iter felix fortunatumque exoraſſent; id quod Agamemnonis, Achillis, Ajacis & Neſtoris, apud *Homerum* exemplis confirmat Noſter.
8. Inprimis *Arrianus* in *Epictetum* L. III Cap. 21 hujus rei veritatem comprobat, cujus verba, etſi pauliſper prolixa, digna nobis viſa ſunt, quæ hic transſcribamus: Ἀλλ' ἀπολιπόμενος μὲν οὐδεὶς ἀνάγεται μὴ θύσας τοῖς θεοῖς, καὶ παρακαλέσας αὐτοὺς βοηθούς, οὐδὲ σπείρουσιν ἄλλως οἱ ἄνθρωποι, εἰ μὴ τὴν Δήμητραν ἐπικαλευσάμενοι. Ἡλικοῦ δ' ἔργου ἁψάμενός τις, ἄνευ θεῶν ἀσφαλῶς ἅψεται; καὶ οἱ τούτῳ προσιόντες εὐτυχῶς προσελεύσονται. Nec minori pietate iter ſuſcipiebant Romani. *Livius* L. XXVII Cap. 45: *Deos omnes Deasque precabantur, ut illis fauſtum iter, felixque pugna, matura ex hoſtibus victoria eſſet.* Apud *Tacitum* L. XV Cap. 36. Nero in provincias orientis iturus, *ſuperea profectione adiit Capitolium, illic veneratus Deos. Petronius* Sat. Cap. 117: *His ita ordinatis, quæ bene feliciterque evenirent, precati Deos, viam ingredimur.*
16. Sed quo major erat veterum religio, eo major quoque prave religioſorum ſuperſtitio. Hi enim nunquam peregrinabantur, niſi, auſpiciis captis, Mathematicos conſuluiſſent, aut, geneſi ab illis facta, cognoviſſent, iter fauſtum ſibi fore ac felix. *Juvenalis* Sat. VI v. 577:

*Ad primum lapidem vectari cum placet, hora*
*Sumitur ex libro.*

Inprimis vulgus credens, principiis omnia ineſſe, muſtelæ occurſum ſcævum habebat, nec pergere audebat, niſi tribus lapidibus ante ſe miſſis, uti ridet *Theophraſtus* in Character. Eth. Cap. 16. Aliis pedum offenſiones, & abruptiones corrigiæ, &

Digitized by Google

& ſternutamenta ſiniſtri ominis erant; uti docet *Ovidius* L. I Amor. El. 12 v. 3: p. 17.

*Omina ſunt aliquid, modo cum diſcedere vellet,*
*Ad limen digitos reſtitit icta Nape.*
*Miſſa foras iterum limen tranſire memento*
*Cautius, atque alte ſobria ferre pedem.*

Multa etiam obſervatio de cœlo, nubium atrarum & fulgurum. Hinc cum Eutychus dixiſſet apud *Plautum* Merc. Act. V Sc. 2 v. 37:

*Recipe te ad terram, Charine, huc, nonne ex adverſo vides?*
*Nubis ater imberque inſtat; adſpice nunc ad ſiniſtram:*
*Cœlum ut ſplendore eſt plenum, ex adverſo vides?*

Charinus quaſi religatus, & a ſuſcepto itinere prohibitus, addit:

*Religionem illic objecit, recipiam me illuc.*

Sed mittamus alias perverſorum hominum ſuperſtitiones, & ad majores noſtros nos convertamus, qui ſolem & lunam viarum duces eſſe exiſtimarunt, & utrumque Numen ſumma religione coluerunt. Saxones, cum in Angliam veniſſent, a Re- 75.
ge Britonum de religione interrogati, reſpondent: *Si vero de religione quæritur, noveris, nos, juxta morem paternum, ſolem adorare.* Boji ſimiliter, qui in agrum Noricum tranſierant, eundem ſub nomine Beleni colebant. *Tertullianus* in Apol. Cap. 24: *Unicuique etiam provinciæ & civitati ſuus Deus eſt, ut Syriæ Atargatis, ut Arabiæ Duſares, ut Noricis Belenus.* Antiqui Codices non *Belenus*, ſed *Tibilenus* legunt, unde *Fabricius* & *Maſius* eum malum dæmonem eſſe cenſent, quem Slavi *Zeerneboch* appellabant, quique adhuc *Tibileni* nomine, *Dievel, Duvil, Teuffel,* Germanis vocatur. *Pamelius* in not. ad *Tertullianum Belenus* vel *Dius Belenus*, vel *Belinus* legendum eſſe monet, quia ab Aquilejenſibus in agro Carnorum vicinis id nominis accepere Norici, illi vero Apollinem ſuum *Belenum* appellarunt. Confirmat id Inſcriptio apud 76.
*Gruterum* p. 36 n. 12:

APOLLINI
BELENO
C. AQUILEIENS
FELIX.

Innumeras de etymologia hujus nominis ſententias fovent viri docti, ſed nos Autoris ſententiæ calculum addimus, qui Belenum nil aliud, quam ſolem flavum & auricomum, aut, quaſi a βέλα, ſplendorem ſolis notare, eumque ceu *viarum præſidem*, ſub eo nomine apud priſcos Venetos, Germanos & p. 77. Gallos, cultum fuiſſe recte exiſtimat. Luna pari ſuperſtitione apud majores noſtros fuit celebrata: neque enim fas, nec conſuetudo iis erat, ante novam lunam prælio contendere, ut ſcribit *Cæſar* L. I de Bell. Gall. Cap. 50. Quid? quod non Germani ſolum, ſed populi omnes Boreales, Lunam *magis*, quam ſolem, venerati, & in ea, tanquam in πανθέῳ, & totius virtutis cœleſtis receptaculo, reliqua Numina complexi fuerunt. 81. De Dea Zelandorum Nehalennia obſervat Ampliſſ. *Otto*, illos egregie fallere, qui a Syris, Græcis, Hebræis aut Belgis, hujus vocis originem repetunt, & *Altingii Gundlingii*que ſententiæ ſubſcribit, qui, majori veritatis ſpecie, a Germanico *nie bel*, quod novum lumen indicat, nomen Divæ deſcendere conjiciunt. Firmat hanc conjecturam Autor *Plinii* majoris autoritate, qui L. XVI Cap. ult. Gallis ſextam lunam principia menſium & annorum feciſſe, teſtatur. Deam autem vialem fuiſſe eam, vel ex eo liquet, quod reduces in portum vota in itinere ſuſcepta ipſi ſolvebant, id quod vel una Inſcriptio 82. docet, quam *Keislerus* Antiqu. Sel. Sept. & Celt. §. 18 & 45, 46, 47, pluribus illuſtravit:

DEAE NEHALENNIAE
OB MERCES RECTE CONSERVATAS
SECVND. SILVANVS
NEG OTTOR CRETARIVS
BRITANNICIANVS
V. S. T. M.

Et, quamvis Nehalennia Zelandiæ Numen ἐπιχώριον fuerit, alibi tamen non prorſus ignota fuiſſe videtur. Nam & Nemauſi Deam

Deam cum iisdem ſymbolis obſervarunt Galli eruditi, & *Dea Neba* apud *Gruterum* non alia eſſe videtur. Inter Deos viales Græcorum Romanorumque præcipuum locum tenet Jupiter, p. 101.
qui peregrinantium præſes, jura hoſpitibus dediſſe creditur: hinc ξείνος Ζεὺς apud *Homerum* Odyſſ. ξ v. 55 & 283, & *Jupiter hoſpitalis* apud *Plinium* vocatur Lib. XXXVII H. N. Cap. 5. *Virgil. I Æneid. v.* 735:

*Juppiter: hoſpitibus nam te dare jura loquuntur.*

Idem ille *peregrinus, Salvator, Serenator, Conſervator, Cuſtos,* dicitur in numis & marmoribus. Atque non ſolum ii, qui 102.
terra proficiſcebantur, ſed etiam illi, qui maria trajiciebant, in tutelam Jovis, Optimi patris, quem *Æſchylus* apud *Pauſaniam* L. II Cap. 24 *maris Regem* vocat, ſeſe commendabant. Indicat hoc monimentum antiquitatis pulcherrimum, in Choro Eccleſiæ Cathredalis Pariſienſis A. 1711 inventum; quod *Baudelotii, Malturii, Leibnitii & Eccardi*, ingenia exercuit. In primo ejus lapide hæc occurrit Inſcriptio, apud Anonymum *de la religion des Gaulois* T. 2 Cap. 11:

TIB. CAESARE
AVG. IOVI. OPTVM.
MAXVMO. M
NAVTAE PARISIACI.
PVBLICE. POSIERVNT.

Præter Jovem & alios venerabantur Deos viales veteres, Apollinem, Bacchum, Janum, Mercurium, Herculem, Dianam, Hecaten, Venerem, Iſidem, Lares & Genios viales, Sylvanum, Priapum, Fortunam, Biviam, Quadriviam, Diocuridem, & ceteros Deos marinos, de quibus docte copioſeque agit Noſter. Memoratu digna eſt ſuperſtitio gentium, quæ, ne in ſexu aberrarent, utrumque conjunxerint. *Livius* L. VII Cap. 26 de M. 112–291. 299.
Valerio pugnante: *Precatus deinde, ſi divus, ſi diva eſſet, qui ſibi præpetem miſiſſet.* *Servius* ad L. II *Æneid.* v. 351 ait, in Capitolio clypeum conſecratum fuiſſe, cui inſcriptum: *genio urbis Romæ ſive mas, ſive femina.* *Macrob.* L. III Saturn. Cap. 9: *Si Deus, ſi Dea eſt, cui populus civitasque Carthaginienſis eſt in tutela.* Inprimis Lectoribus noſtris commendamus elegantiſſi-

Digitized by Google

p.293–313. tiſſimas illas obſervationes, quas de fatis Deorum vialium, immenſæ vaſtæque lectionis apparatu, attulit doctiſſimus *Otto.* Non patitur inſtituti ratio, ut prolixiores ſimus in recenſendis pulcherrimis rebus, quæ duabus poſterioribus hujus libri Partibus continentur. Quapropter illas per indicem allegaſſe
314–325. ſufficiet. Lectoris attentionem merentur, quæ de regia cura
325–352. viarum publicarum, de Cenſoribus & Ædilibus Curulibus, de
385–401. Auguſto Imp. & de præſidum cura viarum in provinciis diſſerit,
401–413. ubi haud pauca invenies, quæ eorum munia accurate illuſtrant, & toti Jurisprudentiæ Romanæ lumen afferunt. Nec injucundæ, neque infructuoſæ ſunt illæ obſervationes, quibus leges viarias Magiſtratuum Romanorum explicat, quæ noxia animalia haberi vetant, qua vulgo iter fit. Eſt igitur, quod gratias agamus diligentiſſimo *Ottoni* pro egregio ac præclaro hoc libro, quo inſignes ac eximias divitias ſuas cum literato orbe communicavit, Deumque precemur, ut ſimiles viros excitet, qui collapſæ Jurisprudentiæ, antiquitatum præſidio, medelam afferant exoptatiſſimam.

## HISTOIRE DE LA FABLE &c.

hoc eſt,

## *HISTORIA MYTHICA, HISTORIÆ SAcræ collata, Autore LAVAURIO.*

## *Tomi II.*

Amſtelodami, ſumtibus Societatis, 1731, 12.

Plag. 19.

Diſſertatione in fronte Operis collocata primum docet Cl. Autor, quibus quaſi gradibus veritas de rebus divinis hominumque ſalute cum primis mortalibus communicata divinitus, & ad eluvionem illam univerſalem utcunque conſervata, ex animis hominum mali dæmonis artibus exſtirpata ſit; quidque contra ea divina ſapientia conſilii ceperit, ad ſervanda illius veritatis propagandaque ſemina. Hic ſtatim obſer-
21. vamus, fidem adhiberi ab Autore noſtro pervulgatæ de co-
lumnis

Digitized by Google

lumnis Sethi vel Sethitarum narrationi, idque exemplum ſecutos Ægyptios, columnis Mercurii (quem Moſen ait) elementa doctrinæ inſcripſiſſe. *Hyeſos* Ægyptiorum, ſive *reges paſtores* (eandem vocem lingua Hebraica * *paſtores captivos* notare, neſcio qua fide vel quo argumento, tradit,) eſſe Iſraelitas in p. 26.
Ægypto commoratos, credit. Ægyptios circumciſionem ab 29.
his accepiſſe, (quod ipſum ſatis magnum indicium ſit, quanti illos fecerint,) inde etiam colligit, quod Pharaonis filia Moſen puerulum hoc argumento videatur pro Ebræo habuiſſe; & quod poſt circumciſionem illam totius populi, Joſua autore adminiſtratam, *dedecus Ægypti* ſublatum a populo dicatur *Joſ. V, 9.* Non obliviſcitur in hoc argumento illius, quod de Pſammeticho narrant *Diodorus Siculus* & *Herodotus*, illum Græcos in regnum ſuum allectos hoſpitio & civitate ſibi devinxiſſe. Ægyptii igitur Ebræis debent rerum divinarum humanarumque notitiam, Græci Ægyptiis: quod eo uſque verum eſt, ut 48.
ipſi etiam modi loquendi ſubliniores, *lingua illa Deorum* Poetis celebrata, originem Ebraicam agnoſcant. Ex eodem fonte illa ratio Deos ſubinde admiſcendi & ex machina quaſi ad- 49.
vocandi manavit: itemque quod hiſtoriæ veteris Teſtamenti fabulis gentilium veſtitæ ſunt. Hoc oſtendere conatos eſſe exemplis quibusdam ſingularibus *Steuchum*, *Bochartum*, *Huetium*, *Thomaſſinum*. Sed contradictum illis eſſe ab his, qui 55.
contenderent, mythologiam Græcam eſſe Moſe antiquiorem, (vellemus, nominaſſet Cl. *Lavaurius* ex hoc genere aliquem,) certe Judæorum res Græcis non niſi poſt Alexandri victorias innotuiſſe. Hac ſe ratione inductum, diligentius tractandum hoc ipſum ſibi argumentum ſumſiſſe: de cujus utilitate plura deinde diſputat: prædicat ſtudium ſuum examinandi per ſe 61.
ſingula, ne auferretur facile ab aliis, ſperatque, ſi ſingula non videantur magnam vim habere, univerſa tamen, in corpus quaſi quoddam collecta, admirationem & attentionem homi-

 num

* Si Ægyptiam nominaſſet, conſentiret cum *Joſepho*. Sed plura licet obſervare talia, v. g. in etymologia *Phœnicum* dicit *Phé-anak* ſignificare *filios Enaci*, &c.

Digitized by Google

num meritura. Ante vero, quam ad ipſam rem accedat, de
p. 62. oraculis & de Sibyllis quædam diſputat. De illis profitetur, non potuiſſe ea in univerſum a fraudibus ſacerdotum proficiſci, ſed miniſterium dæmonum omnino intercesſiſſe, qua in re ad autoritatem inprimis Philoſophorum, Principum, & eorum, qui flos generis humani videri poſſint, provocat. Notabilis eſt *Tertulliani* fiducia, cujus locum laudat Noſter, quem ex *Apol.* Cap. 23 p. 226 *Havercampi* huc adſcribamus: *Edatur hic aliquis ſub tribunalibus veſtris, quem dæmone agi conſtet. Juſſus a quolibet Chriſtiano loqui Spiritus ille, tam ſe dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falſo. Æque producatur aliquis ex iis, qui de Deo pati exiſtimantur, niſi ſe dæmones confeſſi fuerint, Chriſtiano mentiri non audentes, ibidem Chriſtiani illius procaciſſimi ſanguinem fundite.* Tri-
68. butum hoc quaſi exegiſſe Deum ait a malis ſpiritibus, ut faterentur, quam nihil valerent adverſus Jeſum Chriſtum, non minus, quam cum coegerit Bileamum benedicere Iſraelitis. Dæmonibus etiam tribuit Autor celeres illos pugnarum nuncios veteribus celebratos, itemque curationem cœci a Veſpaſiano
87. perfectam, qua firmare voluerint opinionem hominum, oraculum illud toto oriente pervulgatum, *fore, ut Judæa profecti rerum potirentur*, apud *Tacitum* & *Suetonium*, ad Veſpaſianum a Chriſto transferentium. Oracula denique præſentia Chriſtianorum, & per nomen J. C. obmutuiſſe, cum teſtimo-
76. niis exceptione majoribus conſtet, tum confirmari, ait, exemplis novorum inter Indos Chriſtianorum, quorum præſentia veri nominis oracula, & fraudibus ſolis ſacerdotum minime debita, obmuteſcant; quam in rem teſtem advocat *Bouchetum* in Collectione Epiſtolarum, a Miſſionariis Indicis miſſarum, edita A. 1711. De Sibyllis (*Sybillas* ſcribit perpetuo vel ipſe, vel typographus Belga,) conſenſione ſapientiſſimorum totius antiquitatis ſcriptorum illud certum eſſe ait; veras ab illis prædi-
79. ctiones ortas; illas certe in dubium vocari non poſſe, quæ prolatæ illo tempore ſint, quo in omnium manibus Sibyllini libri verſarentur, illasque, quæ in paganorum ſcriptis, ante C. N. editis, habeantur. Speciatim exceptione omni majorem putat

tat illam, quæ *Ciceroni* conquerendi occaſionem dederit de Divinat. II §. 110, 111 & 112, *eum, quem revera Regem habebamus, appellandum quoque eſſe Regem*, &c. itemque eam, quam Ecloga IV *Virgilius* retulerit: peccaſſe utrumque, & Oratorem & Poetam, in eo, quod, quorſum pertinerent illæ prædictiones, non viderint: prædictiones quidem ipſas fuiſſe veriſſimas. Hæc de Diſſertatione. In ipſo libro non erimus longi, cum fere ſufficiat argumenta indicaſſe, & illud monuiſſe generatim, videri Autorem a *Bocharto*, *Huetio*, aliisque, animadverſa hic ſatis populari & dilucida oratione propoſuiſſe; utrum de ſuo multa adjecerit memoratu digna, non habemus dicere. De *ει* inſcripto portæ Apollinis Delphici *Plutarchi* libellus eſt, quo p. 88.
is eo tandem evadit, eſſe hanc ſecundam perſonam verbi *εἰμὶ*, qua indicetur, Deum eſſe *τὸν ὄντως ὄντα*: Noſter illud ex Moſis diſciplina & illo *ero, qui ero*, hauſtum affirmat. Origines 94.
mundi & Deorum, Saturnum, Janum, Japetum, Jovem, Neptunum, &c. cum initiis hiſtoriæ Moſaicæ comparat. Nimirum Saturnus & Janus, Noah ſunt; Jupiter, Chamus; Japhet, Neptunus; Prometheus & ipſe Noah; Pluto, Semus; Mercurius, Joſephus & Moſes; Tubalcain, Vulcanus; Japetus, Japhet; Minerva, ſapientia divina; Bacchus imago eſt Noæ & Nimrodi, maximam vero partem Moſis; (neſcimus, unde ſumſerit Noſter etymologiam Semeles, matris Bacchi, ab *ἄσελος, fulgura*, & *μέλειν, optavit*, *) Heroas ſ. Semideos ortos ait ex Gen. 145.
VI, ubi de nuptiis filiorum Dei cum filiabus hominum. In Argonautarum fabula invenit expeditionem Moſis & Joſuæ; Athamas Abrahamus eſt, Phryxus Iſaacus, Nephele Hagar, Phineus Pharao, Medea Rahab, &c. In hac inprimis comparatione videtur elaboraſſe Noſter, & hic forte quædam reperies, quæ ipſi ſunt propria. Huc referas forte, quod *Athamantis* nomen 174.
putat ortum eſſe poſſe a Græco *ἀθανασία*, cum Abraham ſignificet patrem poſteritatis innumerabilis & fine carentis. In Jaſonis infantia & conſervatione ab inſidiis Peliæ latet Moſes;

 cetera

* Et ſunt alias etiam Græca ſatis difficilia, v. g. p. 178: Καλχεες & Καλχεῖος pro Χαλκ. Ita videas paſſim *Ethyopas*, *Appollonium*, forte typographis imputanda Belgis.

p. 189. & 235. cetera Joſuam & nomine & factis refert. Utrum probaturus ſit multis, quod jam referemus, ipſe Cl. Autor viderit: *Navigationem Argonautarum atque itinera terreſtria ita ab omni ratione abhorrere, ut nemo animo illam comprehendere, aut probabilem illius ſeriem invenire potuerit. Non eſſe phantaſian ita effrenem, quæ incidere in commenta ita abſurda potuerit, niſi autores ſequi voluiſſent traditiones confuſas & immutatas varie itineris per deſerta Iſraelitici* &c. Tomo ſecundo, in quo tanto breviores nos eſſe par eſt, comparantur

5. Hercules & Simſon, ubi præter ea, quæ pervulgata ſunt, refert Autor, ut Amphitruonem magis cum Manoah comparet, *etiam huic ſuſpectum fuiſſe uxoris ſuæ cum angelo colloquium, quem ſcrupulum ut bono viro eximeret, illum rediiſſe.* Orpheus, Eurydice & Simonides Poeta ſervant rudera hiſtoriæ Lothi. In Philemonis & Baucidis fabula latent Loth idem, & Abraham. Niobe & Amphion Hiobi imago ſunt. Phaethon refert ſcelus & pœnam Coræ, Dathanis & ſociorum. Iphigenia eſt Jephthæ filia, ipſe Jephtha etiam Idomeneus. Ezechiæ liberatio a Sennacheribo ad Sethonem Ægyptium translata. Samgarem ſpectaſſe ait, qui illum *de ſtiva heroem* Ἐχετλαῖον Ἥρωα (vox prior, ut Græcæ pleræque, miſere & ipſa deformata eſt,) in Marathonia pugna confinxerint. In Laomedontis fabula eſt hiſtoria Jacobi & Labanis, Jacobus nimirum Hercules idemque Apollo & Neptunus; Rachel Heſione. Paris &

106. ruina Troiæ adumbrant Salomonis imperium. Sequitur apud Autorem noſtrum de ſacrificiis tractatio, quorum originem ex revelatione arceſſendam oſtendit: de auguriis paria habet; itemque de virgula divinatoria, cujus originem a Moſis baculo derivat merito: ſortium eadem eſt ratio. Ultimum locum tribuit Autor fabulæ de Pſyche, in qua lapſus humani & ſalutis redditæ imaginem eſſe, cum aliis credit. Sed illud fortaſſe non cuivis in mentem veniſſet, titulum, quem vulgo fe-

175. runt, *Apulejani* Metamorphoſion libri *de Aſino aureo*, indicare, fabulam illam e Judæorum doctrina deſumtam, quibus *aſini cultus* varie objectus ſit. Porro ipſe in una pagina ita enarrat Pſyches fabulam, ut ſtatim ad hiſtoriæ veritatem transferat;

rat; in oppoſita autem pagina *Apuleji* excerpta collocat verba, quibus Gallica ipſius utcunque reſpondent. In ipſo fine libelli eſt interpretatio loci ex Epiſtola 102 *Senecæ*, de immortalitate animæ. Non diffitemur, libellum hunc & jucundum, & utilem futurum majori lectorum parti: ſed, quibus Corinthum illam adire contigit, ii longe ſane felicius ex *Bocharto* ipſo, feliciqueque illius diſcipulo, *Huetio*, haurient. p. 193.

## *JO. CAROLI VAN WACHENDORFF, J U. D. Diſſertationum Trias; I de Principe Legibus ſoluto, II de Condictione Triticiaria, III de Pactis nudis.*

Trajecti ad Rhenum, apud Jo. Brœdelet, 1730, 8.
Alph. 1 pl. 16.

FAventibus Muſis, propitiaque Themide, ad ſcribendas has, quarum titulum appoſuimus, Diſſertationes ſeſe accinxit Cl. *Wachendorffius*, dignus propterea, cujus honorificam in *Actis* noſtris mentionem faciamus. Tanta enim elegantia ac egregiæ doctrinæ ubertate omnia propoſuit, ut difficile nobis ſit, in tanta, qua circumſcribimur, brevitate, optimas ſaltem atque ſelectiſſimas res proferre. En recenſeamus easdem, ut, vera nos ſcripſiſſe, Lectores noſtri cognoſcant. Prior præclariſſimi Operis tractatio, Principem Romanum legibus ſolutum fuiſſe, docet. Commentarii illa vice fungitur ad priora 3.
l. 31 de L. L. quæ *Ulpianum* autorem habent, verba. *Cap. I* 4.
de Autore hujus legis, de vocibus principis & legis, haud vulgaria affert, ubi tamen bene ſapienterque monet, a divina illa lege, quam cordibus noſtris inſcriptam eſſe novimus, non eximi Principem, &, ut uno ictu adverſariorum, qui tam peſtiferam ſententiam *Ulpiani* verbis contineri ſibi perverſe perſuadent, inſultus retunderet, *Ulpianum Ulpiano* committit, qui in 16–31.
l. 8 §. 2 de inoffic. Teſtam. adverſus Imperatorem hæredem inſtitutum teſtamentum inofficioſum dici poſſe, inquit, quia ſcilicet ratio naturalis, quaſi lex quædam tacita, liberis hæreditatem parentum addicit ſec. l. 7 de bon. damnat, ubi hanc,



Digitized by Google

quam in noſtra lege defendit, ſententiam haud obſcure confirmat. Poſtea ſententiam ſuam, qua a ceteris juris interpretibus divortium facit, exponit. Principem Romanum *τοῖς ἰδίοις νόμοις*, omnibus legibus civilibus indiſtincte ſolutum, idque Lege Regia factum fuiſſe, *Cap. II* evincit. *Cap. III* & *IV* argumentis, a legislatoria Principum Romanorum poteſtate, & majeſtate, ex complexu magiſtratuum deſcendente, petitis, ſententiam ſuam corroborat. *Cap. V* dubia, quæ alii excitarunt, ſumma doctrina diluit atque confutat. Dabimus ex iisdem ſpecimina quædam, quæ præ aliis Lectoris attentionem merentur. Digna memoratu ſunt, quæ de origine, progreſſu, & no-
p. 32, 33. mine legis Regiæ diſputat Autor. Ante omnia extra dubitationis aleam poſitum eſſe exiſtimat Cl. *Wachendorffius*, extitiſſe aliquod inſtrumentum Romæ, quo Principes priores quibusdam, ſequentes pluribus, per gradus, & ceteri denique omnibus legibus ſoluti fuiſſent; id Legem Regiam appellatum fuiſſe, civilius vero & modeſtius Legem Imperii, Legem Auguſti, Legem antiquam, qua Regimenta Imperii delata ſunt, Auguſtum privilegium. Hic *Charondæ* dicam ſcribit, quod nimis jejune ac inſulſe Auguſtum privilegium legi debere notaverit. Et fatemur ipſi, inſignem inter doctos viros eſſe de lege Regia diſſenſum, cum ex tanta clariſſimorum hominum ex antiquis ſcriptoribus copia, qui vel res geſtas Romanorum deſcripſerunt, vel Cæſarum memoriam ad poſteritatem transmiſerunt, vel jura legesque tradiderunt, illius legis mentionem feciſſe, recordemur neminem. Rem ipſam apud ipſos reperies, expreſſo vero legis Regiæ vocabulo primus uſus eſſe *Ulpianus* videtur. Non mirum itaque, in innumeros errores incidiſſe JCtos, quando vera de lege Regia ſententia expromenda erat.
34–84. Indicat eos Conſultiſſimus Autor, egregieque refellit. Ipſe
84–90. ita cenſet, tunc, cum Cæſarum poteſtas incrementa caperet, nullam legem uno contextu ſcriptam eſſe, quæ tum legis Regiæ nomen haberet, qua populus omne ſuum jus expreſſis verbis in Principem tranſtuliſſet; id enim nec tuliſſe aures populi, nec Principum pudorem, quoniam execrabile erat regium nomen. Interim ſub Auguſto res ſine nomine extitit, & ſub

ſub ejus imperio legis noſtræ, quæ a poſterioris ævi JCtis Regia dicta eſt, incunabula quærenda ſunt. Inſtrumentum hoc per varios gradus in ſingulis Imperatoribus repetitum & auctum, paulatim robur accepit, donec ſub Antoninis palam lex Regia appellata fuit. Illo enim tempore regii nominis invidia exoleverat, & victa conclamataque libertate, nec turpe, nec execrabile cenſebatur regnare. Hac lege Regia juris condendi poteſtatem accepit Princeps Romanus, adeo, ut legis vigorem p. 96–112.
haberet, quicquid is, ſive edicendo, ſive reſcribendo, ſive decernendo, conſtitueret, nec ulla legislatoriæ poteſtatis pars penes populum permanſit. Egregios illa ſumma atque abſoluta poteſtas effectus produxit. Conſecutus enim eſt Imperator legem 112–126.
latam interpretandi & mutandi facultatem, jus ſumendi pœnas a delinquentibus, jus honorem & ordinem reddendi infamibus, proſcriptos revocandi, & per omnia reſtituendi aliquem, jus gratiam faciendi jurisjurandi, tam ante, quam poſtquam ſacramentum interceſſerit, jus cogendi cives, ut rem ſuam vendant, jus privilegia conferendi, legibus ſolvendi poteſtatem, & a legum civilium obligatione immunitatem. Legi merentur, quæ de titulo Imperatoris, de tribunitia Principum digni- 128–137.
tate, de Cenſoria majeſtate, omnium honorum quodam faſtigio, & Magiſtratuum cunctorum ſanctiſſimo complemento, quam Domitianus ultimum geſſit, & cujus nomen poſt ejus 135.
obitum vix in monimentis antiquis relatum invenitur, vaſtæ lectionis apparatu, habet Autor. Nec ſilentio prætereundæ 137–142.
ſunt elegantes illæ obſervationes de dignitate conſulari, quam ſi omnium honorum in republica Romana complementum dixeris, næ pauca dixiſſe videaris. Unde mirari deſinimus, quan- 138.
do Marchiones, Comites, aliosque viros Principes, immo Reges ipſos, Conſulis nomen affectaſſe, veteres annales teſtentur, ut vel ſolo Clodovæi, Francorum Regis, exemplo probat *Gregorius Turonenſis* Lib. II Hiſt. Cap. 18; plura exempla immenſo labore collegit *Everardus Otto*, quem honoris cauſa nominamus, in Diſſ. de Conſulibus extra Romam. Ad ſummum ac 140.
præcipuum illum honorem anno viceſimo adſcendit Auguſtus, contra leges annales, bene ſapienterque latas, quibus annus trigeſi-

geſimus tertius Conſulatui præfinitus erat. Addiderunt Romani his, quos enumeravimus, magiſtratibus, quosque Imperatoribus ſuis contulerunt, ſupremum provinciarum regimen,
p. 142-146. delatum a Senatu per Imperium Proconſulare, quod urbe egredientes, ſublatis inſignibus, in totum orbem Romanum expromebant, in urbem vero ingredientes, ſtatim deponebant.
142. Singulari tamen privilegio a Senatu impetravit Auguſtus, ut ſupremam illam poteſtatem intra pomœria veniens non deponeret, ſed in urbe quoque & ſemper retineret. Magis auguſtam venerabilemque Principum Romanorum majeſtatem
146-153. reddidit non ſolum Auguratus, & Quindecimviratus, ſed inprimis etiam ille dignitatum cumulus, Pontificatus Maximus. Diſputat hic *Wachendorffius* contra *Jac. Gothofredum* & *Antonium Pagium*, & Chriſtianos Principes usque ad *Gratianum* Imp. hoc nomine uſos fuiſſe contendit, eosque erroris convincit, qui ſplendidum hoc munus Imperatores Romanos quidem geſſiſſe perhibent; ejus vero munia exercuiſſe negant. Accedimus ad alteram Diſſertationem, in qua Cl. Autor illam nobiliſſimam difficillimamque condictionem triticiariam, in qua explicanda illuſtrandaque ſummi & doctiſſimi viri deſudarunt, in clariſſima luce conſtituit. Tribus omnem Diſſertationem Capitibus abſolvit. *Cap. I* continet delineationem & ſum-
201. mam condictionis controverſæ & obſcuræ, quæ judici in deſignanda rei debitæ æſtimatione tempus juſtum & legitimum præſcribit atque determinat. Originem difficultatis, qua materia hæc implicita eſt, petit ex incerta pretii, quod ſemper pro tempore eſt, æſtimatione, quam cum non rite determinarint, qui primum hanc doctrinam ſibi explicandam ſumſerunt, & qui cœco illos obſequio ſecuti ſunt, hanc materiam, ſi humano more loqui voluiſſent, facillimam, difficillimam obſcuriſ-
209-228. ſimamque reddiderunt. Separat deinde Autor ſumma ſollicitudine caſus, qui ad hanc condictionem non pertinent, ſed ab interpretibus confuſi atque perverſe applicari fuerunt. *Cap. II* ipſam condictionem triticiariam explicat, ubi haud pauca invenies, quæ univerſam condictionum materiam illuſtrant.
230. Docet hic, non conditionem, ſed condictionem, ſcribi debere, illam-

Digitized by Google

illamque condictionem, pro omni actione, tam in rem, quam
in perſonam, in latiori ſenſu accipi, propterea quod denuntiatio
illa olim Quiritibus ruri plerumque degentibus, non ſolum in
realibus, verum etiam perſonalibus, fieri ſolebat. Lectu dignæ
ſunt vindiciæ, quibus Juris Gentium ſummæque æquitatis re-
media, condictiones fuiſſe evincit Noſter. Denominationis
condictionis noſtræ originem, dilutis atque everſis ceterorum
interpretum argumentis, arceſſendam eſſe monet a provincia-
libus, qui quotannis certos modios tritici reipublicæ pendere
debebant; verum, ſi loca nimis eſſent diſſita, pro tritico pecuni-
am, tanquam ejus æſtimationem, ſolvere ſolebant, quam opi-
nionem *Ciceronis* autoritate Or. III in Verrem Cap. 82 ſqq. &
veterum lapidum, qui Quæſtoris triticiarii & Quæſtoris a fru-
mento meminerunt, corroborat. Attentionem ſingularem
merentur, quæ de mora, elegantiſſimo excurſu, monuit Cl. p. 304–313.
Autor, qui & tempora, quæ in æſtimatione facienda attendere 260–343.
debet judex, ſingulis caſibus, mirifica cura & ſolicitudine de-
terminavit. *Caput tertium* aliorum ſententias ſub modeſtum
examen revocat. Condictionem triticiariam excipiunt pacta
nuda. *Cap. I.* poſtquam de origine, etymologia, differentia & di- 383–417.
viſionibus pactorum egiſſet, Jure naturali plenam illa vim pro-
ducere aſſerit, *Connani*que temere & perverſe id negantis, 417–423.
ſententiam explodit Noſter. Pactionem, pactum & pacem, a 385.
pago, pigo, pango, derivat Autor. Pago vero fuit a Dorico
*πάγω*, pro *πήγω*, unde *πηγνύω, πήγνυμι*; a pago autem, inſerta
litera *N*, fit pango, uti a tago, unde tagax, tango, adeoque ac-
curate loquendo, non a pango, ſed pago, quemadmodum ve-
teres dixiſſe teſtatur *Quinctilianus* L. I Cap. 6. Atque inde pa-
ctum deſcendit, non vero a paciſcor, paceo. Pacta legitima 389. ſeq.
& nuda in Jure promiſcue uſurpari, memorat Autor, & JCti
Græci, quem *Vinnius* excitavit, autoritate confirmat, qui & id
ſingulare obſervat, quod in unica Juris noſtri lege, l. nimi-
rum 20 C. de Pactis, pacta nuda pro quibuslibet conventio- 396.
nibus, etiam contractibus, accipiantur. *Cap. II* vim & effica-
ciam pacti nudi apud Romuli nepotes deſcribit. Pacta nuda,
quæ civilem & naturalem æquitatem fundamentum habebant,

 licet

Digitized by Google

licet non actionem, obligationem tamen naturalem, produxerunt; neque hæc omni prorſus effectu Romæ deſtituta fuit; quandoquidem condictionem indebiti impediverit, fidejuſſori, pignori, conſtituto, compenſationi, & novationi, locum fecerit, imo obligationem naturalem pepererit, non vero civilem; quam in rem elegans *Papiniani* reſponſum in l. 95 §. 4 de Solut. af-
p.438–490. fert Cl. Vir, illudque docte ac ſolide explicat. Non pigebit Le-
491–504. ctorem, ea perlegere, quæ de ſtipulationis origine, forma, uſu frequenti & effectu, de contractibus innominatis, & actione de præſcriptis verbis, docte diſputat Autor, qui & ſapienter obſervat, illa pacta, ſuper quæ, in ſcripturam reda-
504–508. cta, Numen divinum invocatum, vel quæ S. S. crucis nota ſignata fuerunt, in foro validam producere actionem; cujus rei originem ad Leonem Imperatorem, qui in Novella L. 72 id imperavit, refert. Multa hic diffuſæ lectionis monimenta extant, amœnusque in Romanorum Græcorumque vireta excur-
559 ſqq. ſus. *Cap. III* Jure Canonico regulariter nullam ex pactis nudis actionem naſci cenſet Noſter, ſi illa pacta nuda exemeris, quæ ab Eccleſiaſticis, de rebus eccleſiaſticis, ſive de juribus & privilegiis eccleſiæ, fiunt, ex quibus per modum querelæ agere
564–576. Jure Pontificio licet. Denique plerarumque gentium mores in ſubſidium vocat, & apud eas pactum nudum ſerio & deliberato animo initum firmam ac perfectam obligationem producere probat. Sed non diutius te moramur, Lector, ſed ad lautiſſimas has apparatiſſimasque epulas guſtandas pro tenerrimo, quo te complectimur, amore, vocamus, invitamus, ſerioque monemus.

## *CHRISTFRIDI WÆCHTLERI NOTÆ poſthumæ ad GERARDI NOODT Librum IV Probabilium Juris Civilis, cum Operibus ejus A. 1724 primum editum.*

PRidem prodiere libri priores tres Probabilium *Noodtii*, & Notæ *Wachtleri* ad eosdem. Sequuntur nunc etiam Notæ ad librum quartum. *Cap. 1* emendat Cl. Vir *Scævolam l. ult. D. de flumini-*

*minibus.* An quis pontem *privati juris* facere poteſt? Legit enim, an *privato jure.* Sed hoc forte idem eſt. Nam ſi privato jure & privata autoritate non potes pontem in flumine publico facere, etſi in utraque fluminis ripa domus habeas, perit quæſtio, an pons iſte, quem faceres, ſit juris privati, i. e. ædificantis proprius & privatus? Si ergo ad hoc autoritate publica opus erat, atque ut permitteretur & concederetur lege, SCto, Edicto, Decretove Principum, *l. 2 pr. D. ne quid in loco publico vel itinere;* ſi porro ad Ædilium curam ſpectat, ut pontes fiant, ubicunque oportet, *ὃ ἂν δέῃ*, *Papinianus* l. un. pr. D. de via publica, & ſi quid recte ſcripſit *Scævola*, neminem poſſe facere pontem *privati juris*; recte tamen etiam ſcripſiſſet, *privato jure.* Ita perit varia iſta lectio. Præſtabat, eruere textum hic Græcum *Papiniani*, qui Græce ſcripſit librum ſingularem de officio Ædilium, *μονόβιβλον ἀστυνομικὸν*, de quibus *Menagius* ad *Laertium* f. 153, 154. Gloſſæ antiquæ ibi, *viocurus*, *ἀστυνόμος.* Unde emendamus gloſſas *Labbæi*, *ἀστυνόμος*, *jecorus.* An intelligantur apud *Papinianum* Ædiles Curules urbis Romæ, an municipales, egit Vir eruditiſſimus, *Everhardus Otto*, de Ædilibus Cap. 4 p. 97 & 255, & in *Papiniano* Cap. 12 p. 255, 258, *Deſiderius* etiam *Heraldus*, contra *Salmaſ.* libro V Cap. 18 §. 11 f. 396.

### Ad *Caput* 2.

Emendatur l. 6 C. de pactis inter empt. & vend. Dicunt Imperatores, *quando, non impleta promiſſi fide, dominii tui jus in ſuam cauſam reverti conveniat.* Laudat Noſter conjecturam *Accurſii*, textum intelligendum de pacto convento. Sed pactum iſtud diu ſibi non fuiſſe inventum in textu, ait Noſter; tandemque putat, Rimulum clare pactum eſſe, fundum reſtitui, ſi fidem emptor fallat. Si igitur de hoc conſtabat, non erat tantopere ac tam diu quærendum. Legit, *convenit*, pro *conveniat*. Citra neceſſitatem. Mens paciſcentium ſatis manifeſta eſt e verbis textus: „*Fundus* tuus certæ rei contem„platione exiguo pretio in alium translatus erat: non impleta „autem promiſſi fide, non poteſt tibi ea translatio fraudi eſſe. „Sic enim dominii tui jus in ſuam cauſam revertitur, ſine ulla „ludificatione.„ Neque apex aliquis hic quærendus, ſi *convenit*

exponatur, *oportet*. Conforme enim eſt ei, quod *convenerat*. Ecce pactum, non diu quærendum. Adde *Cujacium* ad Cod. G. & *Barboſam* ad C. h.

Ad *Caput 3*.

Remittit Autor ad Lib. 1 Cap. 4 Probabilium, ubi jam emendaverit *Ulpianum* l. 13 §. fin. D. de pignerat. act. legens, *at* in commodato venit & cuſtodia, pro, *ut*. Nunc addit, *Gajum* etiam per eandem voculam *at* diſtinguere cauſam pignoris & commodati, l. 18 pr. D. Commod. *Hac ita, ſi duntaxat accipientis gratia commodata ſit res: at ſi utriusque, videndum eſt, ne & culpa præſtanda.* Hic vero non diſtinguitur pignus & commodatum in genere, ſed commodatum alterum ab altero. Nihil ergo hic probat particula ea, ſed tranſitum tantum facit a pignore ad certam ſpeciem commodati. Imo par hic ratio culpæ eſt, *ſicut in rebus pignori datis & dotalibus æſtimari ſolet*. Acute *Huberus* hinc concludit, ſi in rebus pignori datis ita culpæ ſit æſtimatio, *ut in commodato*, habes verba *Ulpiani* d. l. 13 *Eunom. p. 541.* Et perinde ſcribes, *ſicut* in commodato, cum *Gajo*. Jam etiam reſpondet ad ea, quæ pridem ad Lib. 1 Probabilium ei objeceram A. 1681. Ad l. 19 C. de pign. & hypoth. ait, ibi exponi tantum pignus, non autem comparari cum commodato. Imo utrobique adſtringitur creditor ad easdem tres præſtationes, dolum, culpam, cuſtodiam. Græci, δόλον, καὶ ῥαθυμίαν καὶ φυλακὴν ἐπ' αὐτῷ, Tom. IV f. 45. Nullibi fit mentio alicujus diligentiæ mediæ vel cuſtodiæ mediæ: Sic l. 5 §. 2 D. Commod. præſtatur *culpa & diligentia*, ἀμέλεια καὶ ἐπιμέλεια. In pullo equam comitante *præſtanda* eſt *cuſtodia*, ἀκριβεστάτη φυλακή, §. 9; ſimiliter §. 14, ſi argentum apud commodatarium perierit; ſic l. 10 §. 1 d. t. ſi rem inſpectori, διατιμητῇ, *æſtimatori* dedi ſui cauſa, præter dolum etiam cuſtodiam mihi præſtat, δόλον καὶ ἀκριβεστάτην φυλακὴν χρεωστεῖ. Tom. II f. 69, 70, 71, 73. In ipſa l. 13 §. 1 D. de pign. act. nullum eſt veſtigium præſtationis mediæ vel *medietatis*; quam alibi expreſſit *Paulus* l. 73 D. ſi pars heredit. petatur. Actio pigneratitia exigit δόλον καὶ ῥαθυμίαν, dolum & negligentiam, ὡς ἡ περὶ τῶν ἐν χρήσει δοθέν-

τος

*τος ἀγωγὴ, ut actio commodati, καὶ ἡ περὶ φυλακὴν ἀγωγὴ, & actio de cuſtodia.* Vides, Græcos apud *Ulpianum* non legiſſe *at*, *ἀλλὰ*, ſed *ut*, *ὡς*. Et a creditore poſtulant, *ὅσα τὶς ἐπιμελὴς περὶ τὰ ἴδια πράγματα, quæcunque diligens* aliquis in ſuis rebus præſtat. *Paulus l. 14 d. t.* Sermonem hic non eſſe de culpa levi, patet ex ejusdem *Pauli l. 17 D. de jure dotium.* In rebus dotalibus præſtat vir dolum & culpam *ῥαθυμίαν, καὶ ἐπιμέλειαν, οἵαν ἐν τοῖς ἰδίοις πράγμασιν, & diligentiam, qualem in rebus propriis.* Tom. IV f. 511. Si diligentia hic non opponitur culpæ levi, idem bis dixit *Paulus*. Nam culpa lata hic ne nominatur quidem, neque a dolo ſejungitur: præſtatur autem cuſtodia per excellentiam. *Levior cuſtodia* innuit, ludi a Viro Cl. in verbis: Iterum *Paulus* l. 36 D. de act. empt. a venditore ne poſtulat quidem dolum & culpam, id enim per ſe intelligi: exigit autem cuſtodiam & diligentiam, & partem utriusque, ſtipulationem damni infecti. Tranſcendit itaque cuſtodia & diligentia culpam levem. Sive enim ſciens dolo malo vendit, ſive ignorat ea, quæ præſtare debet, perinde fallitur emptor. L. 1. §. 2 D. de Ædil. Edict. Sic periculum vini ſuſtinet venditor, & cuſtodiam plenam præſtat, & diligentiam exactiorem. *L. 1, l. 2, l. 3, l. 5, l. 8, D. de peric. & comm.* Opponuntur hæc diligentiæ mediæ, & culpæ levi, & tantum non ad præſtationem commodatarii adſcendunt. Neque dici poteſt, *Gajum* in *l. 35 §. 5 d. t.* loqui de alia cuſtodia, vel diligentia qualicunque communi, quæ alias vocatur culpa levis. *Gajus* enim doctrinam *Ulpiani* & *Pauli* per ſingula capita exemplis tantum illuſtrat, & ex illorum traditis eſt interpretandus. Non potuiſſet igitur in l. 1 D. de oblig. & act. a ſe ipſo iterum diſcedere. Nam & commodatarii & depoſitarii magnam negligentiam ait in doli crimen cadere: quod excludit culpam levem & diligentiam qualemcunque. Eodem pertinent, qui, cum poſſent rem commodatam & depoſitam ſervare, res ſuas prætulerunt. Tenebantur enim ad cuſtodiam plane diligentem. *L. 5 D. Commod. Paulus Sentent. Lib. II Cap. 4 §. 2.* De qua culpa debeat accipi *l. 8 C. de pignerat. act.* colligo ex *l. 4 C. d. t.* Si autem in qualecunque

 erra-

erratum impegerit, vel in ſegnitie deprehendatur, aut ſaltem non manifeſtis rationibus probet, amiſſionem pignoris vere factam, perinde condemnabitur, quanti intereſt. Ἐὰν δὲ πταίσματι ἔνοχος. Tom. IV f. 15, 16. Πταῖσμα a πταίω, in lapidem, vel aliud offendiculum impingo. Sic *Sagittarius* πταίει, cum aberrat a ſcopo. *Demoſthenes* Olynth. 2: Μικρὸν τι πταῖσμα ἅπαντα ἀνεχαίτισε, *parvus lapſus omnia evertit.* Ad *Rom. XI, 11*: Μὴ ἔπταισαν, ἵνα πέσωσι, *numquid offenderunt, impegerunt, ut omnino caderent? abſit.* Πολλὰ πταίομεν ἅπαντες, in multis labimur omnes, *Jac. III, 2.* Reſpondi Noſtro: nunc & ſententiam meam ulterius tuebor. In l. 13 §. 1 D. de pignerat. act. tentavit ille: *venit & dolus & culpa, venit & cuſtodia.* Et hæc lectio placeret præ altera. Nam in pignore requiritur etiam exacta diligentia ad cuſtodiendum illud, §. fin. I. quib. mod. re contrah. obl. *Theophilus*, πολλὴ ἐπιμέλεια περὶ τὴν τοῦ ἐνεχύρου παραφυλακὴν, Lib. III p. 78, diligentia plena l. 5 §. ult. D. Commod. Non loquor promiſcue de diligentia diligentiſſimi, τοῦ ἐπιμελεστάτου, l. 18 pr. Multa tamen etiam requiritur in creditore ad fundum ita excolendum, ut fiat φιλοκαλληθεὶς, adeo politus & magni pretii, ut difficile ſit, medium incedere judicem inter delicatum debitorem & oneroſum creditorem. *L. 25 D. de pignerat. act.* Hoc ſenſu redigi pignus ad ſimilitudinem commodati, recte aſſeruit *Huberus Eunom. p. 542*, quia cuſtodia exactiorem diligentiam, quam in ſuis rebus, requirit. Concedit *Noodtius*, duo eſſe membra obligationis circa pignus, ut non fiat deterius, & ut non amittatur plane. Apud veteres autem generaliter loqui *Ulpianum*, l. 5 §. 2 D. Commod. Atqui in l. 23 D. de Reg. Jur. etiam loquitur generaliter, commodatum recipere dolum & culpam tantum. Eundum igitur eſt ad textus ſpeciales. Si *Gajus l. 18 D. Commod.* aliam dicit rationem eſſe pignoris, quod deterius factum, non vero plane amiſſum. Sic *l. 24 D. de pigner. act.* creditor rem pignori datam male tractaverat, ſervos debilitaverat. At vero l. 9 C. d. t. exactam diligentiam adhibuerat, & pignora recte depoſuerat in horreis publicis. Hæc eſt diligentia plena, cum cuſto-

Digitized by Google

cuſtodia conjuncta. *L. 2 §. 1 D. de peric. & commod. l. 19 C. de pign. & hypoth.*

Ad *Caput 4 & 5.*

Excutitur utroque Capite *Celſus* l. ult. D. de condict. cauſa data, cauſa non ſecuta. Sed excuſſit quoque Vir Cl. *Ulricus Huberus*, & ſatisfecit, *Eunom. p. 519, 520.* Adde Græcos Tom. III f. 500, & copioſe notata a Scholiaſtis ibidem f. 513, 514.

Ad *Caput 6.*

In *Pauli* l. 7 D. de nautico fœnore lacunam aliquam explere contendit Noſter: *in quibusdam contractibus etiam uſuræ debentur*, etiam ex *pacto*, inquit. Sed inſpiciendus hic erat *Cujacius* ad *Pauli* librum tertium ad Edictum, ubi mens textus exponitur ex Novella 136 Cap. 4 & 5, ad quam conf. *Baſilic.* Tom. III f. 480 ſeqq. & Scholia f. 487 ſeq. Multis quidem caſibus ſine ſtipulatione & ſolum ex pacto naſci obligationem uſurarum; quia tamen exigantur etiam ſine pacto, ſed ſuapte ſponte, ὅτε ἐκ συμφώνου, ἀλλ᾽ αὐτομάτως, propterea ſancimus, ut uſuræ argentariis etiam absque ſcripto, ἐξ ἀγράφου, præbeantur, quaſi ῥητῶς nominarentur. *Cujacius* itaque neque agnovit lacunam, neque ſupplevit.

Ad *Caput 7 & 8.*

Illuſtratur *Cap.* 7 Reſcriptum *Hadriani* apud *Marcianum* l. 1 §. 3 D. ad L. *Corn.* de ſicariis, notaturque obiter Scholiaſtes Græcus, quod dixerit Tom. VII f. 692, quamvis aliquis ferro percuſſus interierit, tamen pœnam ob caſum fortuitum leniendam judicaſſe *Hadrianum.* Capite autem 8 defendit Autor ſententiam hanc ſuam adverſus Virum Cl. *Ulricum Huberum*, & a nobis hic tranſmittitur.

Ad *Caput 9.*

Emendatur *Ulpianus* Tit. 1 Collationis LL. Moſaic. & Rom. §. 6, & delentur verba, *ex quo ferro percuſſit, ipſa funditus.* Sane ultima hæc, *ipſa funditus*, quo ſenſu ad marginem fuerint adſcripta a ſciolo quodam, non omnino apparet, & recte abjicerentur. Reliqua tolerari poſſunt; ſed alia lacuna eſt explenda. *Et qui non occidit, ſed vulneravit, ut occidat*, pro homicida damnandus. Ita *Hadrianus* ſcripſerat apud *Marcianum*

l. 1

l. 1 §. 3 D. ad L. *Corn.* de Sicar. eaque verba attulit Noſter Cap. 7 f. 78. Hic autem oblitus quodammodo ſui præterit iſtam ſcripturam, multumque diſputat cum *Petro Pithœo*, ejusque fratre *Samuele*, ut obtineat, legendum porro eſſe: *E re itaque conſtituendum eſt.* Quaſi hæc nova ſit lectio, & non ipſa apud *Marcianum* d. f. 78, *& ex re conſtituendum hoc*, extet. Hoc ſcilicet *de animo*. Sequitur enim: „Nam ſi gladium ſtrin-„xit, quid dubium eſt, quin occidendi animo percuſſerit. Si cla-„vi, (vid. f. 78) aut cucuma, genere vaſorum, percuſſit in rixa; „quamvis ferro percuſſerit, tamen non occidendi animo, quia „caſu magis, quam voluntate, admiſit, pœna lenienda eſt.„ Ex *animi* igitur vocabulo videtur factum *funditus*. De cucuma vid. *Voſſii* Etymol. f. 167.

Ad *Caput 10.*

Repetitur hic emendatio *Marciani*, tentata in l. 5 pr. D. quib. mod. pignus vel hypoth. ſolvitur. Dictum de ea fuit Lib. 2 Cap. 8 Probabilium. Neque adhuc muto ſententiam. Nam & Græci habent, *κἂν ἄλλος νέμηται, licet alius poſſideat*. Et Pariſ. 1513, 1527: *cum forte alius hypothecam poſſidebat.*

Ad *Caput 11.*

Iterum delentur quædam apud *Gajum l. 7 §. 2 D. quibus mod. pignus vel hypoth.* Dixerat is pr. ſi conſenſit creditor venditioni hypothecæ, liberatur hypotheca. Pergit §. 2: quid ſi creditor cum debitoris procuratore convenit, ut ſit debitori jus vendendi pignoris, an id pactum proſit? an vero in hanc formulam pacti conveniendum, *ne ſit res obligata?* Græci, λυθῆναι τὸ ἐνέχυρον, *liberari pignus*, Tom. IV fol. 85. Reſpondet Noſter, eam formulam pacti ſupervacuam eſſe. An vero verba iſta ideo ſint ſpuria, non liquet. Eadem enim habet *Marcianus l. 8 §. 1 d. t.* Creditor paciſci poteſt, *ne pignori hypothecæve ſit res*, περὶ λύσεως τῆς ὑποθήκης. Et tamen ſtatim §. 6 repetuntur ſuperiora, hoc modo, *ſi voluntate creditoris fundus alienatus eſt*, hoc eſt, ſi voluit venire, & non venierit, neque effectus venditionis ſit ſecutus, non eſt ſatis ad repellendum creditorem. Similiter ergo verba *Gaji* duplicem involvunt ſenſum: primo hunc, debitori jus eſto vendendi pignoris,

gnoris,

gnoris, & repellitur créditor, effectu ſecuto: deinde hunc ſi effectus iſte ſecutus non ſit, non eſt ſatis ad eum repellendum, quod voluit venire. Ergo neque ſpurium quidquam hic eſt, neque ſupervacua iſta formula: *ne ſit res obligata*, vel, *ne hypotheca ſit*, vel, *ne res pignori ſit*, d. l. 8 §. 4, 5.

Ad *Caput 12 & ultimum.*

Quæ hic dicuntur de mandato & conſilio in genere, & quomodo differant, parum ad rem. *Ulpiani* autem textus l. 6 §. 5 D. Mandati excuſſus eſt ad Tit. Mandati vel contra. Ad *Celſi* mentem *l. 48* §. *ult. d. t.* non videtur ſatis attendiſſe Noſter. Cum mando tibi, *ut, credendo pecuniam, negotium mihi geras, mihique id nomen præſtes, meum in eo periculum, meum emolumentum ſit, puto, mandatum poſſe conſiſtere.* Noſter contra: ſi palam non receperim periculum, obligatorium non eſt conſilium. Idem; ſi receperim, autore *Celſo, d. l. 48 §. ult. D. Mand. vel contra.* At vero de conſilio verba *Celſi* accipienda non ſunt, ſed de caſu plane adverſo, quique viro bono in mentem non poſſit venire. *Ceterum ut tibi negotium gerar, ut cuivis credas, tu recipias uſuras, periculum duntaxat ad me pertineat, jam extra mandati formam eſt.* Græci accuratius & profundius; *nam hæc ſunt* ὑπὲρ τὴν φύσιν τῆς ἐντολῆς, Tom. II f. 157, ac nemo prudens ſerio ita loquitur.

## *PARTUS MONSTROSI HISTORIAM ET ſectionem deſcribit D. AUG. FRID. WALTHER, Archiater Regius & P. P.*

NEque vero morborum tantum periculis, pluribusque externis injuriis, natorum vitiari formam corporum conſtat; ſed etiam embryones, utero licet materno concluſi, aliquando deturpantur, prodeuntque in lucem monſtroſi infantes ac fœdi. Imaginationem, fortiorem matris affectum, præviumque, tanquam accidentis rei normam vel cauſam communiter accuſant, crediturque, ad medium usque geſtationis tempus, & ultra, vix tutum utero hærere infantem, ut neque-



Digitized by Google

ant partes complures ab illa cauſa fœdari, aliæque minui, aliæ vero præter modum augeri; nonnullæ denique diſtorqueri, & plures adſpectu teterrimæ reddi. Tam triſtis, vel formæ pulcherrimæ licet humanæ mutatio, ac ſingularis plane eventus, quo minus exploratam, hoc longe majorem imaginationis maternæ, animæque, vim ac facultatem ſignificare videtur; quantam nihilo minus ea tum adhibet, & vehementer exercet, cum præter conſuetas uſitatasque unionis cum corpore leges, omnemque præter organorum modum, tanquam liberior, ſed incautus valde ſpiritus, vagæque imaginationis ad normam, tenero embryonis corpori vim illa infert & operatur. Quodſi enim magnam crudelemque hanc afflictionem divinæ potentiæ prorſus adſcribere nefandum putatur; tamen neque ex providentia, & quovis ordine rerum, quem ab condito quidem orbe ſanctiſſimum Numen ſibi præfixit, ſaltem ſingulum hodie monſtrum e rudimentis qualibuscunque evolvi, atque prodire, nos unquam exiſtimabimus, veriti, ac ſatis certo perſuaſi, ut ita involutionum, incomprehenſibiliumque rudimentorum, tantus ſimul fingi mente deberet numerus, tantusque omnium eſſet veluti labyrinthus, quantus eventum ſingulum infinitis propemodum arcere modis poſt tot ſecula videretur. Doleamus ita mortalium imbecillitatem, minimumque eruditiſſimi ſuperbiant, qui neque propriam, qua ipſi reguntur, animam ſatis cognoſcere, & ex voto ejus vires amplius explorare poſſunt, quam, ut ad declarandum ſingularia facta, vocabulum imaginationis, ideæ, facultatis, præſcientiæ divinæ, evolutionis, aut fati, vel aliud, quod poſteri quoque fingent, ſufficere illis debeat; quo tandem, vel minimum ſibi ipſis ingenui & perſpicaciſſimi viri faciant ſatis. Verum nos fidei memores datæ *Diſſertat. de cura fœtus parentum officio*, jam partus monſtroſi, & hydrocephali viſi, hiſtoriam integre & accurate tradere hoc lubenti magis animo ſuſcipimus, quo magis recordari jucundum eſt, in ſingulo exemplo ſic confirmata nos accepiſſe, quæ Viri clariſſimi, fideque digni ſeorſim, & in pluribus annotaverunt.

Civis in hac urbe uxor, cujus nomen licet reticere, A. 1723 pri-

Digitized by Google

primum gravida, reique perinde imperita ac inſcia, menſe altero puerum inviſit, variolis valde confluentibus cœcum, tumore frontis, & oris, reliquaque facie teterrimum. Noſtra, inſigniter perterrita, manus ante oculos vultumque ſuum projicit, ſed confeſtim inde ſe ſubducit. Iterum ea, paucorum inde dierum intervallo merces venditura, cum ad ingreſſum domus ſederet, puer alius, & mendicans ex improviſo intrat; & is quidem capito erat, oculis turpiter ductis, & naſo plurimum depreſſo, labio autem leporino, quod vocant, hiante, aliterque valde deformis. Quo illa ſpectaculo vehementer affecta, ut in priori caſu ſe gerit, aurem inſuper fricat ſiniſtram, puerumque inde fugientem bufonis nomine conviciatur. Ab hoc demum tempore iſta doloribus in imo ventre, & ſæpius quidem, graviterque vexari cœpit. Noſtrum neque conjicere, neque decidere erit, quantum vel omnia, vel ſingula, quæ non ita multo poſt proponemus, cum alterutro, aut cum utroque affectu conveniant. Die 30 Octobris, ad finem octavi menſis, illa ad partum ſe diſponit. Tum non fœtus ſuo capite, ſed pede uno, & genu altero ex utero exitum molitur; planta quidem pedis dextri & genu ſiniſtro ad naſcendum æqualiter proclivibus. Moderamen, quod in labore, tam parturienti, quam obſtetrici, adhibendum nos advocati ſuaſimus, cum uſu remediorum, quæ molliunt, ſuffecere, ut hocce, licet aſperiore poſitu, nec ita facile mutando, tandem, & ſatis felici nixu, vivus naſceretur fœminini ſexus infans; capitis nihilo minus, veluti abundante ac ſuperſtite monſtroſo tumore, ex utero ægre magis educto; quem ſecundinæ, nec modicum ſanguinis profluvium exceperunt. Garrientibus de monſtro viſo mulierculis, cognatis, domeſticis atque vicinis, percrebuit ejus rumor, ac plures ſpectatum veniunt, inter quos & aliqui in ære magiſtratus erant. Id monſtrare pluribus avia materque recuſant, & de celando infante anxii cogitabant: maxime vero nos conſulunt, quomodo infans ſuſtentaretur, cum ſugere non poſſet. Mortis eventum prædiximus, nihilominus tantum opitulati, quantum vitiatæ, & mox percenſendæ partium conditiones ferrent; quas interim omnes



Digitized by Google

probe notare, imo metiri, quoties tergum darent inſpectores invidæ mulieres, neque negleximus. Tertio ab nativitate die cum infans deceſſiſſet, tantum abfuit, ut conſequi ex voto, & conſervare cadaver poſſemus, ut nonniſi ſectionem, ſe famuloque noſtro ac Chirurgo præſentibus fieri parentes permitterent, abhorrentes & deteſtati omnem picturam, omnemque rei memoriam conſervandi modum. Ipſos ſuſpicio, & vana ignominiæ, inde ſibi ſuisque contrahendæ, perſuaſio eo adduxerat, ut, veriti cum eſſent, veſpillonem juſſu ſenatus ablaturum eſſe monſtrum, ubi ad ſepeliendum ei traderetur, tum iterum nos adirent, peterentque, ut totum caput, quod jam attente ſectum erat, ſimul cum reliquis partibus vitiatis, porro, & in partes valde minutas diſcinderemus; nec tum hac in re ſuperſtitioſis refragari potuimus, crebriore ſpectaculo rerum, & dimenſione omnium exquiſita contenti. Ea ſicuti delineanda illo tempore ærique incidenda curavimus, quantum vivi deſcriptionem cum cadaveris ſectione comparare fas eſt, jam brevibus deſcribemus verbis.

Negligimus autem tam ſuperiores, quam inferiores artus; licet admodum incurvos, & ſubinde tortos tum viſos, digitisque tuberoſis, ac coalitis inſtructos; ſiquidem talia naſci minus rarum eſt. Neque etiam de corporis trunco, quippe recte figurato, quædam monenda habemus; modo ſolicite de capite ſcribamus, & hujus cum ſuperiorem tumorem, TAB. VI Fig. I. tum mire deturpatam faciem, ſedulo exquiramus. Hydrocephalum A. ſub vera magnitudine formaque, *Figura I* adjecta ſiſtit. Grandior iſte tumor ante obitum infantis, & poſtea nonnihil mobilis ac pendens, ejusdem cum cute coloris erat; & ipſe manibus contrectatus ad molis carneæ modum renitebatur. Sphæricam porro is formam habuit, minimum quidem piloſus, nec niſi tuberibus binis, ex atro rubentibus BB ab ſiniſtra parte dependentibus inæqualis viſus; ſed in vertice, & ſecundum longitudinem, nihilominus ſulco notatus erat C. qui ſuperius tumorem bipartiebatur. Maxime dolebat infans, atque clamitabat, quoties premendo tumorem verſus fontanellam, nonnihil eundem urgeremus; quanquam de cetero

tero

Digitized by Google

tero motum tumoris mediocrem, & propenſionem in hanc illamque partem, ſine edito vagitu ille ſuſtineret. Verum ſequuntur jam ea, quæ tumoris calvariæque triduo denati ſectio declaravit. Quem, cum ab utroque latere tumorem inciderenus, undique digitum minimum circiter craſſum invenimus; & ex ſingulo latere, libræ circiter pars altera ſanguinis diluti, veluti e duobus locis diſtinctis fluxit. Jam, ſub altitudine intervalli utriusque tuberis B, non tantum pericranium cum capitis communibus integumentis, præter modum craſſis, ſed ipſa pariter dura mater, cum iis cohærere hoc loco cœperunt. Nam, paullo inferiori, & quidem fontanellæ loco, illa meninx extra calvariam egreſſa, ab utraque parte ſubinde lacera quoque viſa, mox cum illis membranis externis coaluit. Apparuit porro ſectione, ac ſub fiſſuræ quidem loco C elatus retegebatur, naturali quidem major & craſſior duræ matris falciformis proceſſus; qui proinde ſolito majorem longitudinalem ſinum videndum exhibebat; quippe præter omnem modum elatum, arcuatum, & extra calvariam eminentem. Tali, tamque vitioſo & ingenti ſepto falcatoque proceſſu, cerebrum nihilo minus intentum & bipartitum occurrit, ut diviſionis nota externa C inde pateret, & utrinque nihilominus relinqueretur inter cerebrum & duram matrem ſpatium, ſanguine quidem congelato, partim vero cruore, qualis inter incidendum provenerat, omnino plenum. Quare cerebrum intra vitioſam ampliſſimamque meningis duræ cavitatem, & undique quidem cum ſectione retexiſſemus, tum e fontanellæ loco ferme totum illud prorupiſſe, & ſedem ab oſſe nudam, ſed ita alienam viſam, & extra calvariam ſibi paraſſe innotuit. Erat autem fontanellæ locus, ſolito humilior, ac magis oblongus ipſe hiatus, & inæqualis videbatur. Proinde ad fontanellæ potius æmulum huncce hiatum, quæ contrahebatur, mox in liberius ſpatium educebatur ampliorque cerebri moles in tanto nihilo minus tumore ſuſpenſa erat; tam ſuperius ſua forma ad duram matrem, & ejus proceſſum tumoremque reliquum omnem, quam inferius ad illam fontanellæ ſimilem aperturam accommodata. Qui fontanellæ locus, vitio illato



Digitized by Google

prævioque apertus, oſſeis limitibus, non quidem illis naturalibus veluti ſtriatis & oſſeſcentibus, perinde ac tenuibus, circumſcribebatur; ſed oſſa bregmatis vel triplo breviora, nec globoſa externe & erecta, quin potius inclinata erant; ſimul præ naturalibus longe duriores eorum, & oſſei craſſioresque fines hiatum illum, quem diximus, utrinque limitaverunt. Quorſum jam pariter ab parte priori, acclive atque depreſſum craſſumque os frontis convenerat, ut ſublimia ceteroquin calvariæ oſſa, & convexa in ſanis viſa, formam leporini cranii, hocce in exemplo ad usque hiatum illum preſſe imitarentur. Quorum omnium igitur oſſium non major atque occipitis oſſis, recteque in exemplo locati altitudo; ſed ad radicem utriusque oſſis bregmatis perexigua utrinque, ac vix memorabilis pars cerebri in calvariæ fundo ſupererat. Ipſum vero occipitis os, ſicuti reliqua, quæ modo diximus, ad craſſitiem & duritiem oſſium infantis duorum annorum ex omni parte acceſſerunt, ut neque minori firmitate, quanta quidem cum hac ætate convenit, ſutura lambdoidea, id occipitis os, quod cerebellum naturali ſimillimum exquiſite tenebat, ita demum figeret ac ſuſtineret. Quam ob rem pulſum ex naturali ſede ſua deformeque cerebrum pariter ſibi compagem, pro ætatis modo minus teneram, ſed ſpiſſiorem paullo, acquiſivit; & ipſum in cauſem oblongum, quaſi fontanellæ vitioſo hiatui accommodatum, deſinebat, ut tandem ſicut medulla oblongata cum cerebello coiret, nervosque nonnullos poſteriores intra calvariam ablegaret. Nam hos inter nervos omnes, qui e calvaria prodeunt, quatuor paria priora obliterata, & absque dubio dirupta fuerunt.

Inter ea, quæ faciem deturpaverant, male diſpoſiti oculi erant, horridumque complura alia vultum fecerunt. Nam dexteriores palpebræ ab poſitu naturali viisque lacrumalibus alienæ, & verſus naſum declives, valdeque deformes viſæ, partibus inſuper longitudinis monſtroſæ tribus coaluerunt; ſed oculi bulbum magnitudine naturali haud adeo minorem concluſerunt: nihilo minus cornea, transparente ceteroquin in ſanis tunica ille deſtituebatur oculus; qui ceteroquin ſub hiatu pal-

TAB. V



palpebrarum exiguo illico videndum ſe dedit. Neque vero minus turpiter ſiniſteriores palpebræ ducebantur, ſed ferme ex toto cum inferiori ſuperior cohæſit; ac ſub earundem inciſione quidem apertarum tegmine oculi exquirebatur orbita, dexteriore anguſtior, &, copioſam inter pinguedinem, deliteſcentem oculum, triplo naturali minorem, nihilo minus cornea transparente nitidaque, pro magnitudine oculi inſtructum condens atque tenens. Tantum paullo ſuperius, & ad ſinum inter oſſa ſuperiora papyracea ille reponebatur oculus monſtroſus, & muſculis de cetero deſtituebatur. Uterque vero oculus ſuos humores, pro magnitudinis ratione tunicasque internas & iridem concluſit; tantum retina nervusque opticus diſparuerunt. Inde, in facie externa, tam dextrarum, quam ſiniſtrarum palpebrarum decliviumque anguli interni, cum ſulco utrinque conſpirarunt, qui loco naſi ſedis fere conſueto ab oculis ad ſuperioris labii fiſſuram ampliſſimam deſcenderunt; quam non ita multo poſt proponemus. Inter hos ſulcos dexter magis conſpicuus, & amplior præ ſiniſtro erat, tractumque in integumentis faciei, veluti ſecta hæc eſſent, uterque monſtrabat; ut ita ad orbitæ angulum internum difformis via pateret. Sigillatim ille ſulcus, qui ab ſiniſtris deferebatur, hic fere in medio tractu eminentem quandam, nec cartilaginis diſſimilem ſubſtantiæ, ac quintuplo circiter naturali minorem aurem externam, ſed inverſam, & inde eminentem, exemplo notabili exhibebat. Erant in ea omnes cavitates & ſinus inſculpti, eminentesque partes reliquæ ſpectaculo jucundo diſcernebantur, quales ſunt helix & anthelix, deinde concha & ſcapha, tragus & antitragus; ipſe denique meatus auditorius ſingulari foramine, quod ad os usque ſubjectum penetrabat, ita quidem fictus omnino erat. Inter utrumque tegumentorum faciei ſulcum, quem modo diximus, jam medius extare naſus debebat. Nulla hic naſalia oſſa, aut, qui diſtincti eſſent & eminerent, oſſium maxillarium naſales proceſſus; deinde nullus vomer, nec cartilagines externum naſum effecerunt; ita vero fornice omni & naribus abſentibus, ore tantum ſpiritum duxit infans. Proinde ſulci, quos ante notavi-

tavimus, nonniſi deformes naſi limites quodammodo ſignificarunt, ac, de reliquo, uterque in fiſſuram ſuperioris labii, deinde vero in maxillæ oſſis & proceſſuum palatinorum aperturam deſiit, per quam aer inferioribus locis ad oſſa ſpongioſa atque internas naſi cameras ducebatur. Erat igitur ſuperſtes ſuperioris labii, pariter fiſſi, portio, *Fig. 1* L, eaque proſpectum hærentis exiguæ partis *Fig. 2* F, in ore cum prohibebat, tum ex parte adnaſcebatur gingivæ maxillarique oſſi fiſſo O, & P *Fig. 1*, ſed D & E *Fig. 2* viſis; ſcilicet ita protuberantibus hiſce ac partitis, ut nihilo minus ſupplerent pro labio leporino fingendo defectum ipſius partium labii ſuperioris, qualis *Fig. 1* literis M & N notatur. Ex quo, præter ſuperioris labii ampliſſimam partitionem, etiam gingivæ, & maxillaria atque palati oſſa valde notabilem hiatum, ſed ab utraque parte, ſuperſtitis quidem portionis internæ vomeris, exiguæque retulerunt; qualis proinde ingreſſus priori oris loco C *Fig. 2* digitum minimum pro amplitudine ſua capiebat; ſed hiatus ipſe, ſuo per palatum progreſſu, tandem ad ſedem uvulæ, quæ deſiderabatur, ſenſim anguſtiſſimus factus, rimæ inſtar, in faucibus apertæ finem conſequebatur. Quare in illo palati hiatu partitio quædam in naſo interno, & varietas ab parte oris utrinque obſervabatur. Nam amplior quodammodo præ parte ſiniſteriore fiſſura dexteriori loco erat, & utramque disjungebat oſſium palati fiſſorum anguſta, ſed media ſedes, qualis ceteroquin in ſanis multo exquiſitius vomerem figit; cujus quippe ſedis pars exigua nonniſi minorem vomeris partem relictam ſuſtentabat. Per duplicem ita fiſſuram, ore quidem aperto, ſpongioſa oſſa inferiora in ſenſum inciderunt, & bini ingreſſus deletarum narium expleverunt vices, ſpiritumque ad cavernas naſi interioris, & ad utriusque generis ſpongioſa oſſa atque fauces, in recens nato detulerunt.

TAB. VI. Fig. 2.

Etiamſi nos mechanicæ doctrinæ, quam fieri poteſt & indulgeamus, & eandem amplificare ſoliciti ſtudeamus; nihilo minus ſub vehementioribus animi affectibus morbisque evenire experimur, quæ tam ab ſolitis mechaniſmi & aliis vel conjectura aſſequendis viribus, quam ab animæ conſueta vitam faciendi lege lon-

Digitized by Google

longiſſime recedunt; &, talia in morbis ſubinde gravioribus, imo lethiferis, obſervari, propediem luculenter docebimus.

## TABULÆ ADJECTÆ EXPOSITIO.

*Fig. 1 Monſtroſam faciem infantis atque capitis tumorem exhibet.*

AA. *Tumor capitis.*
BB. *Appendices.*
CC. *Diviſionis nota in ſulcum minorem deſinens, cujus generis ſulci plures ſubinde in tumoris ambitu erant.*
D. *Palpebræ dexteriores.*
E. *Palpebræ ſiniſteriores.*
F. *Sulcus ab angulo oculi interno dexteriore ad labium leporinum deductus.*
G. *Sulcus ab angulo oculi interno ſiniſteriore ad labium leporinum deductus.*
I.K. *Auris externa inverſaque minor & aliena.*
L. *Portio labii ſuperioris medio loco ſuperſtes.*
M.N. *Fiſſi utrinque labii ſuperioris partes a latere viſæ.*
O.P. *Gingivæ.*

*Figura 2 Proſpectum palati ab parte oris, quantum expedit, videndum præbet.*

C. *Ingreſſus Fiſſuræ oſſis maxillaris communis.*
D.E. *Gingivæ cum conditis dentium alveolis.*
F. *Sedes partis relictæ vomeris naſalis exigua & ſuperſtes.*
G. *Fiſſuræ poſt uvulæ locum finis.*

## *DANIELIS VINCK, MED. DOCT. AMOENITATES Philologico-Medicæ, in quibus Medicina a ſervitute liberatur.*

Trajecti ad Rhenum, apud Guilielm. Croon, 1730, 8.
Alph. 1 pl. 12.

CL. Autor, poſtquam ex his *Actis* noſtris intellexit, controverſiam de Medicorum dignitate, ſtatuque ſervili,



Digitized by Google

in veteri Romanorum Republica denuo, maxime inter Britannos, agitari, amicorum quorundam monitis incitatus, de eadem re diſquirere, &, quæ pro aſſerenda artis ſuæ dignitate in aliis diſperſa reperit, in unum Volumen colligere, inſtituit. Ex qua cura natum hoc eſt Opuſculum, quo varia argumenta ex antiquitatibus medicis, politiorique literatura, explanat. Tribus itaque Sectionibus id agit, ut cum Medicinæ originem & progreſſum, tum ejus præſtantiam, neceſſitatem, atque uſum, itemque privilegia & honores Medicorum, denique conditionem illorum in Republica Romana, perſequatur.

Sect. I. Cap. I. Et primo quidem, ubi de originibus artis medicæ agere ingreditur, plures fuiſſe populos obſervat, qui eam artem ad Deum autorem retulerunt. Ex Hebræis *Moſes*, quod omnia ea, quæ ſanitati inſerviunt, a Deo condita eſſe commemorat, eo ipſo Deum Medicinæ autorem conſtituit, cui & *Syracides* aſſentitur. Imo Judæi, aliique, etiam Adamum Medicinam a Deo edoctum eſſe, opinantur. Verum aliæ etiam gentes, eædemque antiquiſſimæ, inventionem Medicinæ, quam penes ſe natam eſſe gloriabantur, ſuis adſcripſerunt Diis. Quo nomine ab Ægyptiis *Hermes*, quem aliquando extitiſſe, eumque ſapientiſſimum fuiſſe hominem, adverſus *Conringium* evincere allaborat Noſter, *Iſis*, *Serapis*, *Bacchus*, & *Arabus*, a Græcis *Apollo*, quem & Romani Medicinæ autorem dixerunt, & *Æſculapius*, quem primum fuiſſe hominem, & deinceps demum in numerum Deorum relatum, probat, eademque occaſione de nummo quodam in honorem *Æſculapii* a Smyrnenſibus cuſo, adverſus Celeb. *Mead* diſputat, eundemque explicat, culti fuerunt. Quare, cum ex hoc argumento ſatis ſummam Medicinæ exiſtimationem, quam priſcis temporibus habuit, probaverit, progreditur deinceps ad veras illius origines perquirendas,

2. quas a caſu fortuito, naturali inſtinctu, imitatione eorum, quæ ab animalibus brutis naturali ex impetu ad ſervandam vitam facta eſſe, homines obſervarunt, eventibus haud prævi-

3. ſis, repetendas eſſe oſtendit. Experimentorum horum aliquoties repetitorum memoria experientiam conſtituit, ad quam

ho-

homines neceſſitate quadam compellebantur, cum & prima mundi ætate ægrotarent; licet, Medicinam tunc Diæteticam magis & Chirurgicam, quam Clinicam, in uſu fuiſſe, inter omnes conſtet. Medici etiam veteres virtutem medicamenti cujusdam, quæ incognita huc usque erat, certius accuratiusque exploraturi, id, Regum beneficio, maleficis crucique ſuffigendis propinarunt. Unde progreſſus & incrementa Medicinæ patent. Nota Cap. 4.
etiam eſt conſuetudo, qua antiquitus ægroti in compitis viisque publicis exponebantur, ut de morbo ſuo prætereuntibus referrent, atque Medicinam ab iis peterent, quod Ægyptiis, Babyloniis, item inter Hiſpaniæ populos, Callaicis, Aſturibus, & Cantabris, ipſis denique Romanis, in uſu fuiſſe contendit. Neque mi- 5.
nus ſolennis fuit incubatio in fanis Deorum, *Iſidis*, *Serapidis*, *Bacchi*, *Apollinis*, *Æſculapii*, atque ad *Podalirii* ſepulchrum, in quibus ſomnum ægrotantes capere conſueverunt, ut per inſomnia ipſis medicamenta revelarentur, nec irrito ſemper ſucceſſu, cum ſæpius eventus ſomniis reſponderet. Ægroti etiam vota pro 6.
ſalute ſua facta, ubi cum morbo in gratiam redierunt, perſoluturi, præter alia, quæ Noſter recenſet, ad templorum parietes & columnas tabulas ſuſpendebant, vel in eorum ſacrariis dedicabant, quibus & morbi genus, & medicina, qua convaluerant, exponebatur. Ex harum obſervationum uſu non ſolum variæ 7.
Medicorum ſcholæ ortum habent, ex quibus Alexandrina reliquas ſuperavit, ſed ipſe etiam *Hippocrates* Medicinam politiorem reddidit. Hactenus de origine incrementisque Medicinæ.
Præſtantia ejus, ut de aliis taceamus, quæ ſtrictim attingit, exi- Sect. II. Cap. 1.
ſtimatur ex dignitate hominis, cui illa opem fert, & ſanitatis, quam reſpicit, vera præſtantia, quoniam hæc omnium conſenſu gentium verorum bonorum loco numeroque habita ſemper fuit. De neceſſitate ejus nemo dubitabit, qui fragilitatem corpo- 2.
ris humani, morbosque, cuilibet facile obvios, cogitaverit. Unde & merito refutantur, qui plurimas gentes diu, ipſumque populum Romanum 150 annos, ſine Medicis fuiſſe, Medicosque omnes a Romanis ſub *Catone Cenſorio* ex urbe totaque Italia pulſos eſſe ſibi perſuadent, aut ob terminum vitæ conſtitutum Medicinam inutilem pronuntiant. Quin potius uſus ejus exinde 3.



Digitized by Google

ſatis elucet, quod omnibus omnino hominibus, cujuscunque ſexus, ætatis, conditionisque, ſuccurrere ſolet; deinde, quod in foro etiam JCtis & judicibus ad extricandas cauſas maxime diffici-
Cap. 4. les facem aliquando præfert. Unde & contigit, ut varia Medicis præmia, & annua quondam ſtipendia, tributa, neque minus pro felici morborum curatione ampliſſimæ largitiones factæ
5. fuerint, quarum permulta exempla Noſter enarrat. Neque honor ipſis denegatus fuit unquam, imo nonnullis quam maxime habitus, interque hos *Hippocrati*, *Machaoni*, Medicis Smyrnenſibus, in quorum honorem cuſi complures nummi adhuc proſtant, item *Democidi* in aula Darii, aliisque apud alias populos Medicis, Romæ etiam, ubi civitate donati fuerunt. Singuli propemodum Imperatores, ad Julianum usque, Medicis privilegia conceſſerunt, quæ vacationem & immunitatem ab omnibus muneribus, tam perſonalibus, quam patrimonialibus, quæ alias omnibus incumbebant, complectebantur. Imo Imperatores & Principes in ſe ipſos Jus Medicis indulſerunt. Fuerunt autem ex omnibus fere gentibus ſummi præſtantiſſimique Viri, qui operam ſuam Medicinæ addixerunt. Eo pertinent ex Hebræis *Sa-*
Sect. III. Cap. 1. *lomon*, cujus inprimis deſcriptio ſenectutis copioſius enucleatur, *Ezechias*, *Agrippa*, *Moſes*, inſignis peritiæ Chemicus, *Eliſæus*, *Eſaias*, *Esdras*, *Jeſus Syracides*, *Lucas* Evangeliſta, *Paulus* Apo-
2. ſtolus; ex Ægyptiis *Hammon*, *Athoſtas*, *Zoroaſter*, *Seſorthus*, *Necepſus*, *Ptolomæus Evergetes*, omnes Ægyptiorum Reges, *Juba*, Mauritaniæ Rex, ſi quidem *Plinii* quædam lectio genuina
3. habeatur, de quo merito quis dubitare queat; ex Græcis *Chiron*, *Hercules*, *Achilles*, *Machaon*, & *Podalirius*, *Dionyſius*, Siciliæ Rex, *Alexander* M. *Lyſimachus*, Rex Pergami, item *Attalus Philometor*, Pergami pariter Rex, *Antiochus*, Syriæ Rex, *Gentius*, Illyricorum Rex; item ex inferiori ordine, *Melampus*, *Orpheus*, *Homerus*, *Heſiodus*, *Thales Mileſius*, *Pythagoras*, *Empedocles*, *Democritus*, *Hippocrates*, *Plato*, *Ariſtoteles*, *Philippus*, Alexandri Medicus, *Eraſiſtratus*, *Aſclepiades*, *Craterus*, *Antonius Muſa*, quem ab *Artorio*, itidem Auguſti Medico, diſtinguendum putat,
4. *Xenophon* Cous, *Plutarchus*, *Galenus*; ex Romanis *Auguſtus*, *Claudius*, *Adrianus*, *Conſtantinus IV*, *Cato Cenſorius*, *Cicero*,

*Vir-*

Digitized by Google

*Virgilius*, *Æmilius Macer*, *Ovidius*, *Caſſius*, *Julius Baſſus*, *Sextius Niger*, *Aurelius Cornelius Celſus*, *Scribonius Largus*, *Petronius Arbiter*, *Plinius*, *Apulejus*, *Quintus Serenus Sammonicus*, *Julius Auſonius*, quorum in rem medicam merita, quo jure ſemper, alii viderint, longius enarrat. Fuit autem apud Hebræos æ- Cap. 5.
que, atque Ægyptios & Græcos, Medicorum ſumma dignitas, ſtatusque non ſervilis, ſed ingenuus & honeſtus. Inter Ægyptios ſacerdotes in maximo ſemper pretio habiti ſimul medendi artem tractaverunt. Et nihil agunt, qui in eo, quod in ſacris literis *Joſephi* Medici ſervi ejus vocantur, neſcio quam ſervilem conditionem ſibi reperiſſe videntur. Apud Græcos lege cautum erat, ne quis ſervus in Medicinam diſcendam incumberet, quod inter liberales artes ea referebatur, quam & plures ſacerdotes legumque latores exercuerunt. De Romano autem populo lis 6.
mota eſt, eane pariter Medicinam tractaverit, an vero ſolis ſervis reliquerit? Pluribus, quos Noſter recenſet, poſterius placet, quod, cum vox medicus eo tempore Medicum Clinicum æque, ac Chirurgum, denotet, etſi diverſi fuerunt quam maxime, quod de poſterioribus tanquam ſervis commemoratur; nunc ad priores etiam, vel ſolos, vel ſimul cum Chirurgis, ex horum virorum arbitrio trahi ſoleat; porro quoniam paucis in locis ægroti Medicis imperare dicuntur apud veteres ſcriptores; ſed affert Noſter vel ſexcentos locos, in quibus Medici ægrotis imperare, item jubere, præcipere, ut apud Græcos *διατάττειν*, *προστάττειν*, *συντάττειν*, dicuntur; quemadmodum & familiaris loquendi ratio eſt, quod ægri ſe Medicis credant, vel committant. Si tamen ægri a Medicis aliquando propter morbi impatientiam aliquid imperioſius poſtulant, id quidem eorum infirmitati tribuendum eſt; aut, ſi quando Medico familiariori leniter imperaſſe ægrotus, & ille obſecutus eſſe commemoratur, quis inde argumentum ſervitutis peteret? Nonnulli provocant ad Lib. XII *Æneid. Virg.* v. 395, cujus varias Noſter explicationes affert, ut labes Medicinæ abſtergatur. Cum vero illi præ reliquis rem acu tetigiſſe videantur Autori, qui illum, quod empyricas ſolam & chirurgicas artes exercuerit, inglorium dici putant, illud exinde minus quidem vero ſimile cenſemus, quod a Poeta

— — *Phœbo ante alios dilectus* ...
dicatur, cui ipſe ſuas artes obtulerit, quæ profecto non niſi præſtantiſſimo ab ipſius Medicinæ autore expectari poterant. Quæ
Cap. 7. ſupra Sect. II Cap. 4 de Romanis nobilibus Medicinam profeſſis adduxerat, fuſius hic commemorantur, illamque inter artes liberales a Romanis relatam eſſe, variis teſtimoniis evincitur.
8. Medicos quoque omnes inter ſervos non eſſe referendos, inde patere oſtendit, quod amici & familiares Imperatorum & principum in Republica virorum hinc inde appellantur; quod præcipua urbis munera obierunt; quod iis collegium *Æſculapii & Hygeæ* LXvirorum fuit conſtitutum legibusque munitum, jus autem collegiorum ſervi nunquam habuerunt; quod Medicorum ſalarium ſtipendium, non peculium, ut ſervorum, uxores ipſorum conjuges, non contubernales, ut itidem ſervorum, vocantur; quod Medici variis in locis a tutela excuſantur, id vero in ſervis opus haud fuiſſet, qui a tutela, tanquam haud capaces, remoti fuerunt; quod jus patronatus habuerunt, denique
9. quod ipſimet ſuos ſervos libertosque aluerunt. Omnis autem, ut ſupra Noſter id jam attigit, nunc vero copioſius perſequitur, error inde natus eſt, quod, etſi inde ab *Herophili & Eraſiſtrati* temporibus Medicina in tres partes, Diæteticam, Pharmaceuticam & Chirurgicam, diviſa, & hanc ob cauſam Medici Clinici a Chirurgis & Pharmacopœis deinceps quam maxime diſtincti erant, omnes tamen ii, utut re ipſa diverſi, communi Medici nomine ſæpius vocantur apud antiquos Autores, ipſoque etiam in Corpore Juris, ubi Chirurgi nunquam hoc nomine, ſed ſemper Medici, appellantur. Noſtro autem ſecillo, ſi qui videut, Medicos cognominari ſervos, cum de Chirurgis, qui utique in Romanorum Republica ſervi & rationalium Medicorum operarii erant, aliisque ejus generis hominibus ea explicanda eſſent, ea de Medicis Clinicis imperiti imprudentesque interpretantur, quanquam aliquando etiam cognomine diſtinguuntur, ut Medici Clinici vel rationales, alii autem Medici Chirurgi, ocularii, vulnerarii, vocentur, illorumque longe honorificentior ſem-
10. per, quam horum, mentio fieri obſervetur. A Romanis etiam omnem initio neglectam eſſe Medicinam, ſolisque Græcis reli-
ctam

ctam, inter omnes conſtat. Id vero inde factum eſt, quoniam in principio ſolis exercitationibus bellicis vacavit Romana pubes, neglectis ſtudiis liberalibus; poſtea autem, ubi & hæc coli cœperunt, prudentiæ tamen civili, quod hæc e re ipſius eſſet quam maxime, magis ſe addixit; denique, cum homines quidam armorum uſu efferi ad artem hanc cum cura & ſolicitudine faciendam illotis quaſi manibus accederent, ſed majori aliorum damno, quam emolumento, Medicis Romanis nulla tum fides atque autoritas fuit. Unde neceſſitate compulſi aliquamdiu Græcorum operam requiſiverunt, donec cives accuratiorem ejus peritiam & experientiam ſibi compararunt. Enimvero non erit id arti ignominioſius, quod a Græcis ad Romanos pervenerit, quam Jurisprudentiæ & reliquis diſciplinis liberalibus, quas omnes Græcis Romani in acceptis tulerunt; neque etiam, quod ſerius illa culta fuit, quoniam omnia item humanitatis ſtudia primis Reipublicæ temporibus neglecta, nec ante bella Punica admodum exculta eſſe Noſter probat. Sed ponamus, fuiſſe forſan aliquos ex ipſorum Clinicorum Medicorum numero ſervos aut libertos, idque fortuito. Quid inde? Etenim poſtquam devicta Græcia integras Græcorum familias Romani Quirites deduxerunt, quibus ſervorum loco uterentur, facile evenire potuit, ut in iis & eſſent Medici, qui, quoniam Romanis hominibus rudibus & ad arma natis nullius artis ſtudium fere cognitum erat, medicinam exercuerunt, quam tamen, licet ut ſervi tunc tractarunt, ut ingenui & Romanorum dominio nondum obnoxii edocti fuerunt. Ejusmodi autem ſervitutem, quam facile captivitate vel alio caſu contingit, ut hodieque Principes & optimi viri ſubire cogantur. A paucis vero illis, ſi qui omnino fuiſſent, ſervis Medicis nemo recte argumentaretur, artem omnem a ſervis exercitatam & illiberalem fuiſſe. Alias, cum fuſius Noſter evincat, tot JCtos & cauſarum patronos, qui & præterea acerbiſſimis conviciis apud Romanos expoſiti fuerunt, item Rhetores, Grammaticos, Philoſophos, Poetas, ſervos & libertos fuiſſe, conſequeretur, & omnes has artes ac diſciplinas fuiſſe illiberales. Quid dicendum erit de officiis quibusdam aulicis, noſtro tempore ſplendidiſſimis, quæ olim a ſervis præſtita fuerunt? Ad plura

alia

Digitized by Google

alia Noſter data occaſione digreditur, ubique autem ad Autores, magno numero adductos, ex quibus ipſe profecit, Lectores ſuos ingenue remittit.

*ALBERTI THURA, LAURENT. FILII, PASTORIS Leirskovienſis in Cimbria, Gynæceum Daniæ literatum, feminis Danorum eruditione vel ſcriptis claris conſpicuum.*

Altonæ, apud Jonam Kortte, 1732, 8.

Plag. 9.

NOvum ſuæ in patriam pietatis ſpecimen exſtare voluit Autor, poſtquam ante hos decem, & quod excedit, annos *Ideam Hiſtoriæ literariæ Danorum* vulgavit, dum hoc ſcripto *feminarum*, quas alit adhuc aluitque olim *Dania*, *ex* doctrinæ cultioris fama inſignium, memoriam ad poſteros transferre inſtituit. Numerum illæ centenarium ſuperant; licet doctrinæ facultate non æqualem ſingulæ promeritæ celebritatem, imo ſat multæ ne quidem commemorationem; quod nec ipſe diffitetur *Gynæcei* conditor humaniſſimus. Non fieri inde non potuit, ut exilis admodum de omnibus fere meritorum enarratio excideret ac macilenta. Quicquid interim hujus rei ſit, gratiam rependent tamen inſumti laboris doctiſſimo Viro ſui cives, neque omnino nullas profitebuntur, qui alias μικρολογίας iſtas literarias non omnino faſtidire conſueſcunt. Illi uni ita efficere licuit, quod idem ſerio deſtinatum in *Joanne Iſaacio Pontano, Ottone Sperlingio, Andrea Bordingio, Severino Lintrupio*, ac *Thoma* denique *Bircherodio*, vel negotiorum moles, vel iniquius fatum, vel mors denique, intercepit. Hi viri, cum clariſſimi inter eruditos habeantur, vel ſuo exemplo, non plane nihil egiſſe doctiſſimum *Thuram*, abunde demonſtrant. Ceterum is in Præfatione *de feminarum variarum apud Danos in literas & literatos munificentia* ſigillatim atque diligenter commentatus eſt, ſexus ſine dubio juſto alias tenacioris in ſtudioſos liberalitatem excitaturus.

---

Prelo iterum exiiſſe *Decennii ſecundi Actorum Erud. Indicem Univerſalem*, eos, quibus inde ab aliquo tempore valde fuit expetitus, certiores facimus.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Decembris Anno MDCCXXXII.*

---

## *RERUM ITALICARUM SCRIPTORES ab Anno Æræ Chriſt. D ad MD. LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, Sereniſſ. Ducis Mutinæ Bibl. Præf. collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit, nonnullos ipſe, alios vero Mediolanenſes Socii ad MSS. Codd. fidem exactos, variis Lection. & Notis auxere.*

## *Tomus XVIII.*

Mediolani, ex Typogr. Societatis Palat. 1731, fol. Alph. 7 pl 6, Tabb. æn. 5.

M*Uratorianum* hoc Opus perluſtrantes, videmur nobis velut in amœniſſimo horto excurrere, variis picto pulcherrimisque floribus, & jucundum oculis ſpectaculum præbente. Vix de manibus Tomum XVII poſuimus; ecce alacres ad ſubſequentem convertimur, reliquis omnibus, olim editis, etſi ordine inferiorem, rerum tamen, quas liberali manu hic nobiſcum communicavit Editor doctiſſimus, pretio & dignitate parem facile, quin, ſi copiam & multitudinem ſcriptorum ſpectes, ſuperiorem etiam. Sunt in eo multa, quæ animum paſcere lectorum, & ad decus gentis antiquæ, factisque glorioſiſſimis ſatis per ſe illuſtris, conferre poſſint quam plurimum. Addimus, rerum præſtantiſſimarum hic optimum delectum habitum, ut eodem in Volumine & *Regienſis*, & *Bononienſis*, & *Luccenſis*, & *Florentina*, civitates, rerum ſua-

rum hiſtorias legant compoſitiſſimas. De quibus, utpote non adeo vulgo cognitis, commemorari in *Actis* noſtris breviter, & intereſt rei literariæ, & noſtro maxime convenit inſtituto. Primum omnium locum occupat *Chronicon Regienſe, ab Anno 1282 usque ad 1388; Autoribus Sagacio & Petro de Gazata, Regienſibus.* Multum hoc differt ab alio *Regienſis Civitatis Chronico*, ſive *Memoriali Poteſtatum Regienſium*, quod, probe meminimus, jam longe ante vulgatum a Cel. *Muratorio* in *Tomo VIII* Collectionis hujus. Non immerito dolet Cel. Editor, Codicem hujus Chronici MStum, quem ſervant Monachi Benedictini Regienſes Monaſterii S. Petri, & cujus copiam ipſi fecerat S. Rev. *Benedictus Bachinius*, ex Caſinenſi Congregatione, & Mutinenſis Cœnobii Abbas, mancum admodum fuiſſe & attritum vetuſtate; quo factum eſt, ut non niſi mutilum membrisque ſuis male conglutinatum corpus ſiſtere lectoribus potuerit; multas ei, quisquis fuerit, ipſe gratias acturus, qui, incorruptioris ope codicis, ſupplere has lacunas, Chroniconque magis integrum proferre in lucem potuerit. Neque ſpes nulla eſt, fore, ut hæc emendatiora prodeant ſucceſſu temporis; quandoquidem ejus Chronici exemplum, ab hoc ipſo diverſum, ætate *Bernardini Corii*, rerum Mediolanenſium ſcriptoris, Mediolani latuit, forſan poſtea in latebras neſcio quas conjectum, unde proditurum aliquando, quidni auguremur? Interea, quantumvis ægre feramus jacturam eorum, quæ fruſtra hic deſideramus, propterea quod *Hiſtoria* hæc numeranda videtur in præſtantiſſimis, & rerum geſtarum momenta multa continet notatu digniſſima, eademque commemorata diligenter atque accurate; præſtat tamen, partem Operis, quam nihil, habere; nec laudem hanc *Muratorio*, Viro bono, negabimus, quod tantum nobis, quantum ipſi conceſſerat fortuna, dederit, &, cujus antehac vix inter eruditos fuerat notitia, ipſe ante oculos noſtros librum poſuerit, atque, ſi quis aliquando daturus eſt pleniora, primus huic conquirendi pleniora anſam dederit. Autores is labor binos habuit, *Sagacium* ſeu *Sagacinum*, & *Petrum*, ſeculo claros quarto & decimo, utrumque ex gente oriundum *de Gazata* ſeu *de*

*la*

*la Gazata*, nobili olim, ſed poſtea, ut ſunt rerum viciſſitudines, prorſus extincta. Et *Sagacius* quidem, avus *Petri* ſeu proavus, repetita, ut videtur, inde a vetuſtiſſimis originibus & ipſis Romanorum temporibus hiſtoria Regienſi, narrationis filum deduxit ad annum usque 1353, labore hoc usque ad extremam ætatem, quippe nonagenarius, perfunctus. His deinde *Petrus* addidit & annotationes ſuas, & hiſtoriam eorum, quæ inde ab anno 1353 ad annum forte 1414, (in anno 1388 deficit Codex *Muratorii*) quo ipſo diem obiit ſupremum, geſta ſunt in Regienſium Republica. De *Sagacio*, pauca ſunt, quæ illorum temporum annales nos edoceant. Tantum conſtat, fugiſſe eum aliquando exulem e patria, annosque aliquot liberali exceptum hoſpitio a *Cane Grandi Scaligero*, Veronenſi Principe, cujus in ſe animum & beneficia ſibi præſtita per omnem vitam debitis laudibus celebravit. De mortis nec die, nec anno, quidquam compertum habemus. Unum id proditum eſt memoriæ, vixiſſe eum ad extremam ſenectutem, & viſu deficere cœpiſſe nonagenarium. Non adeo in obſcuro fata *Petri* ſunt. Is, filius *Franceſcini de Gazata*, primis juventutis annis cooptatus in Monachos Benedictinos S. Proſperi, Monaſterii Regienſis, cujus hiſtoria parari jam dicitur a *Camillo Affaroſio*, ejusdem Cœnobii Monacho, poſtea A. 1363 ab Urbano V Pont. ejusdem monaſterii Abbas dictus, tum A. 1384 ab Urbano VI Subcollector Apoſtolicus nominatus, denique A. 1391 Vicarius generalis conſtitutus ab Ugolino, Epiſcopo Regienſi, hocque munere non interrupta tredecim annorum ſerie perfunctus, octogenarius ex hac vita emigravit. Oſſa ejus in æde S. Matthæi, nunc S. Rocchi, ſunt condita, eodemque in loco cernitur effigies *Petri*, inſculpta in lapide, cum Inſcriptione: Hic jacet Reverendus Pater Dominus noſter Petrus de la Gazata, Abbas Monaſterii Sancti Proſperi inferioris de Regio. Qui promotus fuit MCCCLXIII Menſe Aprilis die XVII. Obiit autem die XXVI Februarii MCCCCXIV. Narrat ipſe in hoc Chronico, ſibi, cum annorum eſſet quatuordecim, inſidias paratas ab inimicis domus ſuæ, nec abfuiſſe multum, quin in manus eorum incideret, niſi opportunum parentis auxilium

ipſum præſtitiſſet incolumem. Ceterum, non defuiſſe olim, qui Chronico hoc, etſi nondum juris facto publici, uterentur in rem ſuam, ex iis, quæ tam in *Guidonis Pancirolii* Hiſtoria Regienſi compoſitiſſima, Bibliothecæ Eſtenſis ornamento, olim forſan, annuentibus fatis, proditura, quam in *Fulvii Azarrii*, Regienſis civis, Chronico hujus civitatis civili & Eccleſiaſtico, quod ſimiliter in Bibliotheca Eſtenſi ad hunc diem aſſervatur MSptum, partim excerpta ex eo, partim de eo leguntur commemorata, perſpicue luculenterque cognoſcitur. *Gazatarum* laborem excipit *Matthæi de Griffonibus Memoriale Hiſtoricum rerum Bononienſium ab anno 1309 usque ad 1428*; communicatum cum Cel. *Muratorio* a *Jo. Paulo Marchione Pepuleo*, Viro nobili, & bonis literis admodum amico. *Matthæum de Griffonibus* Autorem dixit Editor, etſi in fronte Codicis, quem avtographum putat, notatum manu aliena legerit *Joannis Griffonis* nomen. Nihil repugnamus *Muratorio*; ſed, cum ejus rei cauſam habuerit nullam, quam quod paſſim in hoc libello *Matthæi* illata ſit mentio, & de eo quædam dicta ſint magnifice, dubitamus, an penes eruditos omnes ſuum huic argumento conſtare robur poſſit. Nobis interim, quibus certiora non conſtant, de his fidem habere tanto Viro, æquum ſit. Bononiæ ſemper *Griffonum* domus in numero nobiliorum & patriciarum fuit, exſtantque in hac urbe monumenta quædam publica, teſtes pietatis, qua proſecuti ſunt *Griffones* patriam. Nec *Memoriale* hoc carere voluit *Matthæus* gentis ſuæ laudibus, multa *Griffonum* facta præclara, ubicunque ferat occaſio, ab oblivione vindicans. Copioſum autem inprimis in ſuarum rerum commemoratione invenias. Diſcas inde, natales ejus in anni 1351 diem 23 Julii incidiſſe; patrem habuiſſe *Matthæum*, filium *Guiducii de Griffonibus*, matrem *Zannam*, filiam *Matthæi de Creſcentiis*; in matrimonium duxiſſe A. 1384 *Helenam*, filiam *Antonii Codeca*, Mercatoris; *Correctorem Societatis Notariorum* factum A. 1387; & *Antianis* adjunctum A. 1389, nihil non reliquiſſe intentatum, ut civium nonnullos a proſcriptionis ſupplicio liberaret; legatum nomine civitatis patriæ ad Pontificem Bonifacium IX miſſum

miſſum A. 1393; A. 1397 *Poteſtatem*, (quæ verba ipſius *Matthæi* ſunt,) *Comitatus* Imolæ, & ſubſequenti *Confalonerium Juſtitiæ* egiſſe in urbe patria; tum A. 1401 novum legationis munus obiiſſe Florentiæ, ſed A. 1403, Bononiæ imperante Mediolanenſi Duce, juſſum ire in exilium, unde tamen revocatus brevi, priſtinam recuperaverit dignitatem, &, redacta in poteſtatem Pontificis Bononia, A. 1408 in eorum, qui a conſiliis fuere Legato Pontificio, cooptatus ſit ſodalitium. In poeſi vernacula non fuiſſe hoſpitem, verſus teſtantur, quos cecinit ad A. 1385. Mortuum A. 1426, die tertio menſis Julii, & ſepultum ad ædem S. Franciſci, ſuperſtitesque habuiſſe filios, *Florianum, Luixium, Joannem, Franciſcum*, & *Ludovicum*, ad calcem Codicis, quem ad manum habuit Editor, adſcripſit ignotus quidam. Fuit vir probus moribusque integer, & in gerendis rebus prudentia inſigni conſpicuus; id quod vel ex eo apparet, quod in mediis, quibus tunc temporis agitata fuit civitas Bononienſis, turbis inteſtinis ſolus fere ab impetu fortunæ ſe defendit, nec inimicum habuit, quod conſtat, quemquam. Hiſtoria hæc, quam ante oculos habemus, animi compoſiti & incorrupti Autorem loquitur, oratione ſcripta ſimplici, atque ita comparata prorſus, ſicut eſſe rerum geſtarum hiſtorias quaſcunque decet. Ad A. 1374 rem de ſe ipſo ſat miram refert, aut, ſi mavis, ridiculam, & habendam in fabulis. Morte ereptum ſibi repentina, refert, *Raphaelam*, feminam pulcherrimam, & ſibi amatam tenerrime. Quo ipſo cum vulnus ſibi inflictum ſentiret crudeliſſimum, nec modum ponere querelis ſciret, quin vias omnes planctibus & triſtiſſimis clamoribus dies noctesque impleret, tum ſibi, ſedenti forte inter amicos, repente viſam imaginem mortuæ, viventi prorſus ſimillimæ, quæ ipſi, remotis arbitris, confirmaverit amorem priſtinum, multaque in aurem dixerit, hac tamen lege, ut in intimo pectore hæc ſervaret recondita; quam primum enim de his quemquam faceret certiorem, id ipſi cauſam mortis fore. Non deſunt narrationi teſtes, quorum multos Autor nominat, etſi parum valituros penes incredulos. Refert eandem rem *Cherubi-*



Digitized by Google

*rubinus Ghirardaccius* in Bononienſium Hiſtoria, a *Griffoniano* Opere parum diverſa; ſed eveniſſe id *Matthiæ de Griffonibus* ille perhibet, quod ſibi Noſter. *Matthæo* ſcriptores rerum Bononienſium plures jungit Editor, ſingulos in unum velut faſciculum redactos. Nam, cum in Bibliotheca Eſtenſi tria civitatis Bononienſis Chronica animadverteret, alterum ab origine urbis ad A. 1506 productum, & Autore ſcriptum *Jacobo*, filio *Antonii de Podio*, cive Bononienſi, alterum res inde ab A. 1101 ad 1471 geſtas commemorans, &, præter *Bartholomæum de Puliola* & *Jacobum de Blanchinis*, ignotos quosdam Autores habens, tertium denique inchoatum a natalibus Chriſti & in A. 1471 finitum, manu incerta, nec una tamen, compoſitum; ne res easdem bis aut ter legendas daret civibus ſuis, neglecta *Podii* Hiſtoria, quippe recentiori, nec ſingularia multa continente, bina, quæ ſupererant, Chronica ita in uſum eruditorum convertit, ut antiquiora, tanquam inutilia, reſecando, & ſupplendo alterum ex altero, in manus noſtras tradiderit Opus limatum & pleniſſimæ hiſtoriæ habitu indutum, idque *Hiſtoriam Miſcellam Bononienſem* inſcripſerit, nomine, ſive rerum, ſive Autorum varietatem ſpectes, maxime ad rem accommodato. Quo factum eſt, ut jam habeat rerum ſuarum annales Bononia, quales non habuit antehac; etſi magna ad hunc diem exiſtimatio fuerit *Ghirardaccii*, dubiæ fidei hominis, qui, cum nihil fere expromat, quod non turpiter, ut ſolent fures literarii, ex hujus generis Chronicis MStis expilaverit, haud pauca rerum Bononienſium momenta prætermiſit, quæ in Annalibus hisce copioſe videas commemorata. Illud addimus, *Muratorio* videri eum, qui primus hæc Chronica collegerit, præ manibus habuiſſe Chronicon illud Eſtenſe, cui locum olim dederat in Collectionis hujus Tomo XV, quod rerum ac verborum, quæ in utroque Opere legantur, magnam eſſe ſimilitudinem appareat. Quarto loco nobis exhibet Cel. *Muratorius Joannis Sercambii, Autoris ſynchroni, Librum ſecundum Chronici de Rebus geſtis Lucenſium ab A. 1400 usque ad 1409*, haud negaturus nobis primum, qui hiſtoriam Lucenſium ab A. 1164 ad A. 1400 continet, ſi, qua in terrarum

par-

parte ſit exquirendus, licuiſſet ipſi conjectura aſſequi. Debetur hoc majoris Operis fruſtulum inſigni beneficio & in literas amori *Joſephi Antonii Saxii*, qui Codicem hujus Chronic, in Bibliotheca, cui præeſt, Ambroſiana exſtantem, recognoſcendum transſcribendumque permiſit *Philippo Argelato*, Collectionis *Muratorianæ* Editori præſtantiſſimo. Quod ad *Cambium*, ejus, præter hæc Chronica, nulla in rem patriam & eruditorum merita innotuere. In Lucenſi Republica inde ab A. 1400 geſſit vexilliferatum Juſtitiæ, munus illuſtre & in urbe illa omnium graviſſimum. Secutus eſt partes *Pauli Guinigii*, quem & ipſe ad ſummam rerum in republica Lucenſi adſpirantem conſiliis & ope ſua adjuvit, jamque imperio potitum, ne cederet tumultuanti plebi, prohibuit. Neque adeo mirum, hujus geſta paſſim in hoc Chronico laudibus magnificis extolli, & virtutes ejus enumerari ſat multas. Fuit ipſe literarum haud ſatis gnarus, nec multum commendari meretur ſtilus in hoc Chronico, deformatus dictione incondita & ſibi conſtante nusquam, quin & dialecti Lucenſis ineptis formulis, ad ſermonem vulgi nimis comparatis. Neque tamen ideo nullius æſtimanda pretii videtur hiſtoria, plena narrationum ejusmodi, unde voluptatem capere lectores poſſint, & ad conſervandam rerum tum Lucenſium, quam Florentinarum, nec non magni illius Schismatis, quod fatale fuit ætate illa Eccleſiæ, memoriam admodum accommodatum. Chronico huic ſubjunctos vides *Annales Eſtenſes Jacobi de Delayto, Cancellarii D. Nicolai Eſtenſis, Marchionis Ferrariæ, Autoris Synchroni, de Geſtis ipſius Marchionis, ab A. 1393 usque ad 1409.* Videtur illud in animo habuiſſe Autor iſte, ut Hiſtoriam illam Eſtenſem, quam olim in Tomo XV Collectionis hujus dederat *Muratorius*, proſequeretur, &, quæ ab A. 1393, in quo ſubſtitit Hiſtoriæ illius Autor, ad A. 1409 geſta ſunt a Nicolao Marchione, Eſtenſi Duce, literarum monumentis commendaret. Codice Editor gemino uſus eſt, utroque ex Bibliotheca Eſtenſi comparato, altero, ſi ſcripturæ formam ſpectes, manu ipſius Autoris ſcripto, altero additamentis auctos, quæ Borſii Eſtenſis aſcenſionem ad Ducatum continebant, & digna

digna Editori viſa ſunt, quæ ipſis Annalibus annecteret. Condidit hanc Hiſtoriam *Delaytus* ipſius juſſu Nicolai, quem habebat autorem fortunæ ſuæ, coluitque per omnem vitam religioſiſſime. Ex ejus lectione fructum, quem ſperes, inſignem habes. Non enim id ſatis fuit Autori, ut unius vitam & facta illuſtria Nicolai enarraret, ſed ex his ipſis ſæpe materiam cepit excurrendi in vicinorum populorum rebus memorabilibus; cujus generis ſunt ea, quæ de Scaligerorum & Carrarienſium interitu fuſe diligenterque exponit. Patriam *Jacobus* habuit Rhodigium, civitatem haud ignobilem, & undecimo ſequentibusque ſeculis ſubjectam poteſtati Principum Eſtenſium. Nominis originem ſi quæris, in ea conjectura eſt *Muratorius*, eſſe contractum ex Italico *Dio l'aiti*, aut *l'ajuti*, quod Latine ſit, *Deus illum adjuvet*, nec abhorrere id genus compoſitionis a genio linguæ, cum ſimilia in promtu ſint, *Diotalleri*, Deus dedit, *Naſcimbene*, bene natus, *Bentivegna*, cito natus, & quæ non alia; idque nominis, cum olim fuerit agnomen ſaltem, ſucceſſu temporis in cognomen degeneraſſe. Rhodigio Ferrariam ſe Noſter contulit, & in hac urbe tam feliciter obiit Notarii provinciam, ut in gratiam venerit Nicolai Ducis, & in hujus aula ab A. 1390 annos complures ſcribæ ſupremi munere perfunctus ſit. Extant paſſim munificentiæ inſignis, qua proſecutus eſt *Jacobum* Nicolaus, monumenta publica, literæque in antiquo Eſtenſis domus tabulario ſervantur binæ, quibus in feudum conceſſa *Jacobo* legitur Rhodiginæ terræ magna portio. Ejus conſilio uſus eſt Dux iſte in negotiis reipublicæ graviſſimis, &, ſi quid penes exteros gerendum eſſet pro commodis patriæ, id præ ceteris demandatum curæ & ſolertiæ *Jacobi* fuit. Cujus rei veſtigia in Annalibus hiſce Lectori haud pauca obvenient. Perpulchram huic Tomo coronidem imponunt *Monumenta hiſtorica de Rebus Florentinorum, Autore Gino Capponio, ab A. 1378 usque ad A. 1419, cum continuatione Nerii, illius filii, usque ad A. 1416.* Siſtunt nobis hæc Monumenta Commentarios aliquot de rebus Florentinorum eruditos, conditos olim a *Gino* & *Nerio*, *Capponiis*, patre & filio, civibus Reipublicæ Florentinæ nobiliſſimis.

mis. Et *Gini* quidem huc pertinet Seditio Ciomporum, quæ A. 1378 res Florentinas maximopere afflixit, nec non Hiſtoria Belli Piſani, quo Piſæ ſubjectæ ſunt Florentinis; denique Documenta aliquot publica ac domeſtica, quæ ipſe filiis ſuis, & in his maxime *Nerio*, tanquam hæreditatis partem, reliquit. Quorum etſi ea ſit ſingulorum ſcribendi ratio, ut parum excultum literis Autorem teſtentur, & ad naturam magis, quam artem, videantur compoſita; cuivis tamen legenti facile apparet, ſummi non defuiſſe *Capponio* ingenium, cumque rebus, quas commemorat, ipſe præſens interfuerit, non infeliciter ei ceſſiſſe Hiſtorici, quam ceperat, provinciam. Majorem autem, quod manifeſtum eſt, orationis vim & ingenii culturam præ ſe ferunt ſcripta *Nerii*, quorum bina extant, Commentarii nempe de rebus in Italia geſtis ab A. 1419 ad A. 1456, & de Expulſione Comitis Poppii, ejusque ditione Florentini populi imperio adjecta. De *Capponiorum* his monumentis poſteritati relictis, ſermone conditis Italico, cum non recte adeo conſtaret ſcriptoribus Florentinis, errores, ubi eorum fecere mentionem, commiſere ſat graves, diligenter notatos a Cel. *Muratorio* in Præfatione, his libellis præmiſſa. Is, copiam nactus vetuſtioris &, ut videtur, autographi Codicis, ſingula hæc continentis, quem ſervat Romæ Marchio *Alexander Capponius*, literarum Vir amantiſſimus, conferendum hunc cum aliis, magno numero in Florentina terra obviis, dedit *Antonio Mariæ Biſciono*, J. U. Doctori, & Laurentianæ Bibliothecæ in urbe Florentina Præfecto, magnæ induſtriæ & eruditionis Viro, cujus factum eſt opera ſtudioque liberali, ut hiſtoriæ Florentinæ partem hic inſignem, Lector, eamque integram & incorruptam, legas. Fuiſſe hos libellos jam olim in magno pretio, vel illud eſſe documento poteſt, quod, qui ſimilem de Bello Piſano Commentarium reliquit, *Bernardus Oricellarius*, ex his multa ſibi, fatetur, hauſta feliciter, quæ in ſcriptoribus vel præſtantiſſimis quæſita ipſi fruſtra fuerant. Supereſt, ut, quæ fuerint nobiliſſimi hujus *Capponiorum* paris in Remp. Florentinam merita, explicemus breviter. De ipſa *Capponiorum* gente, non eſt, quod commemoremus multa, utpote cujus di-



Digitized by Google

gnitatem ab antiquiſſimis temporibus fuiſſe inter Florentinos ſummam, ſcriptores Itali uno ore fatentur omnes. Quod ad nomen *Gini* & *Nerii*, favemus conjecturæ *Muratorii*, qui ortum illud ex *Arrigino*, (forte etiam, quod addimus, ex *Ambrogino*, gentilitio *Angeli Politiani* nomine, quod huic ipſi poſtea converſum in *Cinum* conſtat,) hoc ex *Rainerio* putat, non inuſitata Italis converſione & transmutatione nominum. Magnam *Gini* in agendis rebus prudentiam dexteritatemque fuiſſe, ſumma, quæ geſſit in urbe Florentina, munera loquuntur. Anno enim 1401 ad *Vexilliferatum Populi Florentini* evectus, Piſanos cives verbis ac pollicitationibus ſub poteſtatem Florentinorum redegit, poſt, ubi armis ſe in libertatem vindicare conabantur, bello ac vi ſub imperio continuit, Piſisque, A. 1406 expugnatis fortiter, ipſe imperavit Reip. Florentinæ nomine. Et memoratu dignum eſt, quod illa ætate Codex ille Pandectarum nobiliſſimus, Piſanus olim, nunc Florentinus, Piſis transmigravit Florentiam, ejus rei gloriam uni tribuendam *Gino* eſſe. Ex hac vita exceſſit A. 1420, morsque ejus luctuoſiſſima civibus Florentinis fuit. Non inferiorem ei, ſed quodammodo ſuperiorem etiam, virtute animi ingeniique præſtantia fuiſſe filium, *Nerium*, ex ipſis his, quos ſcripſit, Commentariis apparet. Habes enim hic expreſſam conſtantiæ & generoſæ indolis, cujus manifeſta in gerendis rebus publicis documenta dedit, expreſſam imaginem, ſuntque ea omnia, quæ de ſe ipſo refert, a vulgi ingenio longe remotiſſima. *Vitam ejus*, memorabilem admodum, & præclaris factis conſpicuam, diligenter expoſitam olim a *Bartholomæo Platina*, propediem expectare nos jubet *Muratorius*. Scire interim ſatis ſit, in *Priorum* ordinem Florentiæ adſcitum A. 1422, poſt A. 1436 ſupremo Florentini populi Vexilliferatu donatum, frequentiſſimas ad Venetos Principesque ſummos legationes obiiſſe. Vita defunctus eſt A. 1457, & ad ſeptuagenarii ætatem, ſi primus vitæ annus ei, quod colligere licet, fuit 1388, proxime acceſſit. Condita ſunt oſſa viri magni Florentiæ in tumulo marmoreo, quem hodieque cum effigie ejus conſpici in æde S. Spiri-

Digitized by Google

Spiritus, teſtis eſt *Muratorius.* Tumulo patris filius *Ginus* verba ſuperaddidit:

D. S.
NERIO CAPPONIO GINI FILIO
CIVI PRAECLARO AC DE R. P. FLO.
DOMI FORISQVE OPTIME MERITO
GINUS PATRI PIENT.
PONI PROCURAVIT.
VIX. ANN. LXVIIII. MEN. III. D. XXI.

## *NICOLAI HOLTII, V. D. M. APOPHORETA ſacra, ſive Diſſertationum Theologicarum varii argumenti Faſciculus.*

Lugd. Batavorum, apud Iſaacum Severinum, 1732, 8.
Plag. 17.

QUem jam recenſere inſtituimus libellum, idem & Præfatione deſtituitur, nec, quid ſibi velit titulus, *Apophoreta ſacra*, ullibi explicaſſe legitur, ita, ut in ſuſpicionem veniamus, aut ipſum Opus, aut operas nimis eſſe præcipitatas. Sed utcunque iſta ſe habeant, Dedicationem ſtatim excipit Syllabus Diſſertationum, ex quo intelligitur, quinque hoc Faſciculo exhiberi Diſſertationes, quarum I inſcribitur *Machpelah & Hakeldama, ſive de Privilegiis ſepulturæ in terra Cananæa*; II *Eccleſia Chriſtus, ſive de ſubjecto Pſalmi octavi*; III *Remuneratio Apoſtolica, ſive in Zachariæ caput undecimum obſervationes*; IV *fons vitæ, ſive filiatio Chriſti naturalis tradita in loco Joan. VI, 57*; V *unctio propria & metonymica, ſive de nomine Chriſtus.* Nos, pro inſtituti ratione, quoad poterimus, quam breviſſime præcipua ab Autore in medium prolata tanquam in tabula exhibebimus, quo ipſi poſſint Lectores de præſtantia Operis hoc melius judicare. In prima igitur Diſſertatione ut demonſtret, ſepulturam in terra Cananæa non levis privilegii habitam fuiſſe, provocat ad exempla *Jacobi* & *Joſephi*, qui, licet in Ægypto, terra peregrina, mortui eſſent, poſt mortem tamen oſſa ſua in terram Cananæam præceperint p. 21

poſteris transferenda. Factum id exiſtimat ex fide, ut teſta-
p. 3. rentur, Jehovah etiam poſt fata fore Deum ſuum; quam in rem
*Ebr. XI, 12*, adducit, minus tamen, ſi locus inſpiciatur ipſe, ac-
curate. Copioſius oblata occaſione agit de loco *Matthæi*
12 ſeqq. *XXVII, 7*, & multis contra *Grotium* diſputat, nomen *ξένος* non
de religione Judæis ſeu proſelytis, ſed de gentilibus, interpre-
tatus. Ubi tamen non facile quidquam reperitur dictum,
quod non jam ab aliis, ſi non copioſius, elegantius certe, di-
21. ctum fuerit. Denique ad locum *Deuteron. XX, 22, 23*, delatus,
ideo exiſtimat a Deo præceptum, ut ſuſpenſus eodem die ſe-
peliretur, quo oſtenderet, maximis etiam peccatoribus, dum-
modo reſipiſcant, eodem ſupplicii die introitum in Paradiſum
patere, licet ipſe diffiteri nequeat, aliam ab ipſo Deo additam
eſſe rationem, quo in loco ſimul haud obſcure prodit, ſe ali-
quando monſtraturum plenius, quod omnia ſtatuta Dei in V.
T. rerum futurarum picturas contineant. In Diſſertatione ſe-
cunda, quæ agit de ſubjecto *Pſalmi VIII*, etiam fatetur ipſe, ſe
45. poſt Homerum Iliada ſcribere viſum iri plerisque, ſperat ta-
men, ſe aliquid forſitan prolaturum, quod planiorem reddat
hujus odes propheticæ intellectum. Itaque, relicta illorum ſen-
tentia, qui hunc Pſalmum de Chriſto, capite Eccleſiæ, agere
contendunt, ad eorum caſtra tranſit, quibus fit probabile cor-
pus Chriſti myſticum, ſeu Eccleſiam, hic celebrari. Cumque
*Paulus* & per eum ipſe Spiritus ſanctus eum exponat non de
49 ſeq. Eccleſia, ſed de ipſo Chriſto, homine facto *Ebr. II, 9*, variis ar-
gumentis evincere laborat, Apoſtolum ſententiæ ſuæ non re-
fragari, ſed maximum pondus addere. Quare ſtatuit, Apoſtoli
ſcopum d. l. nullum eſſe alium, niſi monſtrare præſtantiam
ſalutis & gloriæ, Chriſti miniſterio Eccleſiæ annuntiatæ atque
50. oblatæ, per comparationem ejus cum Angelorum gloria. Nam,
quemadmodum Cap. I adſtruxiſſet perſonæ Chriſti ſuperemi-
nentiam ex eo, quod ipſi dictum erat, quod nulli Angelorum,
ita Cap. II Eccleſiæ felicitatem & excellentiam demonſtrat in-
de, quod eidem competat tale quid, quod ne Angelis quidem
conceſſerit Deus, quibus non ſubjecerit *τὴν οἰκουμένην τὴν μέλ-
λουσαν*, quam tamen ſubjecit Eccleſiæ. At, quo minus *Cap. II*
*Ebr.*

Digitized by Google

*Ebr.* de Eccleſia poſſit accipi, varia obſtant prædicata, quæ ſoli Chriſto conveniunt. E. g. quod pro omnibus guſtaverit mortem, quod ſit *ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας*, quod per mortem mortis robur habentem diabolum aboleverit, cetera. Invita igitur, ſi quid videmus, Minerva reliqua, quæ de Pſalmo hoc profert Autor, ſiunt omnia. Quapropter ad tertiam Diſſertationem de Remuneratione Apoſtolica ad *Zachar. XI* progredimur. Difficillimam ſemper viſam eſſe interpretibus conciliationem *Zachariæ* & *Matthæi*, qui *Cap. XXVII, 9, 10,* Prophetæ dictum Caput ad Chriſtum applicavit, inter omnes conſtat.
Harum difficultatum compendium facturus Cl. Autor hanc Pro- p. 66.
phetiam habet pro viſione, & ad eam refert ſpeciem prophetiarum, quæ fiebat olim per facta ſymbolica, quorum cum alia *vere geſta ſint* per Prophetas, alia vero *geri a ſe viſa tantum* in mente Vatum, vaticinium *Zachariæ* poſteriori generi annumerat, illudque tantum in Prophetæ phantaſia peractum
eſſe ſtatuit. His ita poſitis, ſubjectum in allegato Capite ait 69.
eſſe ipſum Prophetam Zachariam, non ipſum Dei Filium, Chri- 72.
ſtum, quod verba commat. 15 de ſtulto Paſtore nullo modo ad Chriſtum applicari ſenſu commodo queant, & quod mandatum
Domini, ſimpliciter conſideratum, nos ad alium quempiam 73.
præter Zachariam non ducat. Quocirca in hac prophetia re-
præſentari cenſet tempora a morte Chriſti usque ad excidium 76.
Judæorum per Romanos. Quoniam vero Propheta duplicem
ſuſtinet perſonam, nimirum *paſtoris ſeduli & inepti*, per illum 77.
intelligit Apoſtolos aliosque Chriſti diſcipulos, per hunc autem doctores Judæos. Maximum, quod huic ſententiæ obſtat, dubium cum in eo ſit poſitum, quod *Matthæus* hoc ipſum Caput *Zachariæ* de Chriſto, triginta argenteis æſtimato, interpretatur, illud Cl. Autor paullo copioſius ſibi diluendum ſumſit. Liceat nobis, ſine ullo tamen carpendi ſtudio, ex veritatis amore ad ea quædam monere argumenta, quibus uſus eſt, quoniam
nobis omni exceptione majora vix ſunt viſa. Primum petitum 80.
eſt ab eo, quod, cum *Zacharias* dicto Capite ubique adhibuerit de rebus futuris tanquam præſentibus *verba formæ futuræ*, in priore parte *verſ. 13*, ubi de æſtimatione Jehovah agitur, uſus

 eſt

Digitized by Google

eſt *verbo forma præterita.* Hinc conjicit, æſtimationem filii, qui eſt Jehovah, antecedentem non modo tempore diſtingui a ſequenti remuneratione miniſtri ejus, ſed etiam illam præteritam allegari, tanquam hujus poſtea futuræ exemplum. At, falſum eſſe hoc Viri Cl. aſſertum, vel ex *verſ. 2*, ubi duplex occurrit præteritum בחל & ירד, intelligitur. Alterum argumentum eo redit, quod *triginta argentei* Prophetæ *merces* dicuntur conſtanter, at Domini *pretium Matthæo* etiam, qui *mercedis* Chriſti non meminit, ſed *pretii & æſtimationis* ejus. Concidet illud non minus, quam primum, ſi dicamus, *Matthæum* ſenſum potius, quod in allegationibus frequenter fieri ſolet, quam verborum habitum, reſpexiſſe. Deinde iterum falſum eſt, quod Vir Cl. affirmat. Nam quid *verſ. 13* יקר aliud notat, niſi *pretium?* Tertium nullius plane momenti eſſe per ſe patet, quod hac ratione, ſi diverſum quid eſſe mercedem miniſtri & pretium Domini exiſtimamus, ſuperſedere tropo Ironiæ queamus, & verba, אדר היקר interpretari, *celebre, celebratum pretium;* ſatius enim eſt, tropum admittere, quam ab interpreta-
p. 82. tione ab ipſo Spiritu S. data diſcedere. Quartum denique in eo conſiſtit, quod, cum Propheta expreſſe diſtinguatur a Jehovah *verſ. 12, 13*, oporteat vel Prophetam *verſ. 12* gerere perſonam proditoris Judæ, vel mercedem ejus diverſum numero eſſe aliquid ab eo, quod dicitur *pretium æſtimationis Domini.* Poſterius verum & prius falſum eſſe cenſet, quia nihil in tota Judæ occurrat hiſtoria, quod ſeduli Vatis actionibus textualibus reſpondeat. At reſpondet tamen illud, quod Judas triginta argenteos, quos in noſtro loco legimus, acceperit, ut proderet Servatorem. Itaque omnino in illius hiſtoria occurrit aliquid, quod Vatis actionibus textualibus reſpondet. Nec melius reliqua, quæ ſententiam Autoris non admittunt, argumenta refutata nobis eſſe
98. videntur. Interim ex ejus ſententia *triginta argentei* dicuntur *merces Apoſtolorum*, cum fuerint *pretium Domini.* Quia non *perſonarum odio*, ut in cauſa Chriſti, ſed *odio laboris Apoſtolorum*, prædicantium Evangelium Chriſti parabantur, projectique ad figulum, tum in memoriam crudelitatis Judaicæ, tum
99. maxime in *ſalutem gentium* & introductionem eorum in ſpem beati-

beatitatis, perinde ac ſui capitis pretio ipſis jus ſepulturæ in Canaan emtum fuerat. Parum vero ſibi conſtare ipſe videtur Autor, dum, poſtquam in tota Diſſertatione eo omnes nervos intenderat, ut monſtraret, Zachariam non Chriſti, ſed Apoſtolorum, egiſſe perſonam, in calce Diſſertationis diſertis verbis *partem aliquam vaticinii Zachariani ad literam pertinere ad* p. 110.
*Chriſtum ipſum* affirmat. Denique cui perſuadebit, *Zachariam* in *Capite XI* typum eſſe Chriſti & Apoſtolorum ſimul & Chriſtum iterum eſſe typum Apoſtolorum, niſi docuerit, qui fieri poſſit, ut Chriſtus una ſit & antitypus & typus. Non immerito 106.
proinde dubitavit ipſe, quin in his omnibus quædam minus placitura ſint, atque contortiora viſa fuerint. Quarta Diſſertatio, quæ inſcribitur: *Fons vitæ ſive filiatio Chriſti naturalis, ad Joan. VI, 57*, omnis eſt contra celeberrimum etiam poſt fata Virum *F. A. Lampium* ſcripta, qua ejus ſententia de hoc *Joannis* loco in Commentario eruditiſſimo tradita tanquam orthodoxæ doctrinæ adverſa, & Socinianis favens admodum, & examinatur paullo fuſius & refutatur. Feciſſe id Cel. *Lampe* Auto- 112.
ri videtur ad exemplum Cel. *Roellii*, qui ipſi in edito in Epiſtolam Paulinam Commentario nuper præiverit. Primum igitur recenſet diſſenſum interpretum circa *orationis ſtructuram* in 114.
hoc loco, deinde circa vitam, quam vivere ſe prædicat Jeſus, 116.
denique circa *ſignificatum præpoſitionis* διὰ. Porro probat, 118.
ſummum ſemper fuiſſe orthodoxorum conſenſum, quod ad 119.
cauſam principalem attinet, id eſt, *vitam*, quam *vivere ſe per Patrem* dixit Jeſus, illudque poſuiſſe non in *attributo quodam aliunde* in perſonam Chriſti collato, ſed illam radicatam voluiſſe in æterno illo vitæ fonte, ſcilicet natura Mediatoris divina, quam ſibi communicatam a Patre tenebat. Expoſita vero Cel. *Lampe* ſententia, & ejus cum Socinianis conſenſu in- 131.
dicato, nimis quidem graviter eum inſimulat oſcitantiæ & ignorantiæ, refellit tamen ſeptem argumentis nequaquam ſpernendis, quæ hic copioſius recenſere noſtri non eſt inſtituti, cum ſit ad quintam eamque ultimam Diſſertationem *de unctione propria & metonymica, ſive de nomine Chriſtus*, pergendum. Occaſionem Autori hac de re diſſerendi præbuit locus *Joan.* 180.
*XX, 31*,

XX, *31*, in quibus verbis ſcopus latet totius Evangelii ab *Joan-*
p. 181. *ne* conſcripti. Duplicem fuiſſe in V. T. inauguralem unctio-
nem, aliam perſonarum, rerum aliam, probat, Regesque non
omnes, nec eos tantum inter Iſraelitas unctos eſſe exiſtimat,
187. qui ſine ſucceſſionis ordine & per vim & arma imperium con-
ſecuti erant, ſed tunc demum unctionem inauguralem locum
habuiſſe, quando perſona quædam vel familia expreſſa Dei de-
claratione ad aliquod munus Eccleſiaſticum vel politicum in
gente ſancta gerendum vocata fuerit, nequaquam vero quan-
da ſola ordinatione humana cuiquam ſanctiſſima munera ob-
tigerint. Plurimis hanc ſuam opinionem cum exemplis Re-
gum unctorum, tum Pontificum maximorum, ſtabilire quæſi-
vit, nullum horum ſine expreſſa Dei declaratione unctum fuiſ-
ſe arbitratus. Et, licet concedat, omnibus omnino Pontifici-
bus maximis unctionem fuiſſe neceſſariam, tamen etiam af-
fuiſſe vocationem Dei expreſſam omnibus idem contendit.
210. Ad unctionem metonymicam inprimis refert nomen Chriſtus,
212. quod unctionem Servatoris ad munus triplex indicat. Hinc
213. negat, Jeſum vel natalium jure regnum Iſraelis tenuiſſe, vel do-
ctoratum aut pontificatum geſſiſſe ex vocatione humana Ec-
247. cleſiæ Judaicæ. Denique iterum in Cel. *Lampii* Commenta-
rium in *Joannem* inſurgit, cumque Evangelii a *Joanne* con-
251. ſcripti analyſin cenſet minus accurate confeciſſe, nec levi
ſcandalo anſam dediſſe queritur. Quare ipſe aliam exhibet
255 ſq. totius Evangelii diſpoſitionem, quæ an Cel. *Lampii analyſi pal-*
*mam* præripiat, aliis dijudicandum relinquimus. Ceterum,
quemadmodum nihil fere aut parum certe in hoc Faſciculo
obſervavimus, quod ab aliis nondum fuerit dictum, ita optan-
dum eſſet, ut majore eſſet ſtili elegantia conſcriptus, cum in
eo ſæpius ſit peccatum in prima Grammatices præcepta.
Denique illud Lectores noſtros ignorare nolumus, Autori,
cum variis, quæ hoc libello continentur, opinionibus, a ſaniore
doctrina quodammodo alienis, famam ſuam in diſcrimen ad-
ductam intelligeret, implorandum fuiſſe Ordinem Theologo-
rum, qui Lugduni eſt, ut literis publicis, teſtimonii loco futuris,
ſuam de his omnibus ſententiam exponeret. Earum ut ratio-
nem,

Digitized by Google

nem, Lector, intelligas, decerpſiſſe inde vel prima verba ſuffecerit: *Profeſſores, qui in Univerſitate Hollandica Facultatem ſuſtinent Theologicam, legerunt, quantum per otia licuit, Viri venerandi,* Nicolai Holtii, *Eccleſiæ Kondek. Paſtoris vigilantiſſimi, eruditiſſimum librum, (Apophoreta ſacra, ſive Diſſertationum Theologicarum varii generis Faſciculus,) in quo offenderunt paradoxa quædam, quæ tamen ab heterodoxia aliena ſunt: & multas præterea ſingulares variorum Scripturæ locorum interpretationes, in quibus itidem nihil animadverterunt, quod formulis doctrinæ & canonibus, qui noſtris in Eccleſiis recepti ſunt, adverſatur. Quod autem Vir Vener. Filio Dei ex loco* Joh. VI, 57, *contra Cl.* Lampii *interpretationem aſſeruerit divinam ac naturalem generationem, laudant, & probant prædicti Profeſſores: ſed Virum eruditiſſimum inde arripuiſſe occaſionem, per meras conſequentias ex verbis Cel.* Lampii *extorquendi ſuſpicionem, ac ſi Clar.* Lampius *de æterna Filii Dei præexiſtentia, de ſacerdotio, de ſatisfactione, de merito, & de juſtitia Chriſti electis imputanda &c. non longe a Socinianorum de his Articulis blaſphema atque in Deum injurioſa opinione abeſſet, id neutiquam laudare poſſumus &c.*

## *PETRI ZORNII, HAMBURGENSIS, IN illuſtri Gymnaſio Carolino Hiſtoriæ ſacræ, Eloquentiæ, & Græcæ Ling. Prof. Regii, Opuſcula ſacra, hoc eſt, Diſſertationum, Schediasmatum, Orationum, Programmatum & Epiſtolarum, in quibus difficillimi quique S. Scripturæ loci ex Antiquitatibus ſacris & profanis illuſtrantur,*

## *Tomus II.*

Altonaviæ, apud Jonam Korte, &
Amſtelodami, apud Iſaac. Tyrion, 1731, 8.
Alph. 2 pl. 5.

EXhibemus hic orbi erudito alterum Tomum Opuſculorum ſacrorum, quorum jam primum in *Supplem. Actor. Tom. X p.* 77 recenſuimus. Fatendum nobis eſt,

 hanc

hanc quoque collectionem magna eſſe induſtria elaboratam, eoque nomine dignam, quæ locum ſibi noſtris in Actis vindicet. Ipſæ Commentationum inſcriptiones, quas dabimus, indicio erunt, variam doctrinam iſta ornare
p. 1–37. Opuſcula. Continet igitur hic Tomus *Diſſ.* de veterum Ebræorum Pervigiliis ſacris, eisque ſtatis & ſolennibus, *Or.* de Salutis
38–47. augurio apud Romanos, *Diſſ.* de *Paulo σπενδομένῳ*, ad illuſtrati-
48–57. onem Epiſt. ad *Philipp. II, 17* & *2 Tim. IV, 6*, *Diſſ.* de καλῷ Βαθ-
57–61. μῷ, ad *1 Tim. III, 13*, *Diſſ.* adverſus Deiſtas Anglos, qui Chri-
62–73. ſtum pro Eſſeno habent, *Diſſ.* de Ænone prope ſalim, ad *Jo. III,*
74–94. *23*, *Diſſ.* de Roma Septicolli in Nummis, ad *Apoc. XVII, 9*, *Jaco-*
95–102. *bo Sponio* oppoſitam, *Diſſ.* de Torrente Cedron, veraque me-
103–11. liorum Codicum lectione *Jo. XVIII, 1*, Antiquitates Deipnoſo-
112–125. phiſticas Chriſti Servatoris noſtri, *Diſſ.* de Ecnephiis, Typhonibus & Preſteribus Auſtrinis Arabiam deſertam irruentibus &
126–147. infeſtantibus, ad *Job. I, 16, 19, II, 7* &c. *Diſſ.* de Chriſti Servato-
147–174. ris παννυχισμοῖς ſive Pervigiliis & noctibus ſacris, *Diſſ.* de Cognitione & contemplatione Chriſti in Novo Fœdere ſuperva-
174–183. canea & nullum uſum habente, ad *2 Cor. V, 16*, *Diſſ.* de Sirenibus
184–187. earumque memoria in LXX Interpretum verſione, *Diſſ.* de ſepulchris Prophetarum extructis multumque ornatis, ad *Matth.*
188–192. *XXIII, 29, 30*, & *Luc. XI, 47, 48*, *Diſſ.* de Chriſti extra portam
193–197. ſupplicio, ad *Ebr. XIII, 12*, *Diſſ.* de Miniſtris Evangelico-Lutheranis ad altare cantillantibus, ejusque ritus in prima Eccleſia
198–204. origine & uſu, *Diſſ.* Epiſtol. de veterum Chriſtianorum *ſolenni* εὐφημισμῷ, cum mortuos ſuos ante omnia beatos appellarent,
205–219. *Diſſ.* de vera Lucorum origine, *Or.* de Chriſto Jeſu Apoſtolo
220–221. & Pontifice Maximo Confeſſionis noſtræ, in Memoriam Augu-
222–271. ſtanæ Confeſſionis habitam, *Diſſ.* de divino ſerpentum cultu
272–285. ejusque origine apud veteres Romanos & Græcos, Vindicias Vaticinii apud *Zephan. III, 8*, adverſus *P. D. Huetii* παρερμηνεί-
286–289. αν, *Diſſ.* de eo, quod extraordinarium fuit in Pontifice M. die expiationis orientem verſus ſanguinem tauri hircique ante
290–299. propitiatorium ſpargente ex *Lev. XVI, 14, 15*, *Diſſ.* de crebra Chriſti commoratione in monte Oliveti, ejusque cauſis & my-
300–306. ſteriis, *Diſſ.* de τυμπανισμῷ, ad *Ebr. XI, 35*, *Diſſ.* de B. Maria Vir-

Virgine, apud crucem filii ſui adſtante, ex *Jo. XIX, 24, Lib. ſin-* p. 307–315.
*gularem* de Hiſtoria & Antiquitatibus urbis quondam in Ægy- 316–322.
pto ſuperiori celeberrimæ נוא־אמון ſeu המון־נוא ſive נוא,
id eſt, Thebarum ſive Διοσπόλεως majoris, ad *Jer. XLVI, 25,* 322–419.
*Ezech. XXX, 15, Nah. III. 8, 9, 10, Diſſ.* de S. *Paulo Petrum* Hie- 420–450.
roſolymis inviſente, ad *Gal. I, 18, Diſſ.* de hortis Opobalſami 450–480.
Engadenſibus in vinearum morem excultis, ad *Cantic. I, 14,* 481–504.
*Diſquiſit. Anti-Baron.* An ex eo, quod Auguſtus & Tiberius
Domini nomen exhorruerunt, Chriſti Deitas probetur & de- 504–529.
fendatur? *Diſſ.* de eleganti χαριεντισμῷ S. *Pauli* in voce σκύ- 530–536.
βαλα, ad *Phil. III, 8, Diſſ.* de Reliquiis Chriſti Servatoris in 536–551.
horto Gethſemane, *Diſſ.* de animabus necatorum ſub ara viſis,
ad *Apoc. VI, 19, Progr.* de Chriſti Medici noſtri, hoc eſt, Medici 552–608.
ocularii, collyriis, halatiis, & Acoliis thavmaturgicis, ad *Jo. IX,*
*6,* & *Apoc. III, 18, Diſſ.* de Novi anni auſpiciis, quæ Judæi gen-
tium ritu in honorem Gad & Meni, hoc eſt, Solis & Lunæ ce- 609–656.
lebrarunt, ad *Eſ. LXV, 11, Diſſ.* de Notariorum in prima Eccleſia 657–687.
uſu ſingulari & origine, quod ad Acta Martyrum & Sanctorum 687–698.
conſignata attinet; *Diſſ.* de Diptychorum origine in prima Ec- 699–704.
cleſia; *Diſſ. Anti-Baron.* de Prætorio Romæ in eoque *Pauli* 704–714.
vinculis patefactis, ad *Phil. I, 13, Diſſ.* de συζύγῳ γνησίῳ ſive 714–719.
Collega *Pauli* conjunctiſſimo, ad *Phil. IV, 3, Diſſ.* de Gemmis
Pantheis Serapidis adverſus *P. D. Huetium*, *Diſſ.* Hiſtor. de Na-
talitiis Cathedræ S. *Petri* adverſus Cæſarem Baronium. Agitur
hic Cap. I de Cathedra Romana, Cap. II de Cathedra Antioche- 719–759.
na, Cap. III de Natalitiis Cathedræ utriusque, *Diſſ.* de Veſtibus 759–763.
literatis veterum, *Diſſ. Anti-Baron.* de Interpretum in prima 763–78[illegible].
Eccleſia origine & uſu.

His omnibus cum cura explanatis, ſelectisque obſervationibus adjectis, quædam addenda & ſupplenda, una cum Locorum Scripturæ illuſtratorum Indice, finem Opuſculis imponunt. Nos, uti non dubitamus, quin ea τοῖς θελομένοις, id quod in Præfatione Autor optat clariſſimus, in lucem edita ſint, ita de *Tomo tertio*, quem propediem curabit, eidem gratulamur.

*PSYCHOLOGIA EMPIRICA METHODO*

*ſcientifica pertractata, qua ea, quæ de Anima humana indubia experientiæ fide conſtant, continentur, & ad ſolidam univerſæ Philoſophiæ practicæ ac Theologiæ naturalis tractationem via ſternitur. Autore CHRISTIANO WOLFIO, Academiæ Marburgenſis p. t. Pro-Rectore.*

Francofurti & Lipſiæ, in officina libraria Rengeriana, 1732, 4. Alph. 4 pl. 2.

ETſi Cel. Autor in hoc Opere non niſi ea tradat, quæ de anima obſervantur; hoc tamen non obſtante, ſingula ea methodo digeſſit, ut ſequentia ex antecedentibus continuo ratiocinii filo deducantur. Explicat vero diſtincte ſingulas animæ facultates, earumque notiones ex iis eruit, quæ in nobismetipſis obſervamus, ſolicite autem partem ſuperiorem animæ ab inferiori diſtinguit, propterea quod hujus diſtinctionis multus in praxi uſus eſt. Sunt duæ animæ facultates principes, altera nempe percipiendi, altera appetendi. Atque ita Opus in duas Partes dividit, quarum prior de facultate percipiendi, altera de facultate appetendi agit. Utriusque facultatis datur pars inferior atque ſuperior. Illius pars inferior eſt facultas res confuſe ac obſcure percipiendi; pars vero ſuperior res percipiendi diſtincte. Ad illam referuntur ſenſus & imaginatio cum memoria ac reminiſcentia & facultate fingendi: ad hanc intellectus pertinet. Dantur vero in anima diſpoſitiones naturales, quæ ex utroque reſultant, & exercitio ad habitum evehuntur: quorſum ſpectant ſoliditas, ars inveniendi, ingenium, ratio. Noſter igitur, præmiſſis generalibus de exiſtentia animæ humanæ ac modo eam cognoſcendi, explicataque perceptionum differentia formali, vi cujus in claras & obſcuras ac illæ denuo in confuſas & diſtinctas abeunt, primum de ſenſu ac imaginatione, facultate item fingendi, memoria, oblivione & reminiſcentia, deinde de intellectu & ejus operationibus, tandemque de diſpoſitionibus naturalibus & habitibus intellectus, agit. A facultate inferiori ad ſuperiorem non

Digitized by Google

non ſit per ſaltum tranſitus, ſed per gradus intermedios. Quamobrem Noſter de attentione & reflexione ante agit, quam ad intellectum progreditur. Ita autem in his explicandis verſatur, ut non modo ſingulas facultates accuratis definitionibus explicet, verum etiam earundem leges exponat, quas in earum uſu obſervari neceſſe eſt, & de ſingulis notanda ad propoſitiones determinatas reducat, ut prodeant principia fœcunda, unde fructus in Theologia naturali & Philoſophia inprimis morali naſcentur eximii. Paſſim traduntur, quæ a facultatibus iſtis pendent, notatu digna. Ita, ubi de imaginatione agitur, accurata de ſomniis theoria traditur, per quam ea in caſibus particularibus explicari poſſunt. Ubi facultatem fingendi contemplatur, artem communem inveniendi artificum exponit, qua phantasmata nova ex aliorum diviſione ac compoſitione producuntur, & hieroglyphicorum theoriam condit. Ubi memoriam declarat, de arte quoque mnemonica diſſerit. Ubi attentionem & reflexionem explanat, gradus attentionis multiplices ad notiones diſtinctas revocat. Ubi de intellectu in genere agit, cognitionis quoque intuitivæ ac ſymbolicæ differentiam exponit, & artis characteriſticæ, ſpecioſæ generalis, calculi generalis, linguæ univerſalis ac philoſophicæ, notiones evolvit. Ubi operationes intellectus expendit, acumen quoque & profunditatem intellectus explicat, atque differentiam illarum in cognitione intuitiva ac ſymbolica hactenus non ſatis animadverſam tradit: inprimis autem docet, quomodo ſtatus præſens imprægnetur per præteritum, ut inde naſcatur futurus. A percipiendo ad appetitum anima quoque non progreditur per ſaltum, ſed per gradus intermedios. Ex ea enim vel voluptatem percipit, vel tædium, ac inde excitatur ad ferendum de ipſa judicium, utrum bona ſit, an mala. Ex hoc tandem judicio enaſcitur appetitio, vel averſio. Utraque vel ſenſitiva eſt, ſi ex confuſa perceptione ortum trahit, vel rationalis, ſi ex diſtincta originem ſuam deducit. Appetitio & averſio ſenſitiva vehementior in affectus degenerat, pro diverſa objecti tanquam boni vel tanquam mali repræſentatione variantes. Noſter igitur, theoria voluptatis atque tædii abſoluta,



Digitized by Google

ad notiones boni atque mali evolvendas digreditur. Quo facto, de appetitu ſenſitivo & averſione ſenſitiva agit, & omnem affectuum tam in genere, quam in ſpecie, theoriam tradit, quam praxi conſentientem a poſteriori confirmat, etſi ex notionibus a priori deductam. Ampliſſima hac theoria abſoluta, appetitum rationalem, quem voluntatem appellat, una cum averſatione rationali, quam noluntatem vocat, delineat quam accuratiſſime, cum a natura voluntatis ac noluntatis inprimis pendeat praxis moralis. Integro deinde Capite explicat libertatem, tandemque commercium inter mentem & corpus repræſentat, quale a poſteriori cognitum in Theologia, Jurisprudentia, Medicina & Philoſophia practica, ſufficit. Ceterum in toto hoc Opere non continentur niſi definitiones & propoſitiones determinatæ ad ratiocinandum aptæ, quemadmodum in anterioribus, ut ſingulæ ſint totidem principia de iis, quæ ad animam ejusque inprimis operationes ſpectant, diſtincte ratiocinandi. Ita autem probantur propoſitiones, ut ex iis, quæ de ſubjecto ſumuntur, concatenatis ratiociniis deducatur prædicatum, non admiſſis principiis, niſi quæ vel in Operibus anterioribus, vel in anteriori Operis hujus parte fuere evicta, &, ubi a poſteriori confirmantur, clariſſime oſtenditur, quod in eo caſu ex iis, quæ de ſubjecto ſumuntur, conſequatur prædicatum: neque enim vulgo probationes a poſteriori ſunt diſtinctæ, cum nuda exemplorum allegatione abſolvantur. In Præfatione autem monet Autor, quod provido conſilio Pſychologiam empiricam a rationali ſejunxerit. Habere nimirum eandem uſum ampliſſimum in recta actionum liberarum directione, quatenus per leges, quas ſequuntur facultates animæ, eædem arbitrio noſtro ſubjiciuntur, harumque uſu actiones liberæ eo dirigantur, quo tendere debent: id quod in Ethica ſe oſtenſurum promittit. Habere eandem uſum hactenus prorſus non animadverſum in ipſa notione juris & obligationis naturalis inveſtiganda & evolvenda, quem ſe in Philoſophia practica univerſali edocturum promittit. Habere eandem uſum in ipſo Jure naturali, quatenus inprimis officiis erga ſe ipſum rite determinandis inſervit: prouti ſe demonſtraturum

turum in corpore Juris naturalis, quale locupletiſſimum daturus ſit, promittit. Habere eandem uſum in parte Philoſophiæ moralis ſemiotica, quæ ars conjectandi hominum mores dici ſueverit: quem ſe declaraturum in Philoſophia practica univerſali & Philoſophia morali promittit. Habere eandem uſum in Philoſophia civili non modo mediatum, quatenus hujus doctrinæ ex Juris naturalis atque Philoſophiæ moralis principiis demonſtrantur, verum etiam quatenus absque illius ope cura Principis circa animam ſubditorum aliaque capita explicari nequeunt, prouti ſe in Politica fidem oculatam facturum promittit. Habere denique eandem uſum in Theologia naturali & Teleologia, quam Noſter vocat, quemadmodum ſe monſtraturum olim luculentiſſime promittit. Enimvero in Pſychologia rationali ex natura mentis humanæ ac eſſentia ſe a priori elicere rationes eorum, quæ in mente obſervantur, novo quodam & invidendo auſu. Quamobrem, cum ex Hiſtoria literaria conſtet, regnare in orbe erudito morem, ut, quæ noviter detecta ſunt, non admittantur, niſi poſtquam per aliquod temporis ſpatium impugnata, in invidiam adducta & extirpationi proxima fuerint, fundamenta tam arduæ molis, qualia in Pſychologia empirica continentur, inconcuſſa manere conſultum duxit. Ceterum eos, qui in poſterum tantorum fructuum participes fieri voluerint, in Pſychologia empirica aſſiduos eſſe jubet, donec in notionibus, quas familiares experiuntur, pleniſſima luce fruantur: quem in finem Noſter operam dedit, ut ſingula clariſſima luce perfunderet, ne quis animum diſcendi cupidum afferens ullibi hæreret. Ut verò appareat, quomodo Noſter in explicandis iis, quæ ad animam ſpectant, verſetur, unicum tantummodo exemplum in medium afferre lubet. Non ignotum eſt, affirmari a Philoſophis, quod ſtatus præſens ſit gravidus futuri & a præterito imprægnatus; dictiones autem metaphoricas definitionibus propriis ne quidem explicari, tantum abeſſe, ut, quomodo id fiat, diſtincte doceatur. Cum Noſter id agat, ut ad obviam perſpicuitatem reducat ſublimia atque profunda; ideo quoque in præſente argumento idem facit. Monet igitur, ſtatum præſentem

tem futuri gravidum dici, quatenus ex eo & vi ejus ſequitur: eundem vero a præterito imprægnari, quatenus mediante præterito aptus efficitur, ut inde ſequi poſſit futurus, ſeu quatenus accedente præterito ex eo ſequitur futurus. Terminis ita explicatis, docet, quomodo in mente ſtatus præſens imprægnetur a præterito, ac inde naſcatur futurus. Demonſtrat enim, quomodo ex ſenſationibus, tanquam perceptionibus præſentibus, per legem imaginationis, vi perceptionum præteritorum, producantur perceptiones rerum abſentium, ut ideo ſtatus mentis, qui futurus erat, enaſcatur ex præſente præterito mediante, & præſens futuri gravidus dici poſſit, quod a præterito imprægnetur. Nimirum, dum aliquid imaginamur, vi perceptionis præſentis producimus præteritam, quæ cum præſente commune quid habet. Quare, cum perceptio præſens conſtituat animæ ſtatum præſentem, præterita vero præteritum, &, dum præterita denuo producitur, ſtatus aliquis naſcitur, qui futurus erat; dum aliquid imaginamur, ſtatus mentis, qui futurus erat, naſcitur ex præſente, mediante præterito, Quoniam vero is ideo ex præſente naſcitur, quia commune quid cum præterito habet, hoc ipſo præſens a præterito aptus efficitur, ut futurus inde ſequi poſſit. Demonſtrat deinde, quomodo vi ratiociniorum, quæ per Syllogiſmos diſtincte explicantur, ſtatus mentis futurus ex præſente atque præterito prodeat, quatenus præſens cum futuro in præterito ſimul continetur. Ubi notandum eſt, ſingulis propoſitionibus, ex quibus conſtat Syllogiſmus, ſingulos reſpondere ſtatus mentis, & in Syllogiſmo v. gr. categorico minorem exprimere ſtatum præſentem, majorem vero præteritum, atque concluſionem tandem futurum. Demonſtrat denique, quomodo in conſequentiis immediatis ſtatus futurus ex præſente mediante præterito enaſcatur: id quod majore arte eruendum fuit, quam in caſibus anterioribus. Notandum vero eſt, Noſtrum omnem perceptionem præſentem a ſenſatione tanquam fonte derivare, perceptionum autem continuationem per legem imaginationis & Syllogiſmos explicare, ita, ut ex ſenſationibus non naſcantur perceptiones rerum abſentium, niſi quatenus per legem

imagi-

imaginationis & règulas ſyllogiſticas, in Logica traditas, diſtincte explicabiles ſunt: quæ, ut intelligantur, exemplis maxime obviis declarantur.

## Evangeliſches Oeſterreich ꝛc.

h. e.

*AUSTRIA EVANGELICA, SIVE RELATIO hiſtorica de præcipuis Eccleſiæ Evangelico-Lutheranæ eventibus in Archi-Ducatu Auſtriæ, e probatis Autoribus & monumentis fide dignis collecta & in ordinem digeſta a BERNHARDO RAUPACHIO, ad ædem D. Nicol. apud Hamb. V. D. M.*

Hamburgi, apud Theod. Chriſtoph. Felgineri viduam, 1732, 4.

Alph. 2 plag. 12.

QUindecim anni elapſi ſunt, ex quo Pl. Rev. Autor ſpem fecit hujus Commentationis, quæ pars ſit majoris Operis de Eccleſiis Lutheranorum deperditis, ut videre eſt in Novis literariis Lipſ. vernaculis A. 1717 N. XLIV p. 359 ſq. Non igitur conſilio præcipitato immaturoque labore prodit hoc, quicquid nunc operis exhibetur, ſed tempore opportuno ac idoneo, varias licet inter munerum officiique vices, Cl. Autor ad poliendum perficiendumque illud uſus eſt, unde & dignum omnino evaſit, de quo in cenſum noſtrum referatur.

Facturi autem hoc tum pro ratione inſtituti, tum pro exquiſita argumenti dignitate, utpote de quo nemo ante Autorem noſtrum profeſſa opera in commentarios retulit, in genere primum notamus, integram Commentationem hanc tribus omnino Partibus abſolvi. Præmittitur namque Procœmium aliquod prolixius; quod ſecundo loco excipit ipſa exegeſis ſ. relatio hiſtorica; cui denique faſciculus præcipuorum quorundam Diplomatum ſ. documentorum, ad hanc cauſam pertinentium, ſubjungitur. In ipſo Procœmio eſſet, quod noſtram conſiderationem atque recenſum mereretur.



Digitized by Google

Subjicitur namque in illo parallelismus Eccleſiæ Apoſtolicæ atque Evangelico-Lutheranæ, isque dum & ratione doctrinæ & incrementi decrementique intuitu per varia capita caſusque expoſitus & illuſtratus eſt, inſigni adeo doctrinæ cognitionisque hiſtoricæ apparatu abundat, ut exinde ſpecimina non una excerpere & in rem noſtram vertere liceret. Exempli loco unicum tantummodo commemoramus, quod & ad cauſam præſentem paulo propius ſpectat. In Procemii hujus Sect. VIII & IX a p. 21 ad 36 ex comparatione inter Eccleſias Apoſtolicas & Evangelico-Lutheranas ratione perſecutionum & inde ſubſecutarum everſionum inſtituta, generalior quidam Eccleſiarum utrinque deperditarum recenſus naſcitur, isque, quod ad Evangelico-Lutheranam ſpectat, exemplis, a præcipuis locis ac provinciis, ſeorſimque Hiſpania, Gallia, Anglia, Belgio, Polonia, Hungaria, Bohemia, Moravia, ipſaque Germania noſtra, petitis, illuſtratus & Autorum quamplurium huc facientium delectu ita munitus ſiſtitur, ut, alibi per compendium & uno loco hujus argumenti apparatum ſimilem ab alio quoquam eſſe exhibitum, haud ſane nobis conſtet. Sed, miſſo Procemio, ad ipſam cauſæ principalis tractationem properamus. Exegeſis autem illa ſ. Relatio hiſtorica de fatis Eccleſiæ Evangelico-Lutheranæ in Auſtria ordine Chronologico a Cl. Autore diſpoſita eſt, quo ab ipſis negotii reformationis, ineunte Sec. XVI apud Germanos cœpti, primordiis usque ad ſeculi XVII medium, ubi poſt concluſam pacem Weſtphalicam cum rebus Evangelicorum inter Auſtriacos conclamatum fuit, progreditur. Auſtriam hoc intervallo tenuerunt Cæſares & Archi-Duces, Maximilianus I, Ferdinandus I, Maximilianus II, Rudolphus II, Matthias, Ferdinandus III, ſub quorum regimine, quæ Eccleſiæ in terris Auſtriacis ſeorſim, non habita ratione provinciarum reliquarum hæreditariarum, facies fuerit, ſervato perpetuo annalium ordine, per Sectiones ſ. §§. LXVIII ediſſeritur. Maximiliani I quidem tempore cauſa emendationis ſacrorum in primis adhuc initiis ſubſtitit, de quibus nec adeo peculiare eſt, quod ſigillatim ex Auſtriæ finibus afferri potuerit: & major omnino rerum memora-

morabilium copia eſt, quam Ferdinandi I regimen ſuffecit, quod ab A. 1521 ad A. 1564 apud Auſtriacos duravit, & cui deſcribendo Autor noſter Sectiones XVIII a XII ad XX tribuit. Ipſum Ferdinandum animo minus favente erga ſuſceptum a Luthero reformandi negotium fuiſſe primo tempore, ſatis ex aliorum ſcriptis quoque conſtat: quomodo autem infenſiſſimum quibuscunque hujus rei deſtinationibus apud Auſtriacos ſuos ſe præbuerit, probatis quamplurimis documentis hoc loco comprobatur. Mox cum ſuſcepto regimine A. 1521 promulgato Edicto ſcripta Lutheri comburenda jubebat. *Paulo Sperato*, qui primus nominatur, quod inter Auſtriacos Viennæ veritatem reſtituti Evangelii publice docuerit, ſolum erat vertendum. *Caſpar Tauberus* autem, cui e cœtu Laicorum illa doctrinæ veritas illuxerat, jam A. 1523 ferri atque ignis ſupplicio afficiebatur, ut adeo inter primos Evangelicæ veritatis Confeſſores ac Martyres locus illi debeatur. Status etiam Auſtriaci, cum pro impetrando libero Evangelicæ religionis exercitio ab A. 1532 Ferdinando ſupplices fierent, ſubinde repulſam ferebant. E quibus aliisque documentis cum Ferdinandi durities ſatis eluceat, nec ipſum ab eadem tam cito, ut vulgo nonnullis perſuaſum eſt, remiſiſſe, Autori noſtro ex certis quibusdam indiciis liquet. Proindeque literas illas vulgatiſſimas, quas Ferdinandus circa annum 1537 *Luthero* ſcripſiſſe perhibetur, quarumque copiam & infra in Documentorum Sylloge N. 1 tam ex editione vernacula, quam ex verſione latina gemina, facit Noſter, ſuppoſititiis annumerare non dubitat; quibus nec inde quidquam autoritatis accedere docet, quod, ut in aliis quibusdam antiquioribus monumentis, ita & in *Valentini Bavari* MStis, Gothæ ſervatis, illarum exempla habeantur: hanc namque rem, qua & nonnihil motus videtur Ven. *Ern. Sal. Cyprianus* tum in Document. ad *Tenzel.* Hiſt. Ref. P. II p. 290, tum in Hiſt. Aug. Conf. p. 163, (edit. 2 p. 228) ad antiquitatem quidem, non æque autem ad autoritatem, aliquid momenti afferre contendit p. 32 ſq. Ante mortem igitur *Jo. Fabri*, Epiſcopi Viennenſis, quæ A. 1541 contigerit, cujusque in cauſis religionis conſilia & autoritatem quam maxime ſecutus

 ſit

ſit Ferdinandus, quidquam a duriori in Proteſtantes animo eundem mutatum negat Noſter. Sed tamen hanc quoque indulgentiam, quam ex illo tempore Germaniæ univerſæ teſtatam facere viſus eſt Ferdinandus, tum nondum adeo Auſtriacæ ejusdem hæreditariæ provinciæ expertæ ſunt, ut potius in annum usque 1554 denegata illis quæcunque ſacrorum libertas, & contra Caniſiana catechizandi forma obtruſa, iis gravis extiterit. Contigit autem anno demum 1556, ut in concedendo S. Cœnæ uſu libero ſub utraque ſpecie Auſtriacis ſuis aliquanto remiſſiorem ſe præberet. Hoc vero tantillum gratiæ ſubditis exhibitæ inter cauſas quoque erat, ob quas Papa tum ſedens Paulus IV Ferdinandum pro Cæſare legitimo agnoſcere recuſabat. Sed Ferdinandus nihilo minus in eadem mente perſtabat, idque cum Bavaro Duce in poſtremis Concilii Tridentini tractationibus a ſucceſſore Papa Pio IV impetrabat, ut & is, licet additis conditionibus perquam moleſtis, jam datum ſubditis ipſius liberum calicis uſum permitteret. Quam vero in aliis quoque doctrinæ capitibus libertatem ex conſultationibus, cum *Wicelio* & *Caſſandro* inſtitutis, Auſtriaci ſibi polliciti erant, vivo Ferdinando haud conſequebantur. In ſucceſſore igitur Maximiliano II ſpem ſane majorem ſe ponere poſſe perſuaſum ſibi habere debebant, quod eundem præceptoribus & doctoribus Lutheranæ doctrinæ addictiſſimis, quales *Wolfgang. Severus* & *Jo. Sebaſt. Pfauſerus* commemorantur, jam pridem uſum eſſe, magnamque jam in doctrinam puriorem propenſionem teſtatam feciſſe, ac vel indignationem non parvam R. Pontificis ob eam cauſam incurriſſe, omnibus cognitum atque perſpectum erat. Sed vero in hujus quoque regiminis initiis non ita ſtatim votorum ſuorum compotes fiebant Auſtriæ Status, &, quæ Autor a §. XXI ad XXXIII prolixius commemorat, ad A. 1571 usque geſta, id ſane comprobant, majorem partem ſub Imperio Maximiliani Auſtriacos exegiſſe in ſpe metuque, antequam pleniorem & magis firmatam, quam tantopere anhelabant, ſacrorum libertatem adipiſcerentur. Nitebantur quidem jam inde ab A. 1568 Cæſareo Maximiliani verbo, eoque

que

Digitized by Google

que freti jam id temporis bini iſti Auſtriæ inferioris Status, qui e Dynaſtarum & Nobilium ordinibus componuntur, cogitationes de bene ordinanda conſtituendaque Eccleſiæ forma & diſciplina ſuſceperant, in quo negotio opera *Davidis Chytræi* potiſſimum emicuit. Sicuti autem labores a *Chytræo* inter Auſtriacos exantlatos ſingulari cura & ſtudio non ita pridem diligens ejusdem Biographus, B. *Otto Frid. Schüzius*, proſecutus eſt; ita Noſter nihil omittit, ut *Schüzianam* illam telam retexat atque perficiat. Poſt ſtatum Eccleſiæ autem ſic bene diſpoſitum & ordinatum, anno demum 1571 d. 14 Januar. Cæſar Maximilianus literas aſſecurationis, quas ita dicunt, binis iſtis Auſtriæ ordinibus impertitus eſt; quibus libertatem ſacrorum ad normam Aug. Conf. illis indulſit, publicamque & contra omnium inſultus munitam ſecuritatem addidit; cujus etiam exemplum, una cum literis Reverſalibus, a binis iſtis Statibus viciſſim datis, Autor §. XXXIV exhibet. Atque in hoc rei articulo ac momento ſumma fere & faſtigium doctrinæ Lutherano-Evangelicæ inter Auſtriacos conſtitit, progreſſusque vix ultra fecit, ſed ad decrementa potius hæc cauſa ſenſim pedetentimque declinavit. In quo quidem negotio curatius deſcribendo cum Autor noſter ultra dimidiam Commentationis ſuæ partem inſumat, Eccleſiamque Auſtriacam deperditam æque, ac ante natam erectamque, curate ſoliciteque deſcribat, non eodem quidem recitationis filo, propter recenſus noſtri limites, eandem perſequi licet.

Per ſumma tantum capita de præcipuis cauſis, a quibus Cl. Autor hæc doctrinæ Evangelicæ inter Auſtriacos decrementa repetiit, aliquid repetemus. Fuerunt autem in his maxime ſimultates & diſſidia interna inter ipſos Evangelicos & eorundem doctores: cumque certamen *Flacianum* de peccato originis præter cetera Auſtriacam quoque Eccleſiam inſigniter concuſſerit, cujus præcipui autores *Jo. Fridericus Cæleſtinus* & *Joſua Opitius* extiterunt, ingenue fatetur Noſter, quod id cauſæ meliori hic loci fraudi fuerit, & multam invidiam detrimentaque non levia tenello huic cœtui conflaverit. Alterum, quod novella hæc Eccleſia

 pecu-

peculiari ordinatoque ſuo Inſpectore & Ephoro, itemque judicio Eccleſiaſtico conſtituto, quod dirimendis cauſis in Eccleſia ſubortis inſerviret, deſtituta fuerit, haud leve illi diſpendium attulit; & vehementer id ſane dolendum eſt, quod non in tempore huic Evangelicorum cœtui de his ad *τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην* facientibus requiſitis proſpicere licuerit. Ultima tandem, quæ & præcipua & graviſſima cauſa fuit, in externo hoſtium & adverſariorum Pontificiorum inſultu eſt poſita. Maximiliano namque præmaturo fato mortuo, Rudolphi regimen mox cum vario vexationum genere cœpit: quibus cum primum quidem civitates Auſtriacæ, quæ tertium ſubjectorum ordinem conſtituunt, & quibus non eadem, quæ ceteris, religionis ſecuritas præſtita erat, præcipue peterentur, non deerant tamen mala & incommoda, quæ ſubinde etiam in Dynaſtas & Nobiles A. C. addictos redundabant. Exitioſa autem cummaxime & ad interitum cauſæ Evangelicæ comparata erat Reformatio religionis, ex parte Pontificiorum conſtituta, Inquiſitionis officio, Romæ erecto, haud abſimilis, cui ſub encomio Reformatoris generalis *Melchior Cleſelius* præerat, qui ſolertia ſua in hoc officii genere præſtita poſt Epiſcopi Vienneniſs & denique Cardinalitiæ dignitatis faſtigium meruit. Inſtructo autem hujusmodi tribulationum apparatui ſubinde acceſſerunt perſecutiones novæ, ſub Rudolphi ſucceſſoribus, Matthia, Ferdinando II, continuatæ & auctæ; ut regnante demum Ferdinando III, poſt concluſam pacem Weſtphalicam, omnis Evangelicæ religionis libertas olim impetrata inter Auſtriacos evanuerit; cum quo triſti & deplorando rei eventu & noſtri Autoris relatio clauditur.

Quæ denique accedit, Commentationis Pars tertia, exhibens ſyllogen aliquot documentorum, non omnibus promiſcue afferendis deſtinata eſt, ſed delectu ex illis facto tantummodo XII monumenta præcipua comparent, ex vulgatis aliorum Voluminibus huc commode allata. Sunt hujus generis non una in ipſa quoque exegeſi hiſtorica ſuis quibusque locis vel in extenſo vel etiam *κατ᾽ ἐπιτομὴν* inſerta: quorum potiſſimum copiam Autori noſtro fecerunt *Annales Ferdinandei* Illuſtris ſcriptoris *Khevenhülleri*, a quibus per-

pervolvendis atque ſubinde in partes vocandis, vaſta eorundem moles, maximumque, quod in iis occurrit, legendi tædium, illum non deterruit. Uſus præterea eſt fontibus idoneis, & ejusmodi ubique teſtibus integram ſuam Commentationem munivit, quibus vel ipſi adverſarii fidem haudquaquam derogare poterunt. In Epiſtolicis cumprimis iſtius ævi monumentis ita Noſter verſatus eſt, ut nihil vel parum omnino in iis invenire poſthac licuerit, quod ejusdem induſtria in hoc quidem argumento reliquum fecerit.

Quod proinde Cl. Autor in fine Proœmii ſibi expetivit ad ſupplendos hoſce ſuos conatus aliorum præſidium, non adeo magnum fore auguramur, dum, quæ in Pontificiorum ſcriniis latent, ad hanc cauſam pertinentia documenta ægre a ſe impetrari patientur. Atque, dum hujus quidem recenſus Autor in argumento non adeo multum abſimili & remoto, de Salzburgo Evangelico, verſatur, intentosque ſubinde ad ſcopum Autoris habuit oculos, non ſane offendit, quæ alicujus momenti fuerint in publicis hujus rei monumentis, ac ejusdem diligentiam prorſus effugerint. Sunt quidem in Annaliſtæ *Odor. Raynaldi* Tomis II poſterioribus, rarius ſane obviis, ſunt in Continuatoribus *Sleidani*, *Adamo Henricpetri*, & *Conrad. Lautenbachio*, itemque *Mich. Beuthero*, ab *Oſea Schadæo* ſuis Voluminibus inſertis, teſtibusque ævo ſuo omnino æqualibus, quibus tradita ab Autore ſubinde illuſtrantur confirmanturque. In *Londorpii* etiam *Actis* publicis, præcipue binis iſtis prioribus Voluminibus, quibus *Mart. Meierus* eadem ſupplevit & continuavit, prolixior quædam documentorum ſeries, quam in *Lünigii* Collectionibus, quibus Pl. Rev. Autor uſus eſt, occurrit. Apud *Pfannerum* quoque in hiſtoria Comitiorum tum paſſim, tum inprimis Lib. I, prolixiori quodam recenſu traditur, quomodo Auſtriacis hæreditariis Cæſarum provinciis ſacrorum libertas erepta, eaque cauſa multa adhuc Statuum Proteſtantium in iisdem comitiis interpoſitione diſceptata ſit. Quibus & jungere liceat *Marc. Hanſitzium* in Germ. Sacr. Tomo II, itemque *Carol. Meichelbeck* in Hiſt. Friſingenſ. Tomo II, rebus Salzburgenſibus & Friſingenſibus multa ſæpe

de

Digitized by Google

de ſtatu Eccleſiarum viciſsarum, ſuæque diœceſi ſubjectarum, quales omnino Auſtriacæ ſunt, admiſcentes. Quos fontes vel ideo commemoramus, ut deſiderio Pl. Rev. Autoris quodammodo ſatisfacere voluiſſe videamur,&, ſi quid forte in iis ſit, quod vel huic ejus Commentationi augendæ amplificandæque, vel etiam labori gemino, quem in Stiriæ, Carinthiæ atque Carniolæ, Eccleſiis deperditis deſcribendis ponere cœpit, exantlando inſervire queat, eodem cum magno Eccleſiæ & rei hiſtoricæ emolumento utatur. Otium autem tranquillum firmamque valetudinem Cl. Autori precamur, ut his aliisque egregiis ſuis deſtinatis felix ac diu ſuperſit.

## *JOANNIS GEORGII SCHELHORNII DE Religionis Evangelicæ in Provincia Salisburgenſi ortu, progreſſu & fatis, Commentatio Hiſtorico-Eccleſiaſtica.*

Lipſiæ, apud Bern. Chriſtoph. Breitkopf, 1732, 4.
Plag. 14.

MUltorum hac tempeſtate calamos atque induſtriam, licet non pari ſemper cum ſucceſſu, exercet commemorabilis illa in *Archi-Epiſcopatu Salisburgenſi* rei ſacræ καταςϱοφὴ, & tot hominum, utriusque ſexus, cujuscunque ætatis & ſtatus, a fine inde proximi anni ad hunc, quem vivimus, diem, per ſingulos fere menſes, continuata, ob denegatum communem ſacri Codicis & Calicis Eucharistici uſum, e patriis ſedibus *emigratio*, tanto mortalium numero ſuſcepta, uti vix credibile poſteris eſſe aliquando poſſe videatur. Enimvero alii diligenter annotare ſcriptis contendunt, quicquid in hoc negotio vel nuper demum geſtum eſt memoria atque attentione dignum; alii iterum, ulterius progreſſi, curioſe anquirunt, priſcisque & publicis monumentis eruunt, quis ſtatus, quæ facies fuerit religionis in his terris ab aliquot inde retro ſeculis, quam nunquam non a multis ibi puriorem cultam, magisque Dei ac Salvatoris optimi inſtitutis conformem, & Numinis beneficio inter exquiſitiſſimas ærumnas conſtanter propagatam, jucundiſſimo piarum

piarum mentium ſpectaculo, oſtendunt. Utroſque, quod pretium eſt operæ, deſignare, libentiſſime fatemur. Inter hos tamen nemo unus nobis quidem hactenus occurrit, qui nobile iſtud argumentum amplius excuſſerit & ſolidius, atque in hac ipſa Commentatione cum optimi cujusque plauſu effecit inclitus in eruditorum civitate Vir, *Schelhornius*; qui vaſtum, quo pollet, omnigenæ & fructuoſæ lectionis apparatum optime ſic collocavit, & cum doctrinæ ubertate pietatem atque prudentiam egregie miſcuit. Meruit igitur præ aliis illius quædam ἐπιτομὴ in his quoque annalibus noſtris ſervari; quam ita quidem nunc adornabimus, uti neque juſto brevior concinnitas, neque tædioſa prolixitas, cujusque facile Lectoris faſtidium excitare poſſit.

Ita ſemper cum mortalibus benigne agere conſuevit ſuprema providentia, uti, licet exſtingui fere omnem meliorem de divinis rebus ſenſum quandoque juſto judicio permiſerit, ſervarit tamen ſibi ſemper, quamvis exiguum ſeculique conviciis vexisque expoſitum, cœtum, cum morum probitate doctrinæ etiam ſacris Pandectis revelatæ præter alios tenacem atque ſtudioſum. Celebrantur hoc nomine medio, quod appellari conſuevit, ævo *Valdenſes*, per potiorem tunc Europæ partem diſperſi; quorum aliquos & in regionibus ad *Salisburgenſem Præſulatum* pertinentibus conſediſſe, non diſſimilis veri conjectura eſt *Gilberti Burneti*, Epiſcopi poſthac Angli clariſſimi, in *Itinerario* ſuo Tomo I Epiſt. 2 p. 163 ſeq. propoſita, & abs Autore noſtro adoptata; qui inde terminum ſuccreſcentis ibi religionis purioris conſulto repetit. Idem de *Huſſitis*, illorum, uti videtur, propagine, affirmandum eſſe, dubitare non ſinunt, quæ in *Statutis Synodalibus*, A. 1420 concinnatis, contra illos titulo triceſimo ſecundo ſeveriſſime edixit *Eberhardus III* Archi-Epiſcopus.

Sub ipſa *Reformationis*, auſpicato ſidere in Germania ſuſceptæ, initia tractus *Salisburgenſis* aluit inſignem aliquem veritatis teſtem, Autorem nempe libri multis nominibus celebratiſſimi, *Onus Eccleſiæ* inſcripti, & *Landshuti* in Bavaria A. 1524 per *Joannem Weiſſenbergerum* primum impreſſi. Continet



Digitized by Google

tinet ille veluti juſtiſſimas, ita exquiſitas, de corrupto miſeroque, qualis tunc fuit, Eccleſiæ ſtatu querelas, & pluria non obſcura purioris de doctrina Chriſtiana ſenſus argumenta; quorum eminentiora huc non impertinenter ad literam transſcribuntur. Diſceptatum fuit hactenus inter eruditos de conditore hujus Operis; qui quis fuerit, non potuit ad liquidum perduci penitus. Incidit interim haud ita pridem Clariſſ. *Schelhornio* in manus liber: quem Autor *Berchtoldus*, Epiſcopus Chiemſeenſis & Archiepiſcopo Salisburgenſi ſuffraganeus, *Theologiam Germanicam* appellat, excuſus Auguſtæ Vindelicorum A. 1529. In hoc frequentiſſima *Oneris Eccleſiæ* excitatio, ſtili luculenta ſimilitudo, idem in *Lutheri* perſonam ac inſtituta vehementiſſime concitatus animus, & varia denique, licet aliquanto rarius, hinc inde diſperſa veritatis teſtimonia, prope perſuaſerunt Viro doctiſſimo, ex eodem calamo utrumque ſcriptum fluxiſſe; neque nos, cur opinioni huic refragemur, cauſam agnoſcimus.

Memorantur poſt hunc alii Evangelii in majorem tum lucem reſtituti ſectatores, *Joannes Staupitius*, Abbas Salisburgenſis, de quo non vulgo trita afferuntur; *Stephanus Agricola*, cognomento *Kaſtenbauer*, præter alia, diuturni etiam carceris incommoda ob veritatis intrepidam profeſſionem perpeſſus, ex quo tandem difficulter evaſit; *Wolfgangus Rus*, ſimilibus fere fatis implicitus; *Paulus Speratus*, illuſtribus in puriorem cœtum meritis inſignis; *Urbanus Regius*, *Joannes Malinus*, *Martinus Lodinger*, *Georgius Schaperus*, Martyrio mactatus uterque, *Leonardus Leyſer*, atque ſexcenti alii, ſinguli publici emaculatioris fidei in his oris teſtes atque præcones laudatiſſimi.

Malumus in ipſa hac *Commentatione* a cupidis jucunde legi, quæ de his viris cum exquiſita induſtria collecta in unum acervum reperiuntur, veluti & illa, quæ mox de *turbis* ac *ſeditionibus*, ex nimia in melioris ſententiæ fautores quorundam ſævitia concitatis, traduntur; non enim caperet iſta harum paginarum ambitus. Notamus ſaltim pauciſſimis verbis illorum etiam nomina, qui autoritate, qua tanquam *ſacri præſules* ful-

fulgebant pollebantque, abuſi, illam ad coercendos Evangelii in provincia Salisburgenſi ſucceſſu, inſtituto minus Chriſtiano, converterunt. Familiam horum ducit & ætate reliquis ſuperior, & odio in rei ſacræ inſtauratores nemini ſecundus, *Matthæus Langius*, Cardinalis atque Archi-Epiſcopus; cujus veſtigia noviter quidem preſſerunt inter ſucceſſores, *Erneſtus*, Dux Bavariæ, *Michael a Khienburg*, *Joannes Jacobus de Kuon;* qui poſtremus a Pio IV Pont. Max. ad Concilium Tridentinum ſua præſentia celebrandum invitatus, ſcriptis ſingularibus tabulis abſentiam per oratores excuſavit, quam invaleſcens in ſua ditione *Lutheranorum* hæreſis vel nolenti imperaret. Et has *Literas*, & alias inſuper, quibus abs ſe delegatis poteſtatem fecit omnia ſuo nomine in illuſtri illo Patrum conſeſſu peragendi, quod ineditæ adhuc eſſent & memorabilia multa continerent, ex *Actis Concilii Tridentini MStis*, a *Feliciano Ninguarda a Morbinio*, qui orator Salisburgenſis Panegyri iſti interfuit ipſe, conceptis, & ab erudito quodam homine Pontificio ſecum communicatis, fideliter huc atque curate laudabili conſilio tranſtulit doctiſſimus *Schelhornius*. Gaudebunt, putamus, ſolidioris Hiſtoriæ conſulti, his quaſi gemmulis eximiam ſcriptionem interſtinctam; quo loco etiam reputabunt, quæ mox adduntur, *Literas Germanicorum Procuratorum in Concilio Trident. ad Cardinalem Auguſtanum Othonem Truchſeſs datas*, quibus conqueruntur Germanicis Præſulibus a Pontificibus Italis ſuffragii ferundi jura iniquiſſime negata ac erepta, itidem e tenebris, magno operæ pretio, protractas; veluti & alias *literas mandatariorum in eodem Concilio pro Archiepiſcopo Salisburgenſi ad hunc ipſum Principem perſcriptas*; & demum, quod ſumma attentione dignum eſt hoc loco, *Scriptum exhibitum per oratores Salisburgenſes, continens gravamina quoad calicis uſum denegatum;* ex quibus varia huc usque non adeo pervulgata, quæ ad Concilii illius hiſtoriam pleniorem ſpectant, edocemur. Abſoluta hac fructuoſa παρεκβάσει reliquorum ſedis *Salisburgenſis Poſſeſſorum* in *hæreticos*, quos dicebant, *Lutheranos* perperam patrata perſequitur Autor noſter. Eminuerunt inter hos *Georgius a Künburg*, *Wolfgangus Theodoricus de Raite-*



Digitized by Google

*naw*, *Marcus Sitticus*, vel inde magnificum *Hæreſium profligatoris* titulum conſecutus, atque pauci fortaſſe adhuc alii. Non ſine dolore quodam quis hæc æquioris paullo teneriorisque ſenſus mortalis, & quidem ſanctiſſimi Servatoris placitis haud perfunctorie imbutus, conſideraverit.

Factum eſt interim vel inſequentium Præſulum lenitate, vel aliis quibuscunque de cauſis, uti nihil fere amplius inaudiretur de *incolis Salisburgenſibus*, aliam, quam Romano ſubdita Eccleſia Epiſcopo profiteretur, formulam amplexis, aut eorundem tragica perſecutione; donec anno circiter 1683 *vallium Teffereck* & *Duk coloni*, ſub *Maximiliano Gandolfo* Archiepiſcopo, religionis cauſa avitis ſedibus iniquiſſime expulſi & ſuæ conſtantiæ experimentum dare cogebantur, & docebant inſimul, ſuperfuiſſe ſemper ac delituiſſe in illis terris, quibus meliora placerent ſcita atque puriora de colendo Chriſto. Refert hac occaſione ſtrictim Autor nonnulla ad hoc negotium pertinentia; quæ uberius declarata inſpici poſſunt in Actis ſingularibus impreſſis, & *Lehmanni Chronico Spirenſi* ſuppleto & continuato adjectis; quibus vero nunc repetendis jure quodam poſſumus abſtinere. Ceterum ſuccincta quadam relatione de illis, quæ hunc fere ante annum ac inſecutis menſibus, nemini adeo inexplorata, geſta ſunt, potiſſimum in *Suevia*, cum novis iſtis *exſulibus Salisburgenſibus*, concluditur. Unum addimus, prodiiſſe vel nuper demum apud eundem typographum eximiæ hujus ſcriptionis *converſionem vernaculam*, a V. C. *Friderico Guilielmo Stübnero*, A. M. elegantiſſime elaboratam; cui inſperſa paſſim Autoris *Hypomnemata*, & ſubjuncta Conſ. D. *Aug. Frid. Mülleri* de *Jure emigrandi* Diſſ. Academica, quandam quaſi prærogativam præ αὐτογράφῳ illa editione conciliant.

## *JOANNIS VOGT, V. D. M. CATALOGUS Hiſtorico-Criticus librorum rariorum, ſive ad ſcripta hujus argumenti Spicilegium, Index & Acceſſiones.*

Hamburgi, apud Jo. Chriſt. Kisnerum, 1732, 8.

Plag. 13.

DIgna eſt non ſolum homine erudito, ſed & plurimis nominibus proficua, atque eadem honeſtæ voluptatis plena

occupa-

occupatio, in tanto, ac fere infinito, librorum numero internoſcendi ab obviis ubique rariores inventu, pretioſiores a vilioribus dijudicandi, ſtudium. Excoli illud, neque ſine omni ſucceſſu, patrum noſtrorum memoria, præſertim a Germanis, cœpit diligentius; & fructus etiam in Βιβλιοφίλους inde non contemnendus redundavit. Hinc nati tot librorum ceteris rariorum indices peculiares, tot de hoc argumento Commentationes ac diſquiſitiones de ipſis raritatis cauſis, nemini non humaniori paullo cognitæ & lectæ libentiſſime. Veluti autem comparatum eſt ſimilium notitiarum ingenium, ut ab uno quodam ſcriptore ob amplitudinem fruſtra requiratur universi argumenti plenior luculentiorque pertractatio; ita ex uſu eruditæ civitatis intelligentibus merito exiſtimatur actum eſſe, ſiquidem plures in eundem campum excurrere intendant, viresque in eodem illuſtrando certatim experiantur. Horum in cenſum præſenti ſcriptione referri meruit Cl. *Vogtius*, cui conſilium fuit ſub unum quaſi oculi conſpectum poſita hic exhibere, quæ latius alias tot Autorum Voluminibus diffuſa reperiuntur, quam ut breviter cognoſci poſſint; adeoque concinnare Catalogum, Alphabetico ordine inſtitutum, librorum, qui doctiſſimi cujusque ac literatiſſimi Viri judicio habentur communiter ſingulari ex raritate ſua digni attentione atque pretio. Effecturum ſe hac opera exiſtimavit Autor, ut diuturnum deſiderium eruditorum ſi non impleatur, ex parte mitigetur ſaltim, qui tot votis *recenſum* videre geſtierunt pridem *univerſalem librorum, qui difficulter aut nunquam fere fiunt obvii*, vel ipſis cupidiſſimis dapium eruditarum helluonibus. Et iniquus fuerit profecto, qui gratiam diligentiſſimo *Vogtio* ob hanc rem debitam denegaverit, nolueritque agnoſcere, compendium hoc libello ſibi factum proprio ſtudio excerpendi annotandique ſeorſim, quæ famigeratiſſimi ævi noſtri Literatores vel obiter, vel dedita induſtria, de librorum quorundam raritate monuerunt; atque, occaſionem ſimul oblatam, quemadmodum facilius ſemper eſt addere, leviori negotio diurna nocturnaque lectione eximium hunc apparatum novis in dies acceſſionibus locupletandi. Ceterum, cum parabilis admodum ſit hæc ſcri-

 ptio,

ptio, & eorum manibus, quibus hæc curæ, commodiſſime verſetur, ab excerpendo uno alterove ſpecimine conſulto nunc quidem abſtinemus.

---

## *NOVA LITERARIA.*

IN gratiam exterorum, quibus volupe fuit pro redimendo exemplari Lexici Medici Univerſalis, quod Cl. *Burggravius* Francofurti ad Mœnum adornat, prænumerationis commodo frui, & doluerunt, quod hujus inſtituti rationem expoſitam & ſpecimen, ſeorſim edita, eo demum tempore acceperint, quo prænumerationis terminus jam elapſus erat, Bibliopola editor *Frider. Dan. Knoch* hiſce ſignificat, ſe ad finem usque anni currentis prænumerationem admiſſurum, etſi impreſſionem Operis jamjam inchoari curarit. Eo majorem ſe putat hac ratione a prænumerantibus initurum gratiam, quod abſoluto Opere hoc ipſum non infra tribus cum dimidio florenis redimi poterit, cum non ſolum præſtantiorem, quam Specimen exhibuit, chartam afferri curarit, ſed & figuræ æneæ plus ſumptuum, quam exiſtimaverat, exigant.

---

# INDEX AUTORUM,
## quorum Libri aut Inventa in hoc Volumine recenſentur.

### I. *Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

ACcoltus (*Bened.*) *de Bello a Chriſtianis contra Barbaros geſto pro Chriſti ſepulchro & Judæa recuperandis Libri IV.* 128
Anonymi *de Initio Metropoleos Eccleſiaſticæ Coloniæ Claudiæ Auguſtæ Agrippinenſium Commentatio.* 154
*Explanatio duarum vocum* מִכְמָר & כְּתוֹא, *quæ Jeſ. LI, 20, reperiuntur.* 475

Baltha-

# INDEX AUTORUM.


Balthaſaris (*Jac. Henr.*) *Doctrina Polycarpi de Scriptura ſacra.* 387

Breitingeri (*Jo. Jac.*) *Vetus Teſtamentum ex verſione ſeptuaginta Interpretum. Tomi IV.* 345

Clauswitz (*Bened. Gottlob.*) *Ratio & Scriptura in ſuo ordine.* 170

Coleti (*Nic.*) *Sacroſancta Concilia. Tom. VI, VII, VIII, IX.* 193

Fabricii (*Jo. Alb.*) *Salutaris lux Evangelii toti orbi per divinam gratiam exoriens.* 113

Georgii (*Dominici*) *de Liturgia Rom. Pontificis in ſolenni celebratione miſſarum Libri duo.* 61

(*Chriſtiani Sigism.*) *Vindiciarum N. T. ab Ebraiſmis Libri tres.* 478

Hane (*Phil. Frid.*) *Hiſtoria critica Auguſtanæ Confeſſionis.* 161

Haſæi (*Theod.*) *Diſſertationum & Obſervationum Philologicarum Sylloge.* 137

Holtii (*Nic.*) *Apophoreta ſacra, ſive Diſſertationum Theologicarum varii argumenti faſciculus.* 567

Infantii (*Jac.*) *Hiſtoria belli Huſſitici & Concilii Baſileenſis.* 258

Korthoit (*Chriſtian.*) *de Diœceſi Epiſcopali, quam Sec. IV habuit Pontifex Rom.* 66

*de Eccleſiis ſuburbicariis.* 107

Lavaurii *Hiſtoria mythica Hiſtoriæ ſacræ collata. Tomi II.* 504

Leighii (*Eduardi*) *in Univerſum N. Teſtamentum Annotationes philologicæ; Latine converſæ a* Theod. Arnoldi. 384

Marperger (*Bernh. Walther.*) *de Agno ad aræ cornua ligando.* 283

*de Quinto decimo menſis Abh Hebræorum diei expiationis comparato.* 287

Melchioris (*Alb. Wilh.*) *Apologia pro Miraculis Chriſti & expoſitionibus Patrum allegoricis, adverſus* Th. Woolſtonum. 94

Meuſchen (*Jo. Gerh.*) *Ceremonialia electionis & coronationis Pontificis Rom.* 165

Orſi (*Joſeph. Auguſtin.*) *de Capitalium criminum abſolutione.* 304


D'Oyly

D'Oyly (*Robert.*) *Diſſertationes quatuor; I de Permiſſione Dei circa lapſum Adami; II de Auxilio extraordinario, quo Deus primos Evangelii præcones dignatus eſt; III de Revelatione prophetica; IV de ejusdem corporis reſurrectione.* 130.185

Raphelii (*Georg.*) *Annotationes in S. Scripturam, ex Herodoto collectæ.* 323

Raupachii (*Bernh.*) *Auſtria Evangelica.* 581

Reimmanni *Catalogus Bibliothecæ Theologicæ Syſtematico-Criticus.* 377

Reinbeccii (*Jo. Guſtav.*) *Meditationes de Veritatibus divinis in Confeſſione Auguſtana contentis.* 482

Roderique (*Ignatii*) *S. Colonienſis Eccleſiæ de ſuæ Metropoleos origine traditio vindicata ab impugnationibus Anonymi.* 157

Salig (*Chriſtian. Aug.*) *de Diptychis veterum, tam profanis, quam ſacris.* 110

Schelhornii (*Jo. Ge.*) *de Religionis Evangelicæ in Provincia Salisburgenſi ortu, progreſſu & fatis.* 588

Veneer (*Jo.*) *Expoſitio XXXIX Articulorum Eccleſiæ Anglicanæ.* 205

Venema (*Herm.*) *Diſſertationum ſacrarum Libri tres.* 15

Walchii (*Jo. Ge.*) *Introductio ad religionis controverſias Evangelico-Lutheranæ Eccleſiæ.* 20

*Introductio in libros Eccleſiæ Lutheranæ ſymbolicos.* 406

Wolfii (*Jo. Chriſtoph.*) *Curæ philologicæ & criticæ in IV priores S. Pauli Epiſtolas.* 320

Wucherer (*Jo. Frid.*) *Vindiciæ æternæ divinitatis Jeſu Chriſti adverſus* Wilh. Whiſtonum. 89

Zornii (*Petri*) *Opuſcula ſacra. Tomus II.* 573

## *Libri Juridici.*

Anonymi *Annotationes in Partis II Reformationis Francofurtenſis Titulos VIII priores.* 82

Conringii (*Herm.*) *Opera. Tomus I & II.* 441

Crame-

Crameri (*Jo. Ulrici*) *Specimen novum intellectus legum profundius eruendi, ſiſtens doctrinam Juris Romani de diviſione hæreditatis inter plures hæredes inſtitutos.* 366
Ickſtatt (*Jo. Adam.*) *de Studio Juris ordine atque methodo ſcientifica inſtituendo.* 47
Mylii (*Jo. Henr.*) *Theophilus.* 280
Noordkerkii (*Herm.*) *Specimen Lectionum, ſive Disquiſ. de Lege Petronia.* 459
*Obſervationum Decas, in quibus varia Juris Romani capita exponuntur aut emendantur.* 461
Pertſchii (*Jo. Ge.*) *Elementa Juris Canonici & Proteſtantium Eccleſiaſtici.* 462
Wabſt (*Chriſtian. Gottlob*) *Hiſtorica Deſcriptio legum judiciorumque Saxoniæ.* 275
*Van* Wachendorff (*Jo. Caroli*) *Diſſertationum Trias; I de Principe legibus ſoluto; II de Condictione triticiaria; III de Pactis nudis.* 509
Wæchtleri (*Chriſtfriedi*) *Notæ poſthumæ ad Gerh. Noodtii Librum IV Probabilium Juris Civilis.* 514
Weidleri (*Jo. Frid.*) *Inſtitutiones Juris Naturæ & Gentium methodo geometrica digeſtæ.* 78

## III Libri Medici & Phyſici.

Anonymi *de Bononienſi Scientiarum & Artium Inſtituto atque Academia Commentarii.* 263
*Relatio Lithotomiæ ſecundum apparatum altum novo quodam inſtrumento peractæ.* 123
Aretæus *de Cauſis & ſignis acutorum & diuturnorum morborum; ex edit.* Herm. Bœrhaave. 393
Bœrhaave (*Herm.*) *Elementa Chemiæ.* 425
Breynius (*Jo. Phil.*) *de Polythalamiis, nova Teſtaceorum claſſe.* 327
Büchneri (*Andr. Eliæ*) *Miſcellanea Phyſico-Medico-Mathematica. Quadra III & IV Anni 1727.* 329
Burgmanni (*Petri Chriſtoph.*) *Hypotheſeos Stablianæ examen de Anima rationali, corpus humanum ſtruente.* 231
Chevalierii *Animadverſiones criticæ in Tractatum de Uſu diverſarum Venæſectionis ſpecierum.* 229
Harenberg (*Jo. Chriſtoph.*) *de Encrino ſeu lilio lapideo.* 73



Digitized by Google

*Van* Muſſchenbrœk (*Petri*) *Tentamina experimentorum naturalium, captorum in Academia Florentina del Cimento.* 125
Richteri (*Georg. Frid.*) *Additamentum ad Schediaſma ſuum de Motu compoſito.* 272
Ritter (*Alb.*) *de Alabaſtris Hohnſteinenſibus.* 75
Schreiber (*Jo. Frid.*) *Corporis ac motus conſideratio.* 76
Sivers (*Henr. Jac.*) *Curioſorum Niendorpienſium Spec. I.* 432
Stollii (*Gottlieb*) *Introductio in Hiſtoriam Scientiæ Medicæ.* 465
Tellierii *Animadverſiones criticæ in Freindii Tractatum de Fluxu menſium.* 368
*Tranſactiones Philoſophicæ ad Annum 1726 & 1727. Vol. XXXIV.* 411
Vinck (*Dan.*) *Amœnitates Philologico-Medicæ.* 529
Waltherus (*Auguſtin. Frid.*) *Supplementum Tractationis de Articulis, ligamentis, & muſculis, inceſſu dirigendis.* 173
*Partus monſtroſi hiſtoria & ſectio deſcripta.* 521

## *IV Libri Mathematici.*

Anonymi *de Bononienſi Scientiarum & artium Inſtituto atque Academia Commentarii.* 263
*De* Clausberg (*C.*) *Arithmetica methodo demonſtrativa propoſita.* 335
Leichneri (*Jo. Wilh. Theod.*) *Problema paradoxum Geometricum propoſitum.* 376
Souciet (*Steph.*) *Obſervationes Mathematicæ, Aſtronomicæ, Geographicæ, &c. partim ex antiquis Sinarum libris excerptæ, partim in India & China recens factæ. Tomus II.* 370
*Tranſactiones Philoſophicæ ad Annum 1726 & 1727. Vol. XXXIV.* 411

## *V Libri Hiſtorici, Geographici &c.*

Anonymi *Hiſtoria Academiæ Regiæ Inſcriptionum. Tomus V.* 29
*Elogium Theodori Haſæi.* 141
*Elogium Joannis Burchardi Menckenii.* 233
*Elogium Joannis Schmidii, Theologi Lipſienſis.* 388
Bayeri (*Theoph. Sigefr.*) *Specimen libri Schagjre Turki Latine converſi.* 356
Cellarii (*Chriſtoph.*) *Notitia orbis antiqui, ſive Geographia plenior; ex edit.* Jo. Conr. Schwartz. 397
Conringii (*Herm.*) *Opera. Tomus I & II.* 441
Emmii (*Ubbonis*) *Hiſtoria noſtri temporis.* 448

*Ab* Eckhart

*Ab* Eckhart (*Jo.Ge.*) *Commentarii de Rebus Franciæ Orientalis & Epiſcopatus Wirceburgenſis. Tomus I.* 145
*Tomus II.* 249
Giannonii (*Petri*) *Reſponſio ad Annotationes criticas ſuper librum nonum Hiſtoriæ civilis regni Neapolitani.* 458
Hockeri (*Jo.Lud.*) *Bibliotheca Heilbronnenſis.* 52
Imhofii (*Jac.Wilh.*) *Notitia S. R.G.J. Procerum, tam Eccleſiaſticorum, quam Secularium; ex edit.* Jo. Dav. Kœleri. 451
Infantii (*Jac.*) *Hiſtoria belli Huſſitici & Concilii Baſileenſis.* 258
Kundmanni (*Jo.Chriſtian.*) *Nummi ſingulares, ſive varii generis numiſmata rariora.* 385
*De* Montfaucon (*Bern.*) *Monumenta Francicæ Monarchiæ. Tomus III.* 97
Muratorii (*Lud. Ant.*) *Rerum Italicarum Scriptores. Tomus XVII.* 297
*Tomus XVIII.* 557
Mylii (*Jo. Henr.*) *Theophilus.* 280
Palignefii *Monita Genealogica Autori Vindiciarum Arboris Genealogicæ auguſtæ gentis Carolinæ Boicæ.* 310
Rollini *Hiſtoria antiqua Ægyptiorum, Carthaginienſium, Aſſyriorum &c. Tomi III.* 352
Sagittarii (*Caſp.*) *Hiſtoria Comitatus Gleichenſis.* 401
Scholtz (*Henr.*) *Deſcriptio nummi Saracenici, A.1712 in agro Slesvicenſi aratro detecti.* 415
Souciet (*Steph.*) *Obſervationes Mathematicæ, Aſtronomicæ, Geographicæ, Chronologicæ & Phyſicæ, partim ex antiquis Sinarum libris exceptæ, partim in India & China recens factæ. Tomus II.* 370
Thucydidis *de Bello Peloponneſiaco Libri VIII; ex edit.* Car. Andr. Dukeri. 1
W..bſt (*Chriſtian. Gottlob*) *Hiſtorica deſcriptio legum judiciorumque Saxoniæ.* 275

## *VI Libri Miſcellanei.*

Anacreontis *Odæ; ex edit.* Jo. Corn. de Pauw. 202
Anonymi *Commentarii Academiæ Regiæ Scientiarum. Tomi V.* 70
*Commentationes Philologicæ Sociorum Academiæ Regiæ Inſcriptionum.* 100
*Epiſt. ad* A. Leyſerum *de Inſcriptione: Ælia Lælia Criſpis &c.* 104
*Cogitationes de Ratione.* 223



Digitized by Google

# INDEX AUTORUM.


Anonymi *de Bononienſi Scientiarum & Artium Inſtituto atque Academia Commentarii.* 263

Aretæus *deCauſis & ſignis acutorum & diuturnorum morborum; ex edit.* Herm. Bœrhaave. 393

Aviani (*Flavii*) *Fabulæ; ex edit.* Henr. Cannegieter. 49

Auſonii (*Magni*) *Opera; ex edit.* Jo.Bapt. Souchay. 489

Boullainvillierii *Refutatio errorum Spinozæ.* 120

Buddei (*Jo.Franc.*) *Compendium Hiſtoriæ Philoſophicæ.* 49

*Obſervationes in Elementa Philoſophiæ Inſtrumentalis.* 44

Burmanni (*Petri*) *Poetæ Latini minores editi.* 11

Chubb (*Thom.*) *Collectio Tractatuum diverſi argumenti.* 83

Clauswitz (*Bened.Gottlob*) *Ratio & Scriptura in ſuo ordine.* 170

Conringii (*Herm.*) *Opera. Tomus I & II.* 441

Erharth (*Jac.*) *de Illuſtrium ac obſcurorum Scriptorum erroribus præcipuis in hiſtoria Mahometi.* 58

Fenelonii *Refutatio errorum Spinozæ.* 120

Gesneri (*Jo.Matth.*) *Epiſtola ad Lectorem de futura Scriptorum Ruſticorum editione.* 295

Heumanni (*Chriſtoph. Aug.*) *Poecile. Tomi III Liber IV.* 34

Hockeri (*Jo.Lud.*) *Bibliotheca Heilsbronnenſis.* 52

Innys (*Alexand.*) *Aretelogia, ſive Inquiſitio originis moralis virtutis.* 212

Krüſike (*Jo. Chriſtoph.*) *Vindemiarum literariarum Specim. I.* 190

*Elegidiorum atque Epigrammatum Collectio; ex edit.* Jo. Ge. Hamann. 192

Kundmanni (*Jo. Chriſtiani*) *Nummi ſingulares, ſive varii generis numiſmata rariora.* 385

Lavaurii *Hiſtoria mythica Hiſtoriæ ſacræ collata. Tomi II.* 504

Morhofii (*Dan.Georg.*) *de Legendis, imitandis & excerpendis Autoribus.* 135

*Polyhiſtor literarius; ex edit.* Jo. Alb. Fabricii. 467

Ottonis (*Everardi*) *de Tutela viarum publicarum Liber ſingularis.* 4 97

Ovidii *Metamorphoſeon Libri Gallice converſi a* Banerio. 493

Reimmanni *Catalogus Bibliothecæ Theologicæ Syſtematico-Criticus.* 377

Salig (*Chriſtian. Aug.*) *de Diptychis veterum, tam profanis, quam ſacris.* 110

Scholtz (*Henr.*) *Deſcriptio nummi Saracenici, A.1712 in agro Sleſvicenſi aratro detecti.* 415

Schwartz (*Jo.Conr.*) *Monumenta ingeniorum hujus & ſuperioris ſeculi varii argumenti. Tomus III & IV.* 166


Schwartz

Digitized by Google

Schwartz (*Jo. Conr.*) *Grammatica Latina, ex perluſtratione veterum Scriptorum concinnata.* 168

*Obſervationes quædam, quibus Taciti & Velleji loca aliqua reſtituuntur.* 290

*Conjectura de Origine vocabulorum quorundam Germanicorum.* 339

Stolle (*Gottlieb*) *Introductio in Hiſtoriam Scientiæ Medicæ.* 465

Terentii (*P. Afri*) *Comœdiæ ſex; ex edit.* Arn. Henr. Weſterhovii. 353

Theocriti *quæ exſtant, cum Græcis Scholiis.* 355

Thucydidis *de Bello Peloponneſiaco Libri VIII; ex edit.* Car. Andr. Dukeri. 1

Thura (*Alb.*) *Gynæceum Daniæ literatum.* 556

Vinck (*Dan.*) *Amœnitates Philologico-Medicæ.* 529

Vogt (*Jo.*) *Catalogus hiſtorico-criticus librorum rariorum.* 592

Wolfii (*Chriſtiani*) *Horæ ſubſecivæ Marburgenſes Anni 1729.* 331

*Pſychologia empirica, methodo ſcientifica pertractata.* 575

# INDEX RERUM NOTABILIORUM.

A.

Abh *menſis dies quintus & decimus illuſtratus.* 287

De Abrahamo *filium Deo offerente Tract.* 87

Abulgaſi Bahadur *Genealogiæ Turcarum editor.* 357

*vita.* 357

Academiæ *Scientiarum Bononienſis origines.* 264

Academiis *Saxonicis quæ jurisdictio competat?* 279

Accoltus (*Bened.*) *laudatus.* 123 *ſeq.*

*ejus vita.* 123 *ſq.*

*Hiſtoria belli ſacri recens edita.* 123 *ſeq.*

Acta *Eruditorum ab objectionibus* Weſterhovii *vindicata.* 353 *ſeq.*

*Bibliothecæ ſelectæ nomine ornata.* 38 *ſeq.*

*continuandi conſilium* Frid. Ott. Menckenii. 236

Adamas *polygonus habet vim electricam.* 128

Adami *lapſus in quantum a Deo permiſſus?* 131 *ſeq.*

*quodammodo humano generi fructuoſus dici poteſt.* 134

De Adamitis *Diſſ.* 263

Ægri *olim in compitis expoſiti.* 531

Ægyptiacæ *Philoſophiæ hiſtoria.* 41

Ægyptii *Chemiæ peritiſſimi.* 41

*Medicina clari.* 532

Ægyptii *Theologi & Phyſiologi.* 41
*primi Metempſychoſin aſſeruerunt.* 41
Ægyptiorum *veterum hiſtoria expoſita.* 352
Aeris *vis expanſiva determinata.* 126
*De* Æthiopum *in Africa vetuſtate Diſſ.* 32
Affectus *humani omnes ſunt mere mechanici.* 122
*De* Agno *ad aræ cornua ligando vaticinium explicatum.* 285. 289
Agilolfus *primus Colonienſium ArchiEpiſcopus perhibetur.* 154
Agricola (*Steph.*) *purioris doctrinæ in provin.ia Salisburgenſi inſtaurator.* 590
*De* Agrippæ *charactere Diſſ.* 30
Alabaſtri *Hohnſteinenſes deſcripti.* 75
Alcaheſt *Paracelſi explicatum.* 430
*De* Alchemia *judicium.* 427
Alciphronis *locus quidam emendatus.* 167
*De* Alexandri *M. expeditione in Perſas Diſſ.* 32. 34
Allatii *ad* Meibomium *quædam Epiſtola.* 168
*De* Allegationibus *Autorum Diſſ.* 30
Allegoricæ *Patrum expoſitiones vindicatæ.* 94 *ſeq.*
Alphabeto *tres literas addidit Childebertus II Rex Franciæ.* 149
*De* Amphictyonibus *Diſſ.* 32
Amsdorffii (*Nic.*) *cum* Ge. Majore *controverſia.* 24
Anacreontica *carmina an re vera ſint* Anacreontis? 202
Anacreonticæ *Odæ recenſitæ.* 202
Anacreontici *metri ratio.* 202
Anacreontis *loca quædam emendata.* 203 *ſeq.*
Angliæ *ob libertatem religionum felicitas prædicata.* 88
Anglicanæ *Eccleſiæ potiſſima capita.* 206 *ſeq.*
Anima *rationalis non eſt vitale principium ſui corporis.* 232 *ſeq.*
*De* Anima *doctrina methodo ſcientifica explicata.* 576 *ſeq.*
Animæ *facultates duæ præcipuæ.* 576
Animalium *deſcriptiones Anatomicæ.* 72
*hiſtoriæ inſervientes Commentarii.* 71
Animorum *a corporibus ſeparatorum ante judicium extremum locus medius.* 166
*Ex* Antimonio *remedia cujus ſint pretii?* 431
Antiochenum *Concilium.* 195
*De* Apibus *fabula autor caſtigatus.* 213
Apollinis *Delphici templo inſcriptum ει.* 507
*In* Apollogia *Aug. Conf. loca Scripturæ S. minus recte explicata.* 409
Apparitio *mortuæ ſingularis.* 561
Appetitus *in quo conſiſtat?* 577 *ſeq.*
Apulejani *Metamorphoſeon libri fabula an e Judæorum doctrina deſumta ſit?* 508
Aquilejenſe *Concilium.* 194
*ſymbolum cujus argumenti fuerit?* 408
Arabico-*Scholaſticæ Philoſophiæ hiſtoria.* 42
Architecturæ *problemata 4 reſoluta.* 71
Aretæus *emendatus.* 395
Aretæi *nova editio.* 393 *ſeq.*
Aretini (*Leonh.*) *de temporibus ſuis liber recuſus.* 166
Argelati (*Phil.*) *in Opera Sigonii merita.* 433 *ſeq.*
*De* Argento *& auro Diſſ.* 31
Arii *mors miſera expoſita.* 90
*De* Aris *vero Deo poſitis Diſſ.* 30
*De* Ariſidiano *Galliæ Epiſcopatu Diſſ.* 31

Ariſtologia

Digitized by Google

Ariſtologia *Bibliographica deſideratur.* 38
Arithmetica *methodo demonſtrativa tradita.* 335 *ſeq.*
*De* Arithmeticorum *calculorum origine Diſſ.* 30
Arndianarum *controverſiarum hiſtoria.* 28 *ſeq.*
Arno, *Archi-Epiſcopus Salisburgenſis, cur Aquila dictus?* 253
Arnoldi (*Godofr.*) *Indifferentiſmus.* 24
*controverſia & ſcripta.* 27
Arnoldus (*Theod.*) *Latine vertit* Leighii *Annotationes in N.Teſt.* 384 *ſq.*
Arnulphus, *Dux Bavariæ, Gentis Boicæ ſator perhibetur.* 311
*non fuit Arnulfi mali pater.* 311
*quis fuerit?* 316
Articuli, *quibus Eccleſia Anglicana doctrina continetur.* 205 *ſeq.*
Artificum *ars inveniendi communis explicata.* 571
Aſſyriorum *hiſtoria expoſita.* 352
*Regum hiſtoria Chronologica.* 32 *ſeq.*
Aſtronomiæ *Sinenſis hiſtoria.* 373
*De* Athenienſium *bello contra populos inſulæ Atlanticæ Diſſ.* 30
Attica *dialecto ſcriptum N. Teſt.* 479
Auguſtanæ Conf. *doctrina philoſophice demonſtrata.* 482 *ſeq.*
*Editiones Germanicæ invariatæ.* 161 *ſeq.*
*variatæ & corruptæ.* 161 *ſeq.*
*Hiſtoria Critica.* 161 *ſeq.*
*locus obſcurus explicatus.* 35
*De* Auguſti *Imperatoris charactere Diſſ.* 30
Aviani *Commentatores.* 49 *ſeq.*
*Fabulæ recens editæ.* 49
*loca quædam emendata.* 50 *ſeq.*
*De* Auro *& argento Diſſ.* 31
Aurora *borealis Bononiæ obſervata.* 270
Auſonii (*Magni*) *Carmina recens edita.* 489
*De* Auſonii *vita ac ſcriptis Diſſ.* 490
*In* Auſtria *religionis Evangelicæ ortus, & progreſſus.* 581 *ſeq.*
Autores *profani quem uſum præſtent in explicatione Scripturæ S.* 34 *ſeq.*
Autorum *in uſum Delphini editorum catalogus.* 490
*veterum codices multi MSti.* 58

B.

Babelis *turris deſcriptio ab Herodoto data.* 325
Babyloniorum *hiſtoria expoſita.* 352
*De* Bacchi *nutricibus Diſſ.* 30
Bætylia *ex Bethel derivata.* 102
*De* Bætyliis *Diſſ.* 30. 101. 102
Banerius *notatus.* 495
*De* Baptiſmo *controverſiæ variæ.* 465
Barbarica *Philoſophia explicata.* 41
*De* Barbariſmo *& Solœciſmo Diſſ.* 30
Barbariſmus *quid ſit?* 480
Barclajus *refutatus.* 88
Baronius (*Rob.*) *refutatus.* 333 *ſeq.*
Baſileenſis *Concilii Acta MSta.* 58
*hiſtoria.* 258. 261
Baſſi (*Laura Maria Catharina*) *Doctorali lauro ornatur.* 343 *ſeq.*
*in Academiam Scient. cooptatur.* 343
*inſignis eruditionis femina.* 341 *ſeq.*
*publice ex cathedra diſputavit.* 342 *ſeq.*
Bavariæ *Ducum ſtemma a variis varie conditum.* 311

Baude-

Baudelotii (*Car. Caſ.*) *elogium.* 31
Beerenſprungii *cum nonnullis controverſia.* 28
Behemoth *quodnam animal fuerit?* 140
Belemnitæ *Pruſſicæ deſcriptæ.* 329
Belenus *qualis Deus fuerit penes veteres Germanos?* 502
*S.* Bernhardi *Sermones ſuper Cantica Canticorum MSti.* 56
Betæ *languor proverbium.* 477
*Ex* Beverlandi (*Adr.*) *Otiis Oxonienſibus MStis ſpecimen datum.* 322
Beyſchlagii *Epicriſis in Pæcilen Heumanni.* 37
Bibliographica *Ariſtologia deſideratur.* 38
Bibliorum *ab Hieronymo Latine verſorum codex MStus.* 55
Bibliotheca *Fuldenſis olim fuit inſignis.* 253
 *Metrica Petri Remenſis MSta.* 55
 *ſelecta quæ ſit?* 37 *ſeq.*
Bibliothecæ *Heilsbrunnenſis arcana detecta.* 52
 *Catalogus editus.* 52 *ſeq.*
 *fata.* 53 *ſeq.*
 *Reimmannianæ fata.* 377 *ſeq.*
*De* Blanchinis (*Jac.*) *Chronicon Bononienſe editum.* 562
Böhmeri (*Juſt. Henn.*) *de divortiis controverſia.* 28
Bœrhaave (*Herm.*) *laudatus.* 14
 *ejus in Aretæum merita.* 393 *ſeq.*
Boetii *de Conſolatione Philoſophiæ codex MStus.* 57
Bohemi (*Jac.*) *errores.* 23
Bohemorum *qualis olim fuerit ſtatus eccleſiaſticus?* 259
Boivinii (*Ludov.*) *elogium.* 31
Bonifacius *primus Archi-Epiſcopus Colonienſis perhibetur.* 154 *ſeq.* 160
Bononienſis *Academiæ Scient. origines.* 264
Bononienſium *rerum Scriptores quidam editi.* 562
*De* Bono *ſummo controverſiæ Logomachiis annumerantur.* 39
Bonum *& malum in quo maxime conſiſtat?* 89
Boſius (*Lambertus*) *refutatus.* 351
 *in ejus LXXviralis interpretationis editione deſiderata.* 346
*De* Bosphori *Cimmerii Regibus Diſſ.* 101
Boullainvillierii *refutatio Spinozæ dici meretur propugnatio Spinoziſmi.* 120 *ſeq.*
Bracarenſe *Concilium.* 194
Breithaupt (*Joach. Juſt.*) *in Pietiſmi ſuſpicionem venit.* 23
 *ejus controverſia.* 24
Breitingeri (*Jo. Jac.*) *nova LXXviralis verſionis editio.* 347 *ſeq.*
Brendelii *cum* Wernsdorfio *controverſia.* 25
*De* Brugis (*Petr.*) *inſignis ſub Carolo V Rege Franciæ pictor.* 97
*De* Brundelsheim (*Conr.*) *Sermones MSti.* 56
Brunechildis *pia primum, poſt degener.* 150
Buddei (*Jo. Franc.*) *Philoſophia Inſtrumentalis enarrata.* 44 *ſeq.*
Bücheri *cum Zieroldo controverſia.* 24
Burmannus (*Petr.*) *copioſus in laudandis viris doctis.* 14
 *editor Poetarum Latinorum minorum.* 11 *ſeq.*
 *laudatus.* 13


Burman-

Burmannus (*Petr.*) *modeſtus in emendandis Autoribus.* 13
*notatus.* 14
*novam Virgilii editionem, & Catalectorum Poetarum, promittit.* 12
*ejus invectivæ in Poetarum Venaticorum editores & Typographos.* 12
Buzicus (*Theodoricus*) *an Domus Saxonicæ ſator fuerit?* 457

C.

*De* Cajevaire *vocabulo Gallico Diſſ.* 31
Calculo *ſanando an aliud, præter ſectionem, remedium habuerint veteres?* 395
*De* Calculorum *Arithmeticorum origine Diſſ.* 30
*In* Calculoſi *ſectione obſervationes.* 412
Calendariorum *eccleſiaſticorum origo.* 112
Calixti (*Georg.*) *controverſiæ ſyncretiſticæ.* 22
*Cum* Cane *certamen hominis ſingulare.* 98
Cannegieter (*Henr.*) *Aviani editor.* 49 *ſeq.*
Capitalium *criminum reis non denegatus eſt olim ad eccleſiam reditus.* 305 *ſeq.*
Capitis *ornatus feminarum Francicarum admodum prolixus.* 100
Cappelli (*Lud.*) *hiſtoria Apoſtolica an merito paradoxica dicta?* 380
Capponiorum (*Gini & Nerii*) *de rebus Florentinorum libri editi.* 564 *ſeq.*
*vita & merita.* 566
*ſepulchralis inſcriptio.* 567
Carait *gentis deſcriptio.* 363
Caroli *M. in religionem Chriſtianam merita.* 117
Caroli *M. nomen num unquam litera K ſcriptum?* 253
Carolo *M. num datum nomen Baſilei?* 253
Carolus *M. Imperator varia in Imperio Rom. Germ. mutavit.* 253
*V Rex Franciæ, magnus literatorum fautor.* 98
Carpzovius (*Jo. Bened.*) *autor libri: Ausführl. Beſchreibung des Unfugs derer Pietiſten, perhibetur.* 38
Carteſii (*Renati*) *vita & Philoſophia explicata.* 43
Carthaginienſium *hiſtoria expoſita.* 352
Caſſerii *muſculus tranſverſus deſcriptus.* 176
Caſſini *Opera Aſtronomica.* 71
Catonis *Diſtichorum editio promiſſa.* 52
Catechiſmi *Lutheri hiſtoria expoſita.* 408
Cellarii (*Chriſtoph.*) *Geographia plenior recens edita.* 397
Celtarum *Philoſophi qui fuerint?* 41
Cerebrum *per fontanellam extra cranium prorumpens.* 525
Cer. Per. *in Nummis Sidoniis quid ſignificet?* 31
Certamen *hominis cum cane ſingulare.* 98
*Cum* Cervis *comparati Apoſtoli.* 138
Chatæi *deſcripti.* 364 *ſeq.*
Charnenſe *Concilium.* 195
Chemiæ *deſcriptio.* 426
*hiſtoria.* 426
*inſtrumenta activa.* 428
*multis in artibus uſus.* 427
*origo illuſtrata.* 43
Childeberti *II res geſtæ.* 149
Chlodovæi, *Regis Francici, res geſtæ.* 148

Chriſtianæ *religionis ortus & per totum orbem progreſſus enarratus.* 113 *ſeq.*
— *propagandæ media genuina & ſpuria.* 117 *ſeq.*
— *remoræ & impedimenta.* 115
Chriſto *varia prædicata in Script. S. competunt.* 569
Chriſtus *an ſolus Rex ſit in regno ſuo?* 87
Chriſti *æterna divinitas vindicata.* 89 *ſeq.*
— *gloria adverſus Deiſtas vindicata.* 89
— *miracula vindicata.* 94 *ſeq.*
Chryſopolitæ (*Zach.*) *Concordia Evangeliſtarum MSta.* 56
Chryſoſtomi *nomen e diptychis deletum.* 113
Chytræus (*Dav.*) *inter Auſtriacos de religione Evangelica bene meretur.* 583
*De* Cibeles *ſtatuis Diſſ.* 30
*Ad* Ciceronis *locum quendam Diſſ.* 30
— *Lucullum obſervationes.* 30
Ciceronis *loca quædam emendata.* 37
Cirrha & Criſſa *utrum urbes diverſæ, an una eademque, fuerint? Diſſ.* 30
Civilis *imperii in rebus religionis autoritas deſtructa.* 89
Claggettus *refutatus.* 84
Clairaults *Mathematici in Gallia illuſtres.* 294
Claudianus *emendatus.* 51
*In* Clericos & *Laicos diviſio re ipſa nulla eſt.* 463
Clotarius *II Rex Franciæ non ineruditus.* 150
Cluverius *refutatus.* 401
Cobalti *deſcriptio.* 413
*De* Cognatione *argumentum Juridicum Philoſophice explicatum.* 333
Colinus (*Ant.*) *refutatus.* 116
Colonienſis *Archi-Epiſcopus primus quis fuerit?* 154 *ſeq.*
Colores *quatuor in Eccleſia Rom. uſitati.* 66
*De* Columnis *Sethi varia.* 505
Condictio *triticiaria quid ſit?* 512
Conchyliorum *claſſes.* 327
— *definitio.* 327
Concilia *Eccleſiaſtica recenſita.* 193 *ſeq.*
Concilii *Baſileenſis hiſtoria.* 258. 261
Conradi *Philoſophici Chronicon quo ſcriptum autore ſit?* 314
Conringii (*Herm.*) *controverſia.* 444 *ſeq.*
— *ingens ex ſcripto quodam edito lucrum.* 447
— *in Lampadium merita.* 446 *ſeq.*
— *Opera Hiſtorica, Politica, præſertim ad Jus Publ. ſpectantia, edita.* 445 *ſeq.*
— *ſcripta recenſita.* 443 *ſeq.*
— *vita.* 443
Confutio *ſingularis cultus habitus.* 119
Congelationum *artificialium phænomena.* 127
*De* Conſcientiæ *libertate Tract.* 84
*In* Conſtantienſi *Concilio habiti ſermones* 36 *MSti.* 58
Conſtantienſis *Concilii Acta MSta.* 58
Conſtantini *M. res geſtæ enarratæ.* 116
Conſtantinopolitana *Pſeudo-Synodus.* 196
Conſtantinopolitanum *Concilium.* 194
Conſulis *nomen a Principibus olim affectatum.* 511
Controverſiarum, *quæ in Eccleſia agitatæ ſunt, hiſtoria.* 20
*Ad* Corinthios *Epiſtola Pauli Commentario illuſtrata.* 320 *ſeq.*

Corona

Digitized by Google

Corona *Imperii Rom. Germ. num a temporibus Caroli M. ortum durat?* 445
Coronæ *radiatæ in nummis Regum Francorum.* 150
*De* Corpore *poſt mortem eadem figura reſurrecturo Diſſ.* 187
*De* Corporibus *projectis ſententia Gallilæi ſtabilita.* 128
Corporis *movendi vis.* 77
*notio quomodo formanda?* 76
Corpuſcula *teſtacea copioſa in arena Bononienſi.* 265
*De* Cothurniatis *nummis Diſſ.* 31
Crellius (*Sam.*) *refutatus.* 321 *ſeq.*
Criſſa & Cirrha *utrum fuerint diverſæ urbes, an una eademque? Diſſ.* 30
Critica *cum Hiſtoria conjungenda.* 472
*De* Criticis *regulis in emendatione veterum ſcriptorum obſervandis Diſſ.* 30
Crucis *S. geſtatio ritus ſacer olim.* 64 *ſeq.*
Crypto-*Calvinismi hiſtoria.* 21
Cryſtallus *montana deſcripta.* 265
Curtii *locus quidam emendatus.* 36
*De* Cygnorum *cantu Diſſ.* 31
Cyprianus (*Ern. Sal.*) *Hiſtoriæ Gleichenſis Sagittarianæ editor.* 401 *ſeq.*
*De* Cyri *cum Crœſo prælio Diſſ.* 101

D.

Dacierii (*Andr.*) *elogium.* 31
*De* Damaſceni (*Nic.*) *vita & libris Diſſ.* 101
Damii *errores.* 24
Dania *feminarum eruditarum ferax.* 536
*De* Daphnide *paſtore Diſſ.* 101
*De* Daphnidis, *Bucolici Poetæ, patria Diſſ.* 30
Decius *uterque quo tempore Romam reliquerit adverſus barbaros pugnaturus?* 309
*De* Delayto (*Jac.*) *de geſtis Nicolai, Marchionis Eſtenſis, liber editus.* 563
*cognomen unde?* 564
*vita & munera publica.* 564
*De* Delphinatus *mirabilibus ſeptem Diſſ.* 101
Demonſtrativæ *methodi in Jure uſus.* 367
Demſterus (*Thom.*) *notatus.* 125
*ejus vita.* 123
Dendrites *elegans.* 75
*De* Deo *doctrina philoſophice demonſtrata.* 483
Derivationis *in vena ſectione regulæ.* 230
Deſcenſum *Chriſti ad inferos quæ ſymbola doceant?* 408 *ſeq.*
Deus *quid ſit?* 484
Dei *facies quid ſignificet?* 15
*filii character perſonalis.* 84
*juſtitia qualis ſit?* 86
*infinita num dici poſſit?* 86
*poſteriora quid ſignificent?* 15
*ſatisfactio num dici poſſit infinita?* 86
Diarii *Clef du Cabinet des Princes 40000 exempla ſunt divendita.* 474
Diariorum *literariorum elenchus.* 469
472
Dictatorem *creandi in calamitate publica mos Romanorum.* 100
Dii *viales veterum qui fuerint?* 498
Diodatus *pontificius fuiſſe perhibetur.* 380
Diœceſis *Epiſcopalis, quam Sec. IV habuit Pontifex Rom. amplitudo.* 66 *ſeq.*
S. Dionyſii *Areopagitæ reliquiæ Ratisbonenſibus vindicatæ.* 256

*De* Dionyſii *Halicarn. Epiſtola ad Pompejum Diſſ.* 30
Dippelii (*Jo.*) *errores.* 24. 27
Diptycha *veterum explicata.* 110 *ſeq.*
*De* Diptycho, *Divione reperto, Diſſ.* 31
*Leodienſi liber.* 111
Ditzingeri *cum Mayero controverſia.* 24
Divinitas *ſoli Deo Patri, excluſo Filio, aſſerta.* 83 *ſeq.*
Divinitatis *æterna Jeſu Chriſti vindicia.* 89 *ſeq.*
Doctorali *lauro ornata femina.* 343 *ſeq.*
*De* Dodonæo *oraculo Diſſ.* 30
Dodwelli (*Henr.*) *Annalium Thucydideorum pars.* 1
Dominicæ *poteſtatis apud veteres Rom. limites.* 461
Dominii *rerum fundamenta.* 84
Dreſingii *cum nonnullis controverſia.* 28
Druidum *nomen unde originem duxerit?* 140 *ſeq.*
Dukerus (*Car. Andr.*) *editor Thucydidis.* 1
*laudatus.* 9
*notatus.* 6. 8. 9 *ſq.*
*ejus emendationes Thucydidis.* 5. 9

E.

Eccardi (*Jo. Georg.*) *ſepulchri monumentum.* 145
Eccleſia *quid ſit?* 403
Eccleſiæ *an competat jus abſolutionem peccatoribus denegandi?* 309
*Evangelicæ in Auſtria ortus & progreſſus.* 581 *ſeq.*
*primæ præconibus extraordinarium a Deo auxilium præſtitum.* 185
*ſuburbicariæ quæ fuerint?* 167 *ſeq.*
*De* Eccleſiæ *unitate Tract.* 87
*Inter* Eccleſias *Apoſtolicas & Evangelico-Lutheranas comparatio inſtituta.* 582
Eccleſiaſticæ *leges in veteri eccleſia nullæ fuere.* 462
*pœnæ determinatæ.* 465
*poteſtatis initia.* 463
Eccleſiaſticarum *perſonarum jura determinata.* 464
*rerum jura quæ ſint?* 464
Echini *deſcriptio.* 329
Echinites *cordatus deſcriptus.* 432 *ſeq.*
Eclipſeos *miraculoſæ cum alia confuſio.* 376
Eclipſium *quæ olim a Sinenſibus cauſa credita?* 373
Edſardi, *Comitis Friſiæ Orientalis, hiſtoria deſcripta.* 449 *ſeq.*
Eilmari *cum Frobnio controverſia.* 24
Elceſæi *errorum perveſtigatio.* 166
*De* Elegia *Græca & Latina Diſſ.* 101
Elephanti *deſcriptio.* 395 *ſeq.*
Embdanæ *civitatis libertas expoſita.* 449
*cum Comitibus Friſiæ Orientalis diſſidia.* 449 *ſeq.*
*tranſactiones initæ.* 450
Emmius (*Ubbo*) *civitati Embdanæ addictiſſimus.* 451
Emmii (*Ubbonis*) *hiſtoria noſtri temporis poſthuma.* 448
*incongrue ita appellata.* 449
Encrini, *lapidis figurati, deſcriptio.* 73
Ens *modificatum homo dictus.* 121
Enthymemata *Mariana quæ ſint?* 37
*monoſticha num dentur?* 37
Epicuri *quædam præcepta explicata.* 168

Epino-

Epinomis, *Dialogus Platonicus, quo ſcriptus autore ſit? Diſſ.* 30
*De* Epiſcopatibus *Saxoniæ Obſervationes.* 160
Epiſcopatuum *Germaniæ ſcriptores recenſiti.* 146
Epocha *Sinenſium ſingularis.* 373
*De* Epponina, *uxore Sabini, Diſſ.* 101
Equus *albus ſupremi dominii in Gallia ſymbolum.* 99
D'Erberg (*Matthias*) *primus e Proteſtantibus S.Script. in linguam Italicam traduxit.* 380
*De* Euripidis *nonnullis locis Diſſ.* 30
*Ex* Euſebio *collecta in N.Teſt. annotationes.* 326
Excerpendi *ars monſtrata.* 136

F.

Fabricius (*Jo. Alb.*) *laudatus.* 114
*ejus in novam Thucydidis editionem merita.* 7
*in Polyhiſtorem Morhofii merita.* 467 *ſeq.*
Fabulæ *Aviani recens edita.* 49
Fabularum *origo ad quæ tempora referenda?* 493
Fabulas *ſcite condidit Ovidius.* 493 *ſeq.*
Facies *Dei quid ſignificet?* 15
*glorioſa Moſis quæ fuerit?* 16
Falcidia *quomodo computanda?* 367 *ſq.*
*De* Felicitate *hominis opiniones veterum Philoſophorum dijudicatæ.* 31
Fenelonii *epiſtola Anti-Spinoziana.* 122
*Sub* Ferdinando *I Imp. quæ fuerit Evangelicæ religionis in Auſtria facies?* 583 *ſeq.*
Ferdinandi I *ad Lutherum Epiſtola pro ſuppoſititia habetur.* 583
Feudalis *Juris termini quidam ad diſtinctas notiones revocati.* 332
Fichardus *Statutorum Francofurtenſium conditor.* 80
*De* Fide *Hiſtorica Diſſ.* 100
Fides *actualis in Chriſtum non eſt in omnibus hominibus neceſſaria.* 133
*in quo conſiſtat?* 86
Flacianiſmi *hiſtoria.* 21
Floridi (*Juliani*) *in Auſonium merita.* 489 *ſeq.*
Fœminæ *eruditæ Daniæ.* 536
*exemplum illuſtre.* 341 *ſeq.*
*De* Fœminarum *apud veteres Germanos veneratione Diſſ.* 31
Fœtuum *ſignaturæ quæ ſint?* 522
*unde deducendæ?* 232
Fontes *in Cimonis montis altiſſimi vertice ſcaturientes.* 265
Formulæ *Concordiæ hiſtoria.* 22
Franciæ *Orientalis hiſtoria.* 146. 249 *ſq.*
Franckius (*Aug. Herm.*) *in Pietiſmi ſuſpicionem venit.* 23
Francofurti *ad Mœnum initia.* 153
*Jura ſtatutaria relata.* 80 *ſeq.*
Francorum *irruptiones in Germaniam Galliasque.* 147
*nomen unde?* 147
*Reges usque ad Chilperici mortem.* 147 *ſeq.*
Freylingshauſenio *mota controverſia.* 24
*Inter* Friſiæ *Orientalis Comites & civitatem Embdanam tranſactiones initæ.* 450
*Cum* Friſiæ *Orientalis Comitibus Embdanæ civitatis diffidia.* 449 *ſq.*
Frohnii *cum Eilmaro controverſiæ.* 24
Fumus *in vacuo excitatus fundum petit.* 126
*De* Furiis *Diſſ.* 31
Furnus *ſtudioſorum qualis ſit?* 430.

G.

*Ad* Galatas *Epiſtola Pauli Commentario illuſtrata.* 320 *ſeq.*
Galliæ *hiſtoria ex picturis illuſtrata.* 98
— *Regum cultus quomodo paſſim fuerit immutatus?* 99 *ſeq.*
*De* Galliæ *Regum primæ ſtirpis ſucceſſione hæreditaria Diſſ.* 101
Gallilæi *ſententia de corporibus projectis ſtabilita.* 128
Gallorum *Philoſophi qui fuerint?* 41
Gaſt, *terminatio nominum, quid denotet?* 147
Gatari (*Galeatii*) *ætas & merita.* 298
— *Hiſtoria Patavina edita.* 298
— *nomen unde originem ducat?* 299
*De* Gataris (*Andr.*) *ætas & merita.* 298
— *Chronicon Patavinum editum.* 298 *ſeq.*
*De* Gazata (*Sagacii & Petri*) *Chronicon Regienſe editum.* 558
— (*Petrus*) *quis fuerit?* 559
— *ejus mors & tumulus.* 559
— (*Sagacius*) *quis fuerit?* 559
Gelenius (*Ægid.*) *refutatus.* 154 *ſeq.*
Genealogiæ *Principum S.R.G.J. illuſtratæ.* 453 *ſeq.*
*In* Genealogiis *fabuloſæ maxime origines quæruntur.* 311
Gentiles *propter Adami peccatum non neceſſario damnantur.* 133
— *religioni Chriſtianæ vehementer repugnarunt.* 115
Geometricum *problema paradoxum.* 376
Georgius (*Dominicus*) *notatus.* 62
*De* Gerberi (*Chriſt.*) *hiſtoria regenitorum judicium.* 382
*De* Gergoviæ, *antiqua Galliæ oppido, Diſſ.* 101

Gerhardi (*Lud.*) *ἀποκαταστάσεως ſyſtema.* 29
Germanorum *cultus ethnicus.* 152
Geſenii *Catechiſmus controverſiis occaſionem dedit.* 29
Geſneri (*Conr.*) *in hiſtoriam literariam merita.* 470 *ſeq.*
— (*Jo. Matth.*) *Scriptores rei ruſticæ promiſſi.* 295 *ſeq.*
Ghirardaccius, *ſcriptor Bononienſis, notatus.* 562
Giannonii (*Petri*) *Hiſtoria Neapolitana contra obtrectatorem Italum vindicata.* 458 *ſeq.*
Glaciei *in vacuo concretæ differentia.* 127
Glaſſiana *Philologia laudata.* 34
Gleichenſis *Comitatus amplitudo & fines.* 403 *ſeq.*
— *exemtio ab oneribus Imperialibus.* 404
— *hiſtoria.* 401 *ſeq.*
— *incrementa.* 404
— *origo.* 403
Globus *aureus ab aqua in glaciem verſa dilatatus & ruptus.* 127
Gloriæ *cupiditati virtus moralis ortum ſuum debet.* 218
Gœbelii (*Jo. Wilh.*) *in Opera Conringii merita.* 441 *ſeq.*
Gœtzii (*Jo. Melch.*) *cum nonnullis controverſiæ.* 28
Grabii (*Jo. Ern.*) *LXXviralis interpretationis editio laudata.* 346
Gradenſe *Concilium.* 194
Graduum *conſanguinitatis computatio ab abſurditate liberata.* 333
Græcanicæ *Philoſophiæ hiſtoria.* 42
Græci *Medici incluti.* 532
Græcorum *hiſtoria deſcripta.* 352
Grammatica *nova Latina.* 168

Gram-

Digitized by Google

Grammaticorum *ſectæ, ſive hæreſes, recenſitæ.* 39
Grammii (*Jo.*) *in novam Thucydidis editionem merita.* 3. 7
Graveſandius *laudatus.* 71
Gregorii *M. epiſtolarum regiſtrum.* 195
*De* Griffonibus (*Matth.*) *Memoriale Rerum Bononienſium editum.* 560
*vita & in literas merita* 560 *ſeq.*
*Van* Grönefeld (*Jo.*) *in Aretæum merita.* 394

H.

Hæreditatis *inter plures hæredes inſtitutos diviſio quomodo inſtituenda?* 367 *ſeq.*
Hæreſiarchæ *primitivæ eccleſiæ recenſiti.* 116
Hæretici *quomodo ſint puniendi?* 465
Haferungii (*Jo. Caſp.*) *cum Claudio & Wernsdorffio controverſia.* 26
Hanii (*Phil. Frid.*) *de Eccleſiæ Evangelicæ in Epiſcopatu Salisburgenſi ortu & progreſſu liber promiſſus.* 587
*De* Hannibalis *tranſitu Alpino Diſſ.* 30
*Von der* Hardt (*Herm.*) *notatus.* 32
*ejus in Jobum Commentarius MStus.* 380
*ſcripta immerito atheiſticis annumerantur.* 384
Haſæi (*Theod.*) *vita, ſcripta & merita.* 141 *ſeq.*
Havercampus *pro adjutore habetur novæ Poetarum Venaticorum editionis.* 12
*Ab* Hebræis *ad Ægyptios omnium rerum ſcientia manavit.* 505
Hebræorum *Philoſophia explicata.* 40
Hebraismi *in Scriptura S. ſtylo nusquam obvii.* 323
*N. Teſtamento exulant.* 478
Hebraismus *quid ſit?* 479
*De* Hecatæo *Mileſio Diſſ.* 101
Hedingerus *Pietiſtis adſcriptus.* 24
Heilsbrunnenſis *Bibliotheca arcana detecta.* 52
*catalogus editus.* 52 *ſeq.*
*fata.* 53 *ſeq.*
Helleniſtæ *qui fuerint?* 114
Hermanni, *Monachi, Chronicon, Flores temporum inſcriptum, promiſſum.* 166
Hermenevticæ *quæ ratio?* 46
*Ex* Herodoto *in Scripturam S. collectæ annotationes.* 323 *ſeq.*
*De* Heſychii *ætate & Lexico Diſſ.* 30
*Ad* Heſychii *loca quædam animadverſiones.* 30
Hieronymi *Verſio Bibliorum MSta.* 55
Hippocratis *hiſtoria.* 466
Hiſpalenſe *Concilium.* 195
*De* Hiſtoriæ *antiquæ ſtudio Diſſ.* 100
Hiſtoriam *literariam ſcriptis explicandi modi varii.* 469
Hiſtorici *Græci cum Romanis comparati.* 100
Hœpfneri *cum nonnullis controverſia.* 28
Hoffmanni (*Dan.*) *& Baſilii Sattleri controverſia.* 22
*De* Holſatorum *expeditionibus ſacris liber promiſſus.* 425
Holtii (*Nic.*) *nova Evangelii Johannæi explicatio.* 571
*De* Homeri *editione prima Diſſ.* 31
*loco quodam Diſſ.* 30
Horatii *codices MSti.* 58
*In* Horatii *locum quendam Diſſ.* 30
Horologio *quis pendulum pondus primus applicuerit?* 126
*De* Hortenſii *oratoris vita Diſſ.* 101
Huberianismi *hiſtoria.* 22
Hudſonus (*Jo.*) *editor Thucydidis.* 2

Hun-

Digitized by Google

Hungaricæ *hiſtoriæ theſaurus promiſſus.* 486 *ſeq.*
Hunni *ab Hungaris diverſi.* 256
Huſſi (*Jo.*) *vita.* 259 *ſeq.*
Huſſitarum *nonnulli olim in Saliſburgenſi provincia conſederunt.* 589
Huſſitici *belli hiſtoria.* 258

I.

Ideæ *humanæ varii ſunt generis.* 225 *ſeq.*
Ignis *pabulum oleum.* 428
*præſentis nota rarefactio corporum.* 428
*producendi modi varii.* 428
Illiberitanæ *Synodi ætas.* 310
Imaginationis *operationes.* 579 *ſeq.*
Imhofii (*Jac. Wilh.*) *notitia S. R. G. J. Procerum recens edita.* 452 *ſeq.*
*De* Imitandi *recta ratione Diſſ.* 100
Imitationis *vera ratio monſtrata.* 136
Imperatorum *ac Regum nomina e diptychis publice in eccleſia recitandi mos.* 112
*De* Imprecationibus *parentum adverſus liberos Diſſ.* 30
Incubatio *in templis Deorum.* 531
Index *librorum probibitorum qualis editus ſit primus?* 382
Infantii (*Jac.*) *mirum mortis præſagium.* 259
*vita & ſcripta.* 258 *ſeq.*
Infantum *in parentibus fidelibus ſtatus gratiæ explicatus.* 19
Inſcriptionis *Sigeæ nova explicatio.* 104
Inſcriptiones *aliquot priſcæ illuſtratæ.* 31
*quædam veteres emendatæ.* 167
Inſtitutiones *Juris Græcæ critice explicatæ.* 281 *ſeq.*
Inſtitutionum *Juris codices MSti tres.* 57
*In* Inſtitutionum *Juris paraphraſin Commentaria promiſſa.* 283
*Græcam variorum merita.* 283
Intellectus *operationes variæ.* 577
Inteſtinorum *tunica cribriformis.* 271
*In* Jobum *Commentarius MStus Hermanni von der Hardt.* 380
Johannæi *Evangelii nova explicatio Holtiana.* 571
*De* Johanna *Papiſſa fabula confutata.* 255
Iſelgrün *cur ſit nomen lupi in fabulis Romanticis?* 257
*De* Iſide *ſub figura navis a Suevis culta Diſſ.* 31 *ſeq.*
*De* Ἰσόψηφος *vocabulo Diſſ.* 30
Iſraelitæ *quibus alimentis, manna deficiente, uſi ſint?* 166
Iſraelitarum *ex Ægypto exeuntium multitudo vindicata.* 167
*De* Iſthmiis *ludis Diſſ.* 30
Iſtrienſis *Pſeudo-Synodus.* 195
Judæi *omnibus modis Chriſtianæ religioni reclamarunt.* 115
Judicia *Saxoniæ enarrata.* 277 *ſeq.*
Julia *lex Majeſtatis illuſtrata.* 462
Jupiter *olim viatorum Deus.* 503
Juriæus *ob vertiginem ſe abdicavit munere eccleſiaſtico.* 380
Juriſconſultorum *veterum latinitas vindicata.* 461
Juris *Naturæ Inſtitutiones methodo Geometrica concinnatæ.* 78 *ſeq.*
*Rom. Theſauri nova editio promiſſa.* 96
*quale ſit principium?* 48
Jurisprudentiæ *defectus quidam notati.* 47 *ſeq.*
*hiſtoria promiſſa.* 467
Jurisprudentiam *docentium quæ ſint requiſita?* 48

Juſtifi-

Juſtificatio *in quo conſiſtat?* 85
De Juſtificationis *forma circa ævum Aug. Conf. rite aſſerta Diſs.* 164 *ſeq.*
Juſtinianus *Imperator nummos aureos ſua effigie cudere Francorum Regibus permiſit.* 149
Juvenalis *codices MSti.* 58

K.

Keſtnerus (*Chriſt.Wilh.*) *laudatus.* 467
S. Kiliani *oſſa ubi condita?* 152
Kirche *vox unde ortum ducat?* 339 *ſeq.*
Kirgiſi *populi deſcripti.* 360 *ſeq.*
A Klein-Nicolai *turbæ excitatæ.* 26
Klemmius *primus conſiliis irenicis occaſionem dediſſe perhibetur.* 382 *ſeq.*
Köleri (*Jo.Dav.*) *in Imhofii notitiam S.R.G.J. Procerum annotationes.* 452 *ſeq.*
Kohlii (*Franc. Th.*) *Commentationes criticæ laudatæ.* 37
Kraftii *cum nonnullis controverſiæ.* 28
Krüſikii (*Jo. Chriſt.*) *Elegidia & Epigrammata.* 192

L.

Labium *leporinum.* 528
De Labyrintho *Ægyptiaco Diſs.* 30
Ladanum *quale genus aromatum?* 325
Lagus (*Georg.*) *ex qua gente oriundus?* 12
Lambecii *in hiſtoriam literariam merita.* 470
De Lamberg *Principum Germ. Genealogia illuſtrata.* 454 *ſeq.*
Lamii (*Franc.*) *refutatio ſyſtematis Spinozæ.* 122
In Lampadium *merita Conringii.* 446 *ſeq.*
Lampius (*Frid.Adolph.*) *refutatus.* 571
Langii (*Joach.*) *cum nonnullis controverſia.* 24. 25. 26
Langius (*Matth.*) *purioris doctrinæ incrementa in provincia Salisburgenſi valde remoratur.* 591
Lapidis *Bononienſis natura explicata.* 267
Lapidum *quorundam figuratorum examen promiſſum.* 386
Lapis *in agro Viennenſi corporibus marinis refertus.* 266
*muſicalis deſcriptus.* 432
De Laverna *Dea Diſſ.* 31
Laureshamenſium *Annalium quis autor fuerit?* 254
Leges *eccleſiaſticæ in veteri eccleſia nulla fuere.* 462
*Juris Civ. multæ emendatæ.* 515 *ſeq.*
*variæ illuſtratæ.* 461
*Saxonicæ enarratæ.* 275 *ſeq.*
De Legibus *Galliæ ſumtuariis Diſſ.* 101
De Legione *fulminatrice quid ſentiendum?* 116
Legis *Regiæ origo & progreſſus.* 510
Leibnitius (*Godofr.Guil.*) *laudatus.* 44
*ejus Flores in tumulum Papiſſæ ſparſi, liber MStus.* 255
Leighius (*Eduardus*) *potiora ſcripta ſua in carcere elaboravit.* 385
*ejus vita.* 384
Lexicon *literarium Medicum promiſſum.* 467
Lex *Julia Majeſtatis illuſtrata.* 462
*Petronia illuſtrata.* 459 *ſeq.*
Libere *cogitantium ſecta vituperata.* 225 *ſeq.*
De Libertate *hominis naturali Tract.* 88 *ſeq.*
De Libris *varii generis ſcriptores ſelecti.* 190 *ſeq.*
Librorum *variorum catalogus.* 592
Ligamenta *plantæ pedis deſcripta.* 177 *ſeq.*

Lilia *in ſcutis & inſignibus Franciæ ſub Carolo VI ad ternum numerum redacta.* 99
*De* Lingua *Sinenſi Diſſ.* 31
*In* Lipenii (*Mart.*) *Bibliothecis deſiderata.* 471
Literæ *cur vigeant modo, modo negligantur, Diſquiſitio.* 31
*De* Literis *antiquitus in Gallia cultis Diſſ.* 31
Lithologia *plenior promiſſa.* 73
Lithotomia *ſecundum apparatum altum novo inſtrumento peracta.* 129
Lituus *polythalamii ſpecies.* 327
Liutpoldus *fuit Arnulfi mali pater.* 311
*ſator Gentis Boicæ.* 311 *ſeq.*
*ejus dignitas & res geſtæ.* 312
Lockii *de corporis reſurrectione ſententia examinata.* 188
Lœſcheri (*Val. Ern.*) *cum Joach. Langio controverſiæ.* 25. 26
Logarithmorum *ad numeros 32 porrecta tabula promiſſa.* 336
*centum ex ſeriebus derivatorum tabula.* 336
Longinus *illuſtratus.* 30
Lotharii *I Regis Francorum res geſtæ.* 149
Lotteri (*Jo. Georg.*) *in Leighii Annotationes in N. Teſt. Præfatio.* 385
Lucani *codices MSti.* 58
*De* Ludewig (*Jo. Petr.*) *refutatus.* 456
*De* Ludi *Scacchici origine Diſſ.* 30
*De* Ludis *Iſthmiis Diſſ.* 30
Ludorum *equeſtrium veterum a torneamentis diverſitas.* 255
Ludovicus *S. Rex Galliæ, primus inter Sanctos relatus.* 118
*In* Luna *obſervata macula Platonis.* 413
Luna *olim a Germanis pro Dea habita.* 502
*An* Lutherus *fuerit Anti-Pietiſta?* 25
Luxuriæ *vera notio.* 219
*De* Lydiæ *Regibus & Regno Diſſ.* 31 *ſeq.*

## M.

Macedonum *hiſtoria expoſita.* 352
*De* Mæcenatis *charactere Diſſ.* 30
Magiſtri (*Thom.*) *eclogarum de vocibus Atticis nova editio promiſſa.* 322
Magnes *vim ſuam in vacuo quoque exerit.* 126
*In* Mahommedi *hiſtoria errores Scriptorum recenſiti.* 58 *ſeq.*
Maji (*Jo. Henr.*) *cum nonnullis controverſia.* 25
Majoris (*Georg.*) *cum Nic. Amsdorffio controverſia.* 21
Malum *nec naturale, nec morale, a Deo ortum habet.* 88
Maranenſis *Pſeudo-Synodus.* 195
*S.* Marci *Evangelii codex MStus omnium vetuſtiſſimus creditus.* 103
Marcionitarum *hæreſis ortus & progreſſus.* 309
Mariana *enthymemata quæ ſint?* 37
*In de* Marlborough *Ducis obitum Epigramma.* 192
*Contra* Marpergerum (*Bernh. Walth.*) *nonnullorum, Neumeiſteri maxime, ſcripta edita.* 26
Martenius *refutatus.* 256
Martyribus *quales olim honores habiti?* 112
Martyrologiorum *origo.* 112
Martyrum *privilegium pacem excommunicatis dandi.* 308
Maſcovius (*Jo. Jac.*) *laudatus.* 160
*Sub* Maximiliano *I & II Imp. quæ fuerit Evangelicæ religionis in Auſtria facies?* 582. 583
Maximilianus *II præceptoribus uſus eſt Evangelicis.* 584

Mayeri

Digitized by Google

Mayeri (*Jo. Frid.*) *cum Ditzingero controverſia.* 24
*cum Theologis Halenſibus controverſia.* 24
*cum Theologis nonnullis Hamburgenſibus controverſia.* 23
Medicarum *ſectarum conditores.* 466
Medici *Ægyptii clari.* 532
*an Romæ ſervi fuerint?* 534
*Græci incluti.* 532
*noſtræ ætatis antiquioribus prælati.* 466
*omnium ætatum recenſiti.* 466
*Romani celebres.* 532
Medicina *cur muta a Virgilio dicta?* 533
Medicinæ *a Romanis neglectæ cauſæ.* 534
*origo & progreſſus.* 465 *ſeq.*
*origines divinæ.* 530
Medicis *an gentes quædam caruerint?* 531
Medicum *literarium* Lexicon *promiſſum.* 467
Medicorum *hiſtoria expoſita.* 352
Melanchthon (*Phil.*) *multum contulit ad Crypto-Calvinismum.* 21
Melodii (*Chriſt.*) *errores.* 29
Memmingenſium *doctrina & ſcriptis clariorum memoria promiſſa.* 60
Menckenii (*Jo. Burch.*) *Lexicon Eruditorum laudatum.* 470
*vita, merita, ſcripta & obitus.* 233 *ſeq.*
(*Frid. Ott.*) *continuandi Acta Eruditorum conſilium.* 236
Menesbrenſis *Synodus.* 195
*In* Menſium *fluxu fibræ vaſorum non divelluntur.* 369
*ſanguis in vaſa lymphatica protruditur.* 370
Menſium *fluxus a plethora cietur.* 368
*ſuppreſſio ab atonia vaſorum.* 370
Menſtrua *non ſolo motu mechanico agunt.* 419
Menſtrui *Chemici definitio.* 419
Menſtruorum *claſſes variæ.* 419
Mente *ſola abſolvitur hominis eſſentia.* 222
Mercatura *vera virtute ſtabilitur.* 219 *ſeq.*
Metri *Anacreontici ratio.* 202
Metropolis *civilis an ſit ſimul eccleſiaſtica?* 158 *ſeq.*
*quando facta Colonienſis eccleſia?* 160
*De* Micrometris *Tract. Azuti.* 71
*De* Minervæ *Iliadis nummo Diſſ.* 39
*De* Mirabilibus *ſeptem Delphinatus Diſſ.* 101
Miracula *Chriſti vindicata.* 94 *ſeq.*
Miſſa *Mozarabica explicata.* 112
Miſſæ *ſolennis Pontificiæ antiquitas.* 61 *ſeq.*
*ceremoniæ deſcriptæ.* 61
*De* Miſſionibus *religioſis quid ſentiendum?* 118 *ſeq.*
Mitræ *Papalis antiquitas.* 65
*In* Mœchos *quæ fuerit veteris eccleſiæ diſciplina?* 305 *ſeq.*
Mogulenſis *Regni deſcriptio.* 358 *ſeq.*
Mohammedanismi *ortus & progreſſus.* 117
Moneta *Palatina quæ dicta?* 150
*De* Monetis *gentium orientalium liber promiſſus.* 386
*De* Monumentis, *quibus uſi ſunt veteres Hiſtorici ad condendas hiſtorias, Diſſ.* 100
*Rom. Hiſtoricorum antiquiſſimis Diſſ.* 100
Monumentorum *Rom. quæ in Batavia extiterunt olim, editio promiſſa.* 52



Digitized by Google

Morbus *ab errore externo differt.* 334
*quid ſit?* 334
Mores *hominum conjectandi methodus.* 334
Morganus *refutatus.* 88
Morhofii (*Dan. Georg.*) *de legendis, imitandis & excerpendis Autoribus libellus poſthumus.* 135 *ſeq.*
*Collegia quatuor promiſſa.* 136
*Polyhiſtor laudatus.* 468
*ejus hiſtoria.* 469
*De* Moshemio (*Jo. Laur.*) *acerbum Reimmanni judicium.* 381
Moſis *cornua quid ſignificent?* 16
*glorioſa facies quæ fuerit?* 16
*vultus ſplendor explicatus.* 16
*velamen explicatum.* 17
*De* Motu *Diſſ.* 272 *ſeq.*
Motus *communicatio nulla eſt.* 77
*leges.* 268
*num ſemper ab alio movente dependeat?* 77
Motuum *vitalium nulla animæ competit conſcientia.* 232
Mozarabica *miſſa explicata.* 112
Mülleri (*Jo. Jac.*) *cum nonnullis controverſia.* 28
Muhlii (*Henr.*) *cum Franc. Ern. Vogtio & Theod. Daſſovio controverſia.* 25
*nova Aug. Conf. editio laudata.* 161
Muratorius (*Lud. Ant.*) *laudatus.* 297
Muſæanæ *controverſiæ hiſtoria.* 22
Muſculorum *interoſſeorum pedis deſcriptio.* 173 *ſeq.*
*lumbricalium prima a carne quadrata origo.* 177
Muſculus *Caſſerii tranſverſus deſcriptus.* 176
Muſicalis *lapis deſcriptus.* 432
*De* Muſica *veterum Diſſ.* 31
Myſterium *num poſſit eſſe objectum fidei?* 86
Mythica *hiſtoria ſacræ collata.* 504 *ſq.*

N.

Naturæ *humanæ vires morales poſt lapſum.* 88
Nazarenus *cur dictus ſit Jeſus?* 114
Necrologiorum *origo.* 113
Nehalennia *qualis olim Germanorum Dea fuerit?* 502
Nepotis *aliquot loca illuſtrata.* 37
Neumeiſterus (*Erdm.*) *Marpergerum refutat.* 26
Nicolai, *Marchionis Eſtenſis, hiſtoria edita.* 563 *ſeq.*
Nigellus (*Arn.*) *quis fuerit?* 254
Nitſchii *cum nonnullis controverſia.* 28
Numiſma *Carolomanni Judaicum.* 152
Numiſmata, *in quibus numerorum ſigna ac literæ inverſæ comparent.* 386
Nummi *aurei Chlodovæo M. & Theodorico cur falſo tribuantur?* 149
*chymici & magici.* 387
*duo ex officinis monetariis Regum Francorum ſingulares.* 151
*in honorem Medicorum cuſi.* 532
*Betonis monetarii nomine inſigniti.* 150
*quidam ſingulares.* 385 *ſeq.*
*Regum Francorum poſt Theodoricum III uſi ſunt aſpectu horrido.* 151
*recenſiti.* 149
*Saracenici deſcriptio.* 415 *ſeq.*
*De* Nummo *Minervæ Iliadis Diſſ.* 30
*Philippi Tetrarchæ Diſſ.* 30
*Ad* Nummos *ſpectantes fabulæ quædam.* 387

Nummus

Nummus *Domitiani caput laureatum referens.* 115

## O.

Obrechtus (*Ulr.*) *Operum Conringii editionem meditatus.* 441
Oculi *male diſpoſiti.* 526
*De* Odis *Pindaricis Diſſ.* 101
Oſſa *Helmontiana quæ ſit?* 431
Oigurei *deſcripti.* 358 *ſeq.*
Oldoini (*Auguſtini*) *catalogus autorum, qui ſcripſerunt de Pontificibus Rom. editus.* 166
Oleum *ignis pabulum.* 428
Onus *Eccleſiæ, liber, enarratus.* 589 *ſeq.*
*ejus autor quis?* 509
*De* Oraculis *varia.* 506
*De* Oraculo *Dodonæo Diſſ.* 30
Orobii (*Iſaac.*) *certamen Philoſophicum adverſus Jo. Bredenburgium Spinoziſtam.* 122
*De* Orphica *vita Diſſ.* 31
Orthoceras *polythalamii ſpecies.* 328
Oſcenſe *Concilium.* 198
Oſculandi *genu Imperatoris mos vetus.* 254
Oſiandriſmi *hiſtoria.* 21
Os *præternaturale in cavo thoracis.* 412
Otto (*Everard.*) *laudatur.* 497
Ottonis *Poema heroicum de Erneſto Bavaro laudatum.* 256
Ovariorum *muliebrium nova arteria.* 413
Ovidius *fabularum felix conditor.* 493 *ſeq.*
Ovidii *aliquot loca illuſtrata.* 37
*Metamorphoſeon quædam loca illuſtrata.* 496
*verſio Gallica.* 493 *ſeq.*
D'Oyly (*Rob.*) *laudatus.* 131

## P.

*In* Pacati (*Latini*) *Panegyrico locus emendatus.* 35 *ſeq.*
Pacta *nuda quam obligandi vim habeant?* 513
Palatinatus *Saxoniæ illuſtratus.* 457
Paoli (*Seb.*) *in Petrum Giannonium ſcriptum acerbum.* 292
*De* Papyro *Diſſ.* 101. 103
*De* Paradiſi *ſitu Diſſ.* 398
*De* Parcis *Diſſ.* 31
Parhelii *quatuor obſervati.* 414
Partus *monſtroſus deſcriptus.* 521
Patrum *expoſitiones allegoricæ vindicatæ.* 94 *ſeq.*
*De* Pauw (*Jo. Corn.*) *notatus.* 203 *ſeq.*
Peccator *num propter peccatum alienum dici quis poſſit?* 85
Peccatum *quid ſit?* 85
Pedis *muſculorum interoſſeorum deſcriptio.* 173 *ſeq.*
*plantæ ligamenta deſcripta.* 177 *ſeq.*
Pendulum *ex argento vivo in tubo.* 411
*In* Peregrinando *ſuperſtitio veterum.* 500 *ſq.*
Perſarum *hiſtoria expoſita.* 352
Perſecutiones *non ſunt verum propagandæ religionis medium.* 117
Peterſenii (*Jo. Guil.*) *controverſiæ.* 27
Petiti (*Petri*) *in Aretæum Commentarii.* 395
Petri *Dresdenſis hiſtoria.* 260
Petroniæ *LL. quatuor fuere.* 460 *ſq.*
*Ad* Petronii *loca quædam animadverſiones.* 30
Phædri *quædam loca emendata.* 37
*De* Pharo *Alexandrina Diſſ.* 101
*De* Philippi *Tetrarchæ nummo Diſſ.* 30
Philippus *Arabs an Chriſto nomen dederit?* 116

*An* Philoſophia *dici poſſit ancillans?* 333
Philoſophiæ *in Theologia uſus genuinus.* 171
— *tam veteris, quam recentioris, hiſtoria.* 40 ſeq.
Philoſophi *vox unde originem ducat?* 40
Philoſtrati *locus quidam emendatus.* 167
Phylacteriorum *nomine olim quid venerit?* 64
Piccardi *ab Huſſitis diverſi.* 260
*De* Piccardis *fabula refutata.* 263
Pickelhæring *nominis unde ſit origo?* 340 ſq.
Pietiſmi *hiſtoria.* 22 ſq.
*De* Pindaricis *Odis Diſſ.* 101
*Ad* Pindarum *Animadverſiones.* 30
Placendi *aliis deſiderium commune eſt omnium hominum.* 216 ſq.
Plagia *a Mahommede commiſſa.* 60
Plantæ *cujusvis ſuccus proprius.* 426
Plantarum *hiſtoriæ inſervientes Commentarii.* 72
*De* Platonis *locis duobus Diſſ.* 30
Plauti *nova editio promiſſa.* 354
Pliniani *Panegyrici loca multa emendata.* 35
*Ad* Plutarchi *librum de ſuperſtitione Diſs.* 30
— *vitas animadverſiones.* 30
Plutarchus *illuſtratus.* 100
Pluviæ *chymicæ præparatio.* 331
*De* Podio (*Jac.*) *Chronicon Bononienſe editum.* 562
*De* Poemate *in proſa non conficiendo Diſſ.* 100
Pœnæ *eccleſiaſticæ determinatæ.* 465
— *in veteri eccleſia quales conſtitutæ in peccantes?* 304 ſeq.
*In* Pœnitentes *quæ diſciplina fuerit veterum?* 304 ſeq.
Poeſeos *Germanorum veteris quæ ratio?* 254 ſq.
*De* Poeſeos *natura Diſſ.* 100
Poetæ *Latini minores editi.* 11 ſq.
*De* Poetis *priſcis Siciliæ Bucolicis Diſſ.* 30
Poloni (*Mart.*) *de Vitis Imperatorum & Pontificum codex MStus.* 58
Polycarpi *de Scriptura S. doctrina expoſita.* 387 ſq.
*De* Polygnoti *apud Pauſaniam duabus picturis Diſſ.* 101
Polypus *tuſſiendo ejectus.* 414
Polythalamium *deſcriptum.* 327
Pontificis *Rom. electionis & coronationis ceremonialia.* 165 ſq.
— *exigua tempore Lotharii Imp. poteſtas.* 254
Porſtii *de conventibus privatis controverſia.* 25
Porti (*Æmilii*) *verſio Thucydidis emendata.* 6
— *vindicata.* 6
*De* Porticu *Verris Diſſ.* 101
Poſſevini (*Ant.*) *error notatus.* 382
Poſteriora *Dei quid ſignificent?* 15
Poſtilla *ſuper Pſ. CXVIII MSta.* 56
Præcocis *ingenii exempla.* 294
Preces *ad Deum quales eſſe debeant?* 87
Princeps *Rom. legibus ſolutus.* 509 ſq.
Principium *cognoſcendi univerſaliſſimum quale?* 45
Principum *S. R. G. J. Genealogiæ illuſtratæ.* 453 ſq.
Problema *paradoxum Geometricum.* 376
Prophetæ *in V. Teſt. qui dicti?* 186
*De* Prophetarum *revelatione divina Diſſ.* 186
Proverbii: *Wer das Glück hat, führt die Braut davon, origo.* 252


Pſeudo-

Digitized by Google

Pſeudo-*Synodi recenſita.* 194 *ſeq.*
Pſychologiæ *empiricæ a rationali differentia.* 578 *ſeq.*
De Puliola (*Barthol.*) *Chronicon Bononienſe editum.* 562
De Pygmæis *Diſſ.* 31 *ſeq.*
Pythagoræ *vita, ſcripta & philoſophandi ratio explicata.* 41 *ſq.*

R.

Raphelii (*Georg.*) *elogia.* 324
— *in N. Teſt. merita.* 323 *ſq.*
Rathmannus (*Herm.*) *quam in Eccleſia controverſiam excitarit?* 22
Ratio *cum Scriptura S. magnam habet conſenſionem.* 170 *ſeq.* 226 *ſq.*
— *quid ſit?* 223 *ſq.*
Rationis *abuſus demonſtratus.* 223
— *in rebus revelationis uſus.* 86
— *ſacris uſus & abuſus.* 91
— *variæ notiones.* 224 *ſeq.*
Rechenbergii (*Ad.*) *cum Th. Ittigio controverſia.* 27
De Reformatorum *vario ob rationes politicas in Aug. Conf. animo Diſſ.* 165
Regulæ *derivationis in venæ ſectione.* 230
Reimmannianæ *Bibliothecæ fata.* 377 *ſeq.*
Reimmannus *in ſcribendo acerbus.* 379
— *laudum ſuarum non adeo tenax.* 378
— *notatus.* 378 *ſq.*
— *partium ſtudioſus.* 378
— *ſibi ipſi contradicit.* 379
Reinicke *cur ſit nomen vulpis in fabulis Romanticis?* 257
Religio *magiſtratui civili non ſubeſt.* 89
Religio *vera cui innitatur fundamento?* 87
Religiones *inventa ſunt callidorum Principum.* 122
Religionis *Chriſtianæ veritas novo argumento demonſtrata.* 39
Remenſis (*Petri*) *Bibliotheca Metrica.* 55
Renaudoti (*Euſeb.*) *elogium.* 31
Renaudotus (*Theophr.*) *primus Lutetiæ Novellas hebdomadales politicas edidit.* 31
Der Renner, *ſatyra Hugonis de Trienberch MSta.* 57
De Revelatione *Prophetarum divina Diſſ.* 186
Revelationis *divinæ varia genera.* 186
Ripaltæ *Chronicon MStum editum.* 303
Ritus *eccleſiaſtici varii enumerati.* 65 *ſq.*
Rockiſani *cum Taboritis certamen.* 262
Roderique (*Ignat.*) *refutatus.* 154 *ſq.*
De Romanæ *hiſtoriæ IV priorum ſeculorum certitudine Diſſ.* 100
— *incertitudine Diſſ.* 100. 101
De Romana *urbanitate Diſſ.* 100. 102
Ad Romanos *Epiſtola Pauli Commentario illuſtrata.* 320
Romanum *Concilium.* 195
Roſenbachius (*Jo. Georg.*) *immediatam vocationem jactat.* 28
— *ejus errores.* 24
Roſenbeccenſis *pugna in pictura expreſſa.* 99
Rothomagenſis *conventus eccleſiaſticus.* 194 *ſq.*
Rottirung, *ritus vetus in debitis cenſiticis, deſcriptus.* 82
Rüdigerus (*Andr.*) *laudatus.* 44
Sub Rudolpho *Imp. quæ fuerit Eccleſiæ in Auſtria facies?* 586

Rus

Digitized by Google

Rus (*Wolfg.*) *purioris doctrinæ in provincia Saliſburgenſi inſtaurator.* 590
Ruſſi *unde nomen habeant?* 254
Ruſticæ *rei ſcriptores promiſſi.* 295 *ſq.*

S.

*De* Sabbatho *inter nonnullos lis agitata.* 24. 28
*De* Sabino (*Jul.*) *Diſſ.* 101
*Circa* Sacra *poteſtas Principum.* 463 *ſq.*
Sagittarii (*Caſp.*) *controverſiæ Theologicæ.* 23
*Hiſtoria Comitatus Gleichenſis, Opus poſthumum.* 401 *ſq.*
*ſcripta, quæ in MStis extant.* 402
Sal *Ammoniacum conglaciationem maxime promovet.* 128
*De* Salibus *Alcalino fixis Diſſ.* 411
*In* Saliſburgenſi *provincia religionis Evangelicæ ortus & progreſſus.* 588 *ſeq.*
Salluſtii *codices MSti.* 58
Salmaſius *refutatus.* 108 *ſq.*
Sanctorum *nomina e diptychis recitandi mos.* 112
*Inter* Sanctos *primus ſolenni ritu relatus Ludovicus S. Rex Galliæ.* 118
Sanitatis *notio ex regulis Logicis formata.* 333
Saracenici *nummi deſcriptio.* 415 *ſq.*
Sardanapali *Aſſyriæ Reges tres fuere.* 33
Satisfactio *Chriſti an ſufficiat ad liberandum peccatorem?* 86
Sattleri (*Baſil.*) & *Dan. Hoffmanni controverſiæ.* 22
*De* Saxoniæ *Epiſcopatibus obſervationes.* 160
Saxoniæ *Palatinatus illuſtratus.* 457
*qui fines?* 276
Saxonicæ *Domus an ſator fuerit Theodoricus Buzicus?* 457
*LL. & judicia deſcripta.* 275
Sceptici *qui fuerint?* 40
*Contra* Scepticiſmum *Hiſtoricum & Genealogicum quæ ſint remedia?* 312 *ſq.*
*A* Schadio (*Jo. Caſp.*) *motus excitati.* 23
Schæfferi (*Jo. Chriſtoph.*) *cum Schwarzio & Wernsdorffio controverſiæ.* 25
Schagjre *Turki, libri, latine converſi ſpecimen.* 356 *ſq.*
Schannatus *refutatus.* 254
Schelhornius (*Jo. Ge.*) *laudatus.* 589
Schermerus (*Theodor.*) *Separatiſmo favet.* 25
*A* Schillingio *conventus privati inſtituti.* 25
Schmidii (*Jo.*) *vita, merita & ſcripta.* 388 *ſq.*
Schminckii (*Jo. Herm.*) *in novam Thucydidis editionem merita.* 3
Schœnius (*Chriſt.*) *Marpergerum & Spenerum defendit.* 26
Scholiorum *in Thucydidem emendationes.* 7
Schuſteri (*Mich.*) *de Mahommede liber, fabulis refertus.* 59
Schwarzii (*Jo. Conr.*) *in Cellarii Geographiam merita.* 397 *ſq.*
Scribendi *artis fundamenta.* 101
Scriptores *de libris varii generis ſelecti.* 190 *ſq.*
*Latini ſecundum varias ætates recenſiti.* 138
Scriptura S. *non adverſatur rationi.* 170 *ſq.* 226 *ſq.*
*In* Scriptura S. *interpretanda uſus notionum directricium.* 332
Scripturæ S. *evidentia.* 88
Scripturæ S. *loca explicata, aut illuſtrata.*
*Gen. VI.* 507
*XXII, 9.* 286

Gen.

*XXXVII, 25.* 325
*XLIII, 13.* 137
*XLIX, 21.* 137
*L, 3.* 325
*Exod. III, 2, 3, 4.* 139
*XII, 14.* 289
*XIII, 25.* 325
*XXIII, 13, 19.* 15
*18.* 286
*XXIV, 6, 7.* 15
*XXXIII, 18--23.* 15
*XXXIV, 25.* 286
*29, 30.* 16
*34, 35.* 17
*Levit. XVI, 14, 15.* 574
*31.* 289
*XXIII, 32.* 289
*Num. XXVIII, 16, 17.* 289
*Deut. XIV, 5.* 475
*XX, 22, 23.* 568
*XXIII, 18.* 325
*Joſ. V, 9.* 505
*1 Sam. XI, 8.* 35
*2 Sam. XII, 31.* 167
*XXIV, 9.* 35
*Pſal. II.* 119
*7.* 92
*VIII.* 568
*XIV, 7.* 18
*XXII, 9.* 476
*LXIX, 36.* 18
*LXXVII.* 18
*LXXXV.* 18
*CX.* 92
*CXVIII, 27.* 283. 285
*Prov. VIII, 22.* 92
*Cant. I, 14.* 575
*Jeſ. VI, 13.* 18
*XXVIII, 11.* 479
*XXXVIII, 1,* 259
*LI, 20.* 475
*LIX, 20.* 18
*LXIII.* 18
*LXIV.* 18
*LXV, 11.* 575
*Jer. XLVI, 25.* 575
*Ezech. I, 26.* 167
*XXI, 25.* 409
*XXVII, 15.* 395
*XXX, 15.* 579
*Hoſ. III, 5.* 18
*Nah. III, 8, 9, 10.* 575
*Zeph. III, 8.* 574
*Hagg. III, 7, 8, 9, 10.* 138
*Zach. XI.* 569
*XII, 10.* 18
*Matth. III, 17.* 92
*V, 19, 41.* 325
*29.* 188
*X, 23.* 18
*XI, 12.* 167
*XIII, 38.* 325
*XVI, 17.* 120
*XXII, 41, 42, 43.* 92
*XXIII, 29, 30.* 574
*39.* 18
*XXIV, 30.* 18
*XXVII, 7.* 568
*9, 10.* 569
*XXVIII.* 119
*19.* 91
*20.* 185
*Marc. VI, 5.* 34
*XVI.* 119
*15.* 114
*Luc. II, 5.* 18
*24.* 18
*XI, 47, 48.* 574
*XII, 20.* 484
*Joh. I, 1.* 92. 321
*16, 19.* 574
*II, 7, 23.* 574

*Joh.* *VI*, 57. 567. 571. 573
64. 167
*VII*, 21. 167
*IX*, 6. 575
*X*, 17. 120
*XVIII*, 1. 574
*XIX*, 24. 575
*XX*, 31. 572
*Actor.* *II*, 2. 6. 138. 139
*VII*, 42. 410
*VIII*, 10. 481
*XIII*, 25. 325
*XIX*, 3. 115
*Rom.* *I*, 4. 321
10. 322
*VIII*, 11. 189
*IX*, 5. 321. 322
*XI*, 25 *ſeq.* 18. 120
*XIV*, 23. 409
*1 Cor.* *I*, 10. 206
*II*, 11. 325
*IV*, 7. 332
*VII*, 14. 19
*XI*, 14. 322
31, 32. 167
34. 64
*XII*, 4, 5, 6. 91
*XIII*, 12. 167
*XIV*, 9. 479
*XV*, 24--28. 93
35--45. 189
53. 188
*XVI*, 24. 321
*2 Cor.* *III.* 16
13. 18
16. 18
18. 15. 17
*V*, 16. 574
*XIII*, 4. 167
*Gal.* *I*, 18. 575
*Phil.* *I*, 8. 118
13. 575
*Phil.* *II*, 17. 574
*III*, 8. 575
21. 188
*IV*, 3. 575
*Col.* *I*, 15, 17. 92
23. 119
*II*, 15. 391
*1 Tim.* *III*, 13. 574
*2 Tim.* *IV*, 6. 574
*1 Joh.* *V*, 7. 91. 484. 485
*Hebr.* *II*, 9. 568
*VII*, 3. 92
*XI*, 12. 568
35. 574
*XII*, 18. 16
*XIII*, 12. 574
*Apoc.* *I*, 15. 167
*II*, 5. 117
*III*, 18. 575
*VI*, 19. 575
*XIV*, 1 *ſq.* 289
*XVII*, 9. 574
*XIX*, 7. 289
Scripturæ S. *loca multa ex Herodoto illuſtrata.* 325 *ſq.*
*Sinenſis fundamenta.* 101
Sectarum *medicarum conditores.* 466
De Sectis *Grammaticorum Diſſ.* 39
Semiramidis *hiſtoria illuſtrata.* 34
*In* Senecæ Ἀποκολοκυντώσει *loca multa emendata.* 36
Senſus *vitalis in anima nondum evictus eſt.* 233
Separatio *chemica quomodo operetur?* 427
Septuagintaviralis *V. Teſt. verſio emendata.* 345 *ſq.*
*Verſionis editiones variæ.* 349 *ſq.*
*varii codices MSti.* 349 *ſq.*
Sepultura *in terra Canaanæa magni privilegii loca habita.* 567

Sercam-

Sercambius (*Jo.*) *literarum parum gnarus.* 563
*ejus vita & munera publica.* 563
*liber II Chronici de rebus geſtis Lucenſium editus.* 562
*De* Serici *origine Diſſ.* 31
Sermonis *obſcuritati quomodo medendum?* 46
*Ad* Severi (*Corn.*) *loca quædam animadverſiones.* 30
Sibbernii *cum Wildenhagenio controverſia.* 24
*De* Sibyllis *varia.* 506 *ſq.*
Sigeæ *inſcriptionis nova explicatio.* 104
Sigeberti I, *Auſtraſiæ Regis, res geſtæ.* 149
Sigonii (*Car.*) *Operum nova editio deſcripta.* 433 *ſq.*
Sileſia *numiſmatica Godofr. Dewerdeckii promiſſa.* 386
*De* Simonii (*Rich.*) *hiſtoria critica Script. S. judicia.* 380
*De* Sinenſi *lingua Diſſ.* 31
Sinenſis *Aſtronomiæ hiſtoria.* 373
*ſcripturæ fundamenta.* 101
Sinenſium *epocha ſingularis.* 373
*Philoſophia abſurditatis & impietatis accuſata.* 104
*De* Sinenſium *eruditione Diſs.* 31
Sittim *num pro acacia habendum?* 139
Societatis *cauſa omnia omnes agunt.* 214 *ſq.*
*De* Sodomæ & *Gomorrhæ interitu Diſs.* 166
Sol *olim a Germanis pro Deo habitus.* 501 *ſq.*
Solitarii *ſ. recluſi qui fuerint olim?* 255
*De* Solœciſmo & *Barbariſmo Diſs.* 30
Somniorum *accurata theoria.* 577
Sontagii *controverſia.* 24
Sonus *qua ratione intendatur?* 267
*De* Sophoclis *Oedipo Coloneo Diſs.* 101
*tyranno Diſſ.* 101
*Ad* Sophoclis *Oedipum Coloneum obſervationes.* 30
Souchay (*Jo. Bapt.*) *in Auſonium merita.* 489 *ſq.*
Spanhemii *in Thucydidem Animadverſiones.* 10
Spenerus (*Phil. Jac.*) *a Neumeiſtero refutatus.* 26
*ejus cum Theologis nonnullis controverſia.* 23
Speratus (*Paul.*) *primus inter Auſtriacos Evangelicam doctrinam docuit.* 583
Spinozæ *errores refutati.* 120 *ſq.*
*vita, a Colero ſcripta.* 120
Spiritus *rector in vegetantibus atque animalibus.* 427
*De* Stadion *Comitum Germ. Genealogia illuſtrata.* 456 *ſq.*
Stancari (*Franc.*) *error notatus.* 21
*De* Statua *hæmorrhouſæ Diſs.* 139
Staupitius (*Jo.*) *purioris doctrinæ in provincia Salisburgenſi inſtaurator.* 590
Stella (*Georg.*) *de ſanctis & illuſtribus Reip. Genuenſis viris Opus meditatus eſt.* 302
*quis fuerit?* 301 *ſq.*
*ejus Annales Genuenſes editi.* 301
Stellæ (*Jo.*) *Annales Genuenſes editi.* 301
Stella *marina deſcripta.* 433
Stephani (*Henr.*) *in Scholia Thucydidis Annotationes.*
Struvii (*Jo. Jul.*) *errores varii.* 25



Digitized by Google

Strykii (*Jo. Sam.*) *de Jure Sabbathi controverſia.* 28
Suburbicariæ *eccleſia quæ fuerint?* 107 *ſq.*
Succinea *gleba variis rebus imprægnata.* 412
*De* Succo *vegetabilium experimenta ſtatica.* 414
Succus *cujusvis plantæ proprius.* 426
*Ad* Suidæ *loca quædam Animadverſiones.* 30
*De* Sumtuariis *LL. Galliæ Diſs.* 101
Symbola *eccleſiaſtica quid ſint?* 407
Symbolici *libri divini, an humani, ſint appellandi?* 410
Symbolicorum *librorum hiſtoria.* 406 *ſeq.*
— *neceſſitas & autoritas.* 410
Synergismi *hiſtoria.* 21
Synisactæ *quæ olim virgines dictæ?* 113
Synodi *eccleſiaſticæ recenſitæ.* 193 *ſq.*

T.

Taciti *editio rariſſima.* 37
— *locus quidam explicatus.* 290
*De* Taciti *loco quodam Diſs.* 31
Tagrini *populi deſcripti.* 359 *ſq.*
Tanchelinus *ritus ſacros tollere inſtituit.* 62
Tangmari *vita Bernwardi quando prodierit?* 383
Tauberus (*Caſp.*) *martyrium tulit in Auſtria.* 582
Tellierii (*Mich.*) *elogium.* 31
Temſa *oppidum quale fuerit?* 398
Terentii *codices MSti.* 58
— *comœdiæ recens editæ.* 353
— *quædam loca emendata.* 37
Tertullianus *quo anno librum ſuum de corona militis publicaverit?* 309
N. Teſtamenti *ſtylus Græcus puriſſimus.* 323 *ſeq.*
— *ab Hebraismis vindicatus.* 478
Theocritus *recens editus.* 355
Theocriti *loca quædam emendata.* 355 *ſeq.*
Theodebaldi, *Regis Francorum, res geſtæ.* 149
Theodeberti, *Regis Metenſium, geſta.* 149
Theodorici I, *Regis Auſtraſiorum, res geſtæ.* 148
Theologiæ *hiſtoria promiſſa.* 469
*De* Theologia *Germanica, libro, varia.* 590
*De* Theophili, *Græcarum Juris Inſtitutionum autoris, hiſtoria Diſs.* 280
Theophraſti *Paracelſi vita & doctrina explicata.* 43
Thomaſius (*Chriſt.*) *laudatus.* 43 *ſq.*
— *ejus cum Theologis controverſia.* 23. 28
Theſauri *Antiquitatum Rom. & Græc. Græviani & Gronoviani nova editio indicata.* 248
Thucydidis *nova editio.* 1
— *varii codices MSti.* 2 *ſq.*
Thuringorum *terra in tres pagos diviſa.* 148
Tibulli *aliquot verſus illuſtrati.* 30
Titius (*Gottl. Gerb.*) *refutatus.* 45
— *ejus cum Töllnero controverſia.* 28
Töllneri *cum Titio controverſia.* 28
Toletanum *Concilium.* 195
*De* Trautſon *Principum Germ. Genealogia illuſtrata.* 455 *ſq.*
— *unde ita appellati?* 456
Treiberi *cum Fiſchbeckio controverſia.* 25
*De* Trienberch (*Hug.*) *ſatyra, der Renner, MSta.* 57

Trilleri

Trilleri (*Dan. Wilb.*) *in Aretaum conjecturæ.* 395
Trinitas *divina explicata.* 484
Triticiaria *condictio quid ſit?* 512
*De* Trojanæ *obſidionis duratione Diſſ.* 30. 101
Tumor *capitis carnoſus.* 524
Turgak *gens deſcripta.* 366
*De* Turre & *Taſſis Principum Germ. Genealogia illuſtrata.* 455

V.

Valdenſium *nonnulli probabiliter in Salisburgenſi provincia conſederunt.* 589
*A* Varea (*Alph. Laſar*) *orbis literarius univerſus promiſſus.* 471
Velleji *loca quædam explicata.* 290 *ſq.*
Venæſectio *in brachio, an in pede, inſtituenda?* 229
*In* Venæſectione *derivationis regula.* 230
Venæſectionis *triplex uſus.* 229
Venema (*Herm.*) *laudatus.* 19
Vereſtous (*Georg.*) *refutatus.* 139
*De* Verris *porticu Diſs.* 101
Veſicæ *elevatorium in Lithotomia ſecundum apparatum altum adhibendum.* 129
Veſtimentorum *color Vaſallis olim ab Electoribus imperatus.* 405
Veſtium *pretioſarum uſus in aulam Gallicam ab Iſabella Bavarica maxime inductus.* 99
Viales *Dii veterum qui fuerint?* 498
Viatorum *gratia LL. olim latæ.* 498 *ſq.*
Virgilii *locus illuſtratus.* 141
— *obſcuriora quædam loca illuſtrata.* 36
Virginitati *in priſca Eccleſia ſummus honor habitus.* 112
Virtus *moralis non eſt commentum humanum.* 214
— *ſocietati ipſi prodeſt.* 219
*De* Virtute & *vitio Tract.* 89
Virtutis *moralis origo & fundamentum expoſitum.* 213 *ſq.*
Vis *inertiæ quæ dicatur?* 77
Vita *æterna poſt mortem nulla.* 121
*De* Vitio & *virtute Tract.* 89
Unctio *inauguralis in V. Teſtam. quotuplex?* 572
Unio *inter Lutheranos & Reformatos tentata.* 24. 25
Vocabula *quædam N. Teſt. vindicata.* 167
Vocabulorum *quorundam Germ. origo veſtigata.* 168. 339
Volſpergerus *refutatus.* 26
Voluptas *ex cognitione veritatis revelatæ percipienda.* 333
Voluptatis *contemplatio ex cognitione veritatis percipiendæ inſtituenda.* 331
— & *moleſtiæ menſura mathematica.* 220 *ſeq.*
*De* Urbanitate *Romanorum Diſs.* 100. 102
Urſpergenſis *Abbatis Chronicon MStum.* 57
Utrecht *unde nomen habeat?* 151

W.

Wächtleri (*Chriſtfr.*) *ad Noodtii L. IV Probabilium Juris Civ. notæ poſthumæ.* 514 *ſq.*
*Van* Wachendorff (*Jo. Car.*) *laudatus.* 509
Wallíſii (*Jac.*) *in novam Thucydidis editionem merita.* 11
*De* Wartenberg *Comitum Germ. Genealogia illuſtrata.* 456
Waſſe (*Joſeph.*) *notatus.* 7 *ſq.*
— *ejus emendationes Thucydidis.* 4 *ſeq.*

Wegerus (*Frid. Godofr.*) *Orphanotrophia improbat.* 26
Werenfelſius (*Sam.*) *laudatus.* 39
Wernerus (*Jo. Phil.*) *in ſcriniis ſervat clarorum literis virorum Onomatologum.* 471
Wernsdorfii (*Gottl.*) *cum Brendelio, Jo. Chriſtoph. Schaffero & Jo. Caſp. Haferungio, controverſiæ.* 25
Weſterhovius (*Arn. Henr.*) *notatus.* 354
Wetſtenii (*Jo. Jac.*) *in novam Thucydidis editionem merita.* 4
Whiſtoni (*Wilh.*) *expoſitio fidei II priorum a N. Teſt. ſeculorum refutata.* 99 *ſeq.*
Wildenhagenii *cum Sibbernio controverſia.* 24
Wildpret *nominis unde ſit origo?* 340
De Wilhelmi *Conqueſtoris monumento quodam Diſs.* 101
Willenbergii (*Sam. Frid.*) *de Polygamia controverſia.* 28
Wilshemii (*Alex.*) *de Diptycho Leodienſi liber.* 111
Wirceburgenſes *Epiſcopi recenſiti.* 249 *ſeq.*
Wirceburgenſis *Epiſcopatus hiſtoria.* 146 *ſeq.* 249 *ſeq.*
Wirceburgum *unde dictum?* 150
Wolfianæ *Philoſophiæ uſus in explicanda Scriptura S.* 332
— *Jurisprudentia.* 48
— *Medicina.* 333
— *Theologia.* 482
Wolfii (*Chriſt.*) *cum Joach. Langio controverſia.* 44
Woolſtonus (*Thom.*) *refutatus.* 94 *ſq.* 116
Würtenbergicæ *Domus hiſtoria illuſtrata.* 457

X.

De Xenophontis *Cyropædia Diſs.* 101 *ſeq.*

Z.

Zabii *qui fuerint?* 41
Zeltnerus *Pietiſtis favet.* 26
Zieroldi *cum Büchero controverſia.* 24
Ziska (*Jo.*) *dux gregis Huſſitici.* 260
De Zodiaci *nominibus horumque origine Diſſ.* 30
Zornii (*Petri*) *in antiquitates eccleſiaſticas Diſſ. variæ.* 574

---

# E R R A T A.

*Pag.* 233 *lin.* 23 pro *adhuc* lege *ad hæc*; *p.* 244 *l.* 19 pro *edita ab eo ſunt* lege *edidit*; *p.* 342 *l.* 34 lege: *Rem autem hac in arena adeo feliciter docta puella ſtrenueque geſſit*; *p.* 430 *l.* 5 pro *tractat* l. *tractate*; *p.* 490 *l.* 30 pro *mojori* l. *majori*; *p.* 496 *l.* 20 dele *ita ſcriptum, non Capitains*; *p.* 497 *l.* 24 pro 4 l. 8; & *p.* 572 *l.* 10 pro *quanda* lege *quando.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google